ANTVERPIÆ, EX OFFICINA PLANTINIANA BALTHASARIS MORETI. M. DC. XXX.

PHILIPPO IV.
HISPANIARVM
ET
INDIARVM
REGI
POTENTISSIMO.

TRAIANO Imperatori cum exercitu Armeniam ingresso, terræ illius Reges ac Satrapæ obuiàm processere instructi muneribus, quibus vel bellatoris iram flecterent, vel victoris felicitati quasi litarent. Et agebat horum munerariorum partes præcipuas equus, qui inter ea dona pretio non infimus, gratiâ certè summus eminebat; doctus scilicet flexis poplitibus Cæsarem veluti numen quoddam adorare, &

ſubmiſſo ad pedes eius capite fauorem illius, brutæ, vt ſic dicam, humanitatis officio, eblandiri. Tibi, REX PÓTENTISSIME, non vnius ſed multorum maximorúmque exercituum Imperatori, non equus vnus aliquis, ſed Equeſtris Militia tota, quam hoc in Libro, ceu campo quodam papyraceo, explicatam ac agminatim compoſitam vides, ſupplicabundâ veneratione occurrit; nec datura munus quidem, ſed patrocinium poſtulatura ab MAIESTATE TVA: cuius veſtigia ceruice pronâ ſalutant tot equorum centuriæ, quot Equitum turmæ in diuerſiſſimis mundi partibus, auſpicijs magis Tuis, quàm ſuis habenis, flectuntur reguntúrque. Neque hîc profectò, cum Poëtarum maximo, librum ſuum quempiam Deorum numini commendante, occinendum:

Túque, ô, cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percuſſa tridenti,
Neptune. ——

ſed TVAE potiùs MAIESTATIS præſidio Opus hoc Equeſtre committendum. Ecquid

quid enim ? fabulantur ſcilicet Veteres illi primum ab Neptuno equum extitiſſe, cùm tellus Theſſala, tridente illius verberata, bellicum hoc animal protulit ; perinde ac ſi nec percuti quidem terra ab Deo illo poſſet, niſi exinde magnum aliquid parturiret. Exponant fabellam Mythologi, vt lubet, ac benigniore explicatu in mores bonos humanámque rationem traducant : nos certè illam MAIESTATIS TVAE ſceptro vim ineſſe profitebimur, vt leui illius agitatione admonita Regna, & numero multa & ſpatijs remotiſſima, plurimas equorum, equitum peditúmque myriadas profundant; dum eos non formari, ſed quaſi enaſci è terrâ momento temporis, ac derepentè ad vnicum motum ſceptri Tui proſilire intuemur. Tibi igitur non terrarum tantùm, ſed & Oceani mariúmque potenti, Librum hunc, imparem quidem dignitati MAIESTATIS TVAE, ſed tamen materiæ ipſius neceſſitate debitum, veluti ludos quoſdam equeſtres Neptuno quondam ab Romulo inſtitutos exhibentem, dicamus ſa-

cramúſque. Ita nempe & Operis huius Auctor deſtinarat. Tabulæ namque hæ ſunt vltimæ voluntatis illius, qui in caſtris Tuis difficillimæ expeditioni immortuus, eas manu ipſe ſuâ non potuit obſignare. Hoc nempe militum eſt, vel in procinctu teſtamentum condere, vel dum properandum eſt, raptâ occaſione voluntatem ſuam alijs commendare. Miles ille, ſed ſacer fuit; & plures annos ſub auſpicijs Tuis ſpiritualia ſtipendia fecit, iuuandis animis eorum qui Tuas Aquilas ſequuntur, ſemper intentus: & non ſemel ad obſeſſas vrbes ſub pellibus hibernauit, teſtis bellorum Tuorum, & periculorum ſocius: quamquam tuta ſunt etiam ſub tali REGE ipſa pericula, & non niſi hoſtibus Tuis metuenda. Sentiant illi vim eorum, ſentiant robur potentiæ Tuæ: dúmque hæreſi debellandæ fortiter inſiſtis, hoc aliquando de illâ audiatur, tam omnibus gratum quàm magnificum MAIESTATI TVAE, quod de peſſimâ mulierum Iezabele, litteræ Sacræ gloriabundè occinunt: EQVORVM VNGVLAE CONCVLCAVERVNT EAM.

Tibi

Tibi exinde, POTENTISSIME REX, anni multi cum triumphis multis! Ita hoc noui anni exordio, more inſtitutóque maiorum, quaſi militari acclamatione, imò religiosâ ſinceritate vouemus. Et ſi Manueli Comneno, Imperatori primùm conſalutato, atque in Aulam tendenti, iſtud longioris vitæ omen, doctorum interpretatione adſcriptum fuit, quòd equi, quo vehebatur, petulantiâ crebríſque gyris ac flexibus impeditus, ſerò tandem limen Palatij ſit ingreſſus, cùm è ſellâ deſcendere Imperatori non liceret niſi limen illud prætergreſſo, atque ita deſcenſus illius mora neſcio quam tergiuerſantis fati vitæque ſeriùs lapſuræ tarditatem viſa fuerit portendere; nos certè vice conuersâ, non è reluctantis equi moráſque nectentis præſagio, ſed ex Equeſtris huius Militiæ Tibi expeditiſſimè parentis, adeóque è ſubditorum omnium pronâ promptâque ad nutus Tuos voluntate, longos placidóſque vitæ Tuæ annos auguramur: dum hiſce renaſcentis anni principijs, de ſuis annis augeri Tuos, cuncti

cuncti exoptant. Augeat illos DEVS OPTIMVS MAXIMVS; augeat, vt productos ætate, sic felicitate plenos, indicéſque beatæ æternitatis. Hoc votum omnium noſtrûm eſt, tantâ verborum fide conteſtatum, quanto affectu deſiderióque ab animis noſtris conceptum.

MAIESTATI TVAE

deuotiſsimum

Collegium Societatis IESV

Bruxellæ, Kal. Ian. M. DC. XXX.

LIBER I.

DE ORIGINE MILITIAE EQVESTRIS.

Argumentum Libri.

EQVVS bello à naturâ factus, arte ad pugnam doctus. Equitandi ars initiò rudis, plurimarum rerum adminiculis adiuta, tandemq; perfecta. Equo non viri modò sed feminæ militarunt. Quantæ Amazonum copiæ. Elephanti, cameli, magna olim belli præsidia, militiâ proscripti. Quadrigæ & falcati currus quondam belli terror, ab equestri exercitu dimissi.

CAPVT I.

Equus animal bello natum, idemq; docillimum.

EQVI indoles bellica, ingenium, iudicium, præsagitio, velocitas, docilitas, peritia, philanthropia, fides, victoriæ cupiditas, historijs ostensa. Ori & Chrysantæ de equo iudicium. Equus in sidera relatus.

EQVI ipsius indoles, suam ad bellum aptitudinem videtur vltrò indicasse mortalibus; adeò militiæ est accommodata. Id, credo, Sapientissimus Regum (cuius propè immensus fuit Equitatus) oraculo prodidit cap. xxi. Prouerb. *Equus paratur in diem belli.* Sed quo possim præterea certiore naturæ inuestigatore vti, quàm Iobo? Is equi indolem elegantiùs sanè Poëtâ quouis aut Pictore expressit cap. xxxix. *Gloria*, inquit, *narium eius, terror. Terram vngulâ fodit, exultat*

dacter: in occurſum pergit armatis: contemnit pauorem, nec cedit gladio. Super ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta & clypeus. Feruens & fremens ſorbet terram, nec reputat tubæ ſonare clangorem. Vbi audierit buccinam, dicit, Vah; procul odoratur bellum, exhortationem Ducum, & vlulatum exercitus. Militariter profectò ac magnificè, vt vix auſim conferre illa Maroniana, Georg. III.

Altiùs ingreditur, & mollia crura reponit:
Primus & ire viam, & fluuios tentare minaces
Audet, & ignoto ſeſe committere ponto.
Nec vanos horret ſtrepitus.——
——*Tum ſiqua ſonum procul arma dedêre;*
Stare loco neſcit, micat auribus, & tremit artus,
Collectumq; premit voluens ſub naribus ignem.

Quid? quòd non vigiles modò, ſed & dormientes meditentur bellum. Id obſeruauit Lucretius lib. IV.

Quippe videmus equos fortes, cùm membra iacebunt
In ſomnis, ſudare tamen ſpirareq; ſæpè,
Et quaſi de palmâ ſummas contendere vires.

Quò ſpectaſſe Claudianus videtur Præfatione in VI. Honorij Conſulat. illo verſu:

Vanáque nocturnis meta cauetur equis.

Nil miri igitur, animal adeò belli ſtudioſum, Marti quoque fuiſſe ſacrum, cùm vltrò dare nomen in militiam videatur. Certè Plinius lib. VIII. cap. XLII. *Ingenia*, ait, *equorum inenarrabilia, iaculatores obſequio experiuntur, difficiles conatus corpore ipſo nixúque inuitantium.* Solinus cap. XLVII. *Equis ineſſe iudicium, documentis plurimis patefactum eſt*, &c. *inimicos partis ſuæ norunt, adeò vt inter prælia hoſtes morſu petant*, &c. Quid? quòd belli omen Antiqui religiosè acceperint ab equo. Anchiſes apud Maronem:

Quattuor hìc, primum omen, equos in gramine vidi
Tondentes latè campos, candore niuali.
Et pater Anchiſes: Bellum, ô terra hoſpita, portas;
Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur.

Et

Et Pœni effoſſo equino capite, Carthaginem ædificarunt, augurantes fore bellicoſam. Virgilius 1. Æneid.

——— Pœni
Effodêre loco ſignum quod Regia Iuno
Monſtrarat, caput acris equi. Sic nam fore bello
Egregiam & facilem victu per ſæcula gentem.

De eodem Silius lib. 11.

Oſtentant caput effoſſâ tellure repertum
Bellatoris equi, atque omen clamore ſalutant.

Quin etiam ſudore equorum præſignata bella, Horatius indicat lib. 1. Ode xv.

Heu heu, quantus equis, quantus adeſt viris
Sudor! quanta moues funera Dardanæ
Genti!

Germanis denique *proprium* (ait Tacitus de eorum Moribus) *equorum præſagia ac monitus experiri. Publicè aluntur ijſdem nemoribus ac lucis, candidi & nullo mortali opere contacti, quos preſſos ſacro curru Sacerdos ac Rex vel Princeps ciuitatis comitantur, hinnitusq; ac fremitus obſeruant. Nec vlli auſpicio maior fides, non ſolùm apud plebem, ſed apud Proceres, apud Sacerdotes; ſe enim miniſtros Deorum, illos conſcios putant.* Plinius certè lib. VIII. cap. XLII. *Præſagiunt*, inquit, *pugnam*; & Iobus cap. xxxix. *Procul odoratur bellum.* Habes ecce militare equi ingenium, iudicium, augurationem. Quid amplius? Vis celeritatem? vis fidem? vis victoriæ cupiditatem?

Celeritas equo nomen apud Græcos dedit; ἵππον namque dixere ab ἵπταμαι & πῆς, quaſi pedibus ſit volucribus. Hinc ὠκύποδες, ἀερσίποδες, ἀελλόποδες, ταχύποδες, ἐλαφρόποδες, equos appellarunt: Latini verò, alipedes, citos, veloces, celeres, pernices, præcipites, volucres, rapidos, alatos, alites, quorum paſſim apud Poëtas innumera occurrunt exempla, & hæc paucula de multis. Virgilius Æneidos XII.

Alipedumq; fugam curſu tentauit equorum.

Silius lib. XII.

Alite vectus equo.——

Ouidius III. Fastorum:

——Alatis æthera carpet equis.

I. de Remedio amoris:

——Velocem cingula lædat equum.

IV. de Ponto:

Ante citos quantum Pegasus ibat equos.

I. de Arte amandi:

Hippolytum rapidi diripuistis equi.

Iuuenal. Satyrâ I.

——Nempe volucrem
Sic laudamus equum.——

Silius lib. XV.

Sic vbi prosiluit piceo de carcere præceps.

Tibullus lib. IV.

Aut quis equum celerémve arto compescere freno.

Fabula profectò ob equi pernicitatem alas Pegaso finxit. Plinius verò pennatos etiam credidit quosdam in Æthiopiâ equos. adeoque eorum celeritatem volatu, & fulminis ac mentis ipsius cursu Poëtæ expressêrunt.

Maro Æneid. XI.

——Volat ecce per hostes
Vectus equo spumante Sages.——

Statius III. Thebaïd.

Flagrantes immisit equos, non ocyùs alti
In terras cadit ira Iouis.

Claudianus lib. I. de Raptu:

Quantum non iaculum Parthi, non impetus Austri,
Non leue sollicitæ mentis discurrit acumen.

Atque hic postremus, Homericâ Virgilianaque hyperbole:

——Virides Neptunus in algâ
Nutrit equos, qui summa freti per cærula possint
Ferre viam, segetemq; leui percurrere motu,
Nesciat vt spumas, neque proterat vngula culmos.

Quid miri ergo, si Massagetæ, Herodoto teste, Soli (Deorum omnium velocissimo) equum, vtpote velocissimum, soliti

liti immolare? Quid miri, si equos Venti Aureq́ue filios Homerus appellarit, vt Pollux refert lib. I. cap. XI?

Sed fidem amittam, si fabulas narrauero: referam Historiam. Probo Imperatori è spolijs oblatus est equus, *qui centum in diem conficiebat milliaria*, auctore Vopisco. Fortè & volucrem eâ causâ appellauit equum suum Verus, Caligula, etiam velocissimum. Naturâ certè veloces esse equos, vel ex eo constare Xenophon acutè obseruat, quòd *equi omnes, iugo freníve soluti, statim exultabundi fugiant.* Annon etiam crabrones *volantes existunt ex equino cadauere?* Non vanè in prouerbij formulam abijt, quoties factum celerrimè quid esse significamus, cum Tullio dicere, *Equis velisq́.*

Iam quanta eorum in dominos fides? *Fidelissimum inter animalia omnia homini est canis atque equus*, inquit Plin. lib. VIII. cap. XL. Seruant sanè equi dominos suos viuos, vlciscuntur & lugent mortuos. De viuis Plin. lib. VIII. cap. XLII. ex Philisto scribit, *equum à Dionysio relictum in cœno hærentem, tamen vbi se euelliſſet, domini vestigia secutum.* Gellij verba de Bucephalo adferam è Noctium Attic. lib. V. cap. II. *Id etiam de Bucephalo memoratum est, quòd, cùm in eo insideret Alexander bello Indico, & facinora faciens fortia, in hostium cuneum, non satis sibi prouidens, immisisset, coniectis vndique in Alexandrum telis, vulneratus alte in ceruice atque in latere equus perfossus est: moribundus tamen, ac propè iam exanguis, è medijs hostibus Regem viuacissimo cursu retulit. atque vbi eum extra tela extulerat, illicò concidit, & deinde iam superstitis securus, quasi cum sensus humani solatio expirauit.* Curtius, vt solet, acutè atque eleganter de eiusdem equi fide lib. VIII. *Equus eius* [Alexandri] *multis vulneribus confossus, deficiensq́, procubuit, posito magis Rege, quàm effuso.* Neque impar ille apud Gregoram lib. X. amore fideque in filium Imperatoris, *qui vulneratus ita vt cerebrum pateret, non prius cecidit, quàm eum è pugnâ extulisset, domumq́ incolumem reportasset, vbi demum ante domini fores expirauit.* Atque id vulgare propriumque esse Hispanorum equis, scribit Rodericus Sancius part. I. cap. II. *vt cum se*

percussos ipsi sentiunt, vectores suos incolumes exportent. De mortuis Plinius lib. VIII. cap. XLII. *Amissos lugent dominos, lacrymásque interdum desiderio fundunt.* Addit exempla: *Occiso Scytharum Regulo ex prouocatione dimicante, hostem (cùm victor ad spoliandum venisset) ab equo eius ictibus morsuq; confectum esse.* Ibidem Philarchus refert, *Centaretum è Galatis in prælio, occiso Antiocho, potitum equo eius, conscendisse ouantem; at illum indignatione accensum, demptis frenis* [sic corrigo, pro *domitis frenis*] *ne regi posset, præcipitem in abrupta isse exanimatúmque vnà.* Dion & Xiphilinus narrant, *equum Prætoriano militi* (ob cædem Pertinacis) *ademptum, cùm nollet herum deserere, sequeretúrque hinniens; eò miserationis dominum adegisse, vt se ipse equumq; interfecerit; visum spectantibus libenter lateque cum domino mori.*

Sed quem non excitet equi in Cloelium fides? Clade Cannensi eques Romanus Cloelius, vulneribus confectus, pro mortuo relictus erat. Manè facto, Hannibal pugnæ locum petit. Iacebant lacera corpora, trunci artus, mortui semimortuis mixti, atque inter istos Cloelius; qui ad strepitum aduentantium, caput ac linguam mouens, extremam vocem cum gemitu effudit. Agnouit domini vocem equus, quem captum Numida iuxta Hannibalem insidebat. Aures arrigit, & acri hinnitu edito prosiliens, sessorem humo sternit. Currit per cadauera, & in ore domini iam mortui consistit, & cùm mouere non videret, ipso collo inclinato, armisque submissis, vt solet, inuitat ad scandendum, diro illo Hannibale etiam miserante, & fidem animantis demirante. Hæc Lipsij elegans narratio in Epistolis ad Belgas. An hunc Caligula pro Incitato suo non iudicasset Consulatu & Sacerdotio dignum? An Alexander (vt Bucephalo) non duxisset exequias, non dedisset inferias, aut tumulum extruxisset? Certè humanam animam hoc pectus inhabitasse quis dicat. At Silij versibus Historiam audire lubet, quam vix sine lacrymis lego, lib. X.

Quas inter strages, confossus pectora telis,

Semi-

Seminecem extremo vitam exhalarat in auras
Munere, deficiens iam Clœlius, oráque nisu
Languida, vix ægrâ & dubiâ ceruice leuabat.
Agnouit sonipes, arrectísque auribus acrem
Hinnitum effundens, sternit tellure Vagesum,
Quem tunc captiuo portabat in agmine, dorso.
Hinc rapidum glomerans cursum per lubrica pinguis
Stante cruore soli, & mutilata cadauera cæde,
Euolat, ac domini consistit in ore iacentis;
Inde inclinatus, collum submissus & armos
De more, inflexis præbebat scandere terga
Cruribus, ac proprio quodam trepidabat amore.

Vbi nunc hominum amor & fides, præ fide tantâ bruti animantis? Et lacrymas meretur Pallantis equus, qui mortuo domino est illacrymatus, si Maroni fides:

Post bellator equus, positis insignibus Æthon,
It lacrymans, guttisq; humectat grandibus ora.

Nec Poëticas lacrymas puta, sed veras, quales & Iulio Cæsari fusas ab equis suis scribit Suetonius cap. LXXXI. augurio futuræ cædis: *Proximis diebus, equorum greges, quos in trajiciendo Rubicone flumine consecrarat, ac vagos sine custode dimiserat, comperit pertinaciſsimè pabulo abstinere, vbertimq; flere.* Ne etiam dubites, Suetonio & Plinio addo Isidorum lib. I. cap. XII. *Interfectis vel morientibus dominis multi lacrymas effundunt.* Sanè in re obscurâ si coniecturam adhibere licet, causam non reperio, cur perfidi vulgò ac proditores soleant equorum tractu discerpi, nisi vt acerbiùs recordentur fideliſsimorum animalium ope se lacerari in perfidiæ suæ pœnam. Sic ergo Metius Suffetius, auctore Liuio, ob defectionem quadrigis in diuersa nitentibus laceratus est.

Sed de hipparchiâ seu victoriæ cupiditate iam dicendum. Virg. III. Georg.

——*Animos nunmq; notabis;*
Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ.
Nonne vides, cùm præcipiti certamine campum

Corri-

Corripuêre, ruuntq́, effusi carcere currus?
Nec mora, nec requies: it fuluæ nimbus arenæ.
Tantus amor laudum, tantæ est victoria curæ.

Oppianus in Halieuticis:

Hic generosus honos, & gloria maior equorum,
Non capiunt animis palmas, gaudéntque triumpho.
Nónne vides victor quantò sublimiùs altum
Attollat caput, & vulgi se venditet auræ?

Non dubiè, inquit Plin. lib. VIII. cap. XLII. *intellectum adhortationis & gloriæ fatentur.* Quod duabus astruit Historijs inde petendis, quæ circo magis faciunt quàm bello. Sed in rem facit Alexandri *Bucephalus, qui Thebarum oppugnatione vulneratus, Alexandrum non est passus in alium transire.* vt ego quidem auguror, ne victoriæ expers esset. Adeò verò etiam excedunt animis equi, cùm diu prælijs interfunt, vt efferi fiant, denuoque sint domandi. Cic. I. Offic. *Equos propter crebras contentiones, præliorum ferocitate exultantes domitoribus tradere solent.* Sed quo teste Cœlius Rhodiginus & Alexander Neapolitanus affirment, equum Tiberij oculis flammigerare solitum in bello, fateor me nescire.

Hucusque equi indoles ostensa, quam bello natura comparauit. Quid iam de docilitate & arte? *Docilitas tanta est*, ait Plinius lib. VIII. cap. XLII. *vt vniuersus Sybaritani exercitûs equitatus ad symphoniæ cantum saltatione quadam moueri solitus inueniatur.* Plutarchus in Gryllo: *Equi in theatris decubitus, tripudia, & stationes periculosa, motionesq́, nec hominibus admodum pronas exactè effingunt, edocti ac reminiscentes ad demonstrandam docilitatem suam.* Sed hæc mimica magis quàm militaria; pugnas velim, non choreas. Ergo, *inter prælia, hostes morsu petunt*, ait Solinus cap. XLVII. & *tela humi collecta equiti porrigunt*, inquit Plinius lib. VIII. cap. XLII. *Sacarum equi*, ait Ælian. lib. XII. Var. hist. *si qui sessorem excusserint, subitò consistunt, vt rursus ascendere possit. Apud Ircas docentur à venatoribus in ventrem se submittere, ne eminùs detegantur*, scribit Herodotus lib. IV. Apud Hispanos, ait Strabo

bo lib. III. *in genua subsidere iubentur.* quod Romanis vulgare fuisse, insinuat Dio Cassius lib. XLIX. scribens de rebus Antonij, explicansque testudinis instruendæ modum. *In oppugnandâ munitione subeunt* (testudinem) *& quosdam in ipsum murum attollunt, aut circumuenti à sagittarijs, inclinant se omnes; nam & equi docti sunt in genua submittere se & inflectere.* An non etiam pedibus insilire in hostem discunt equi? Idem refert libro v. *Insidebat Artybius* (Persarum Dux) *equo in armatum erigere se docto. Quod cùm audisset Onesilus, ad satellitem suum, Audio, inquit, Artybij equum edoctum se erigere, & pedibus simul atque ore eum, in quem agitur, interficere. Proinde tu dicito, vtrùm malis obseruare, equúmne tibi feriendum, an ipsum Artybium? Ad quem seruus, Ego, inquit, Rex, paratus sum ad vtrumque, & alterutrum, & omnino quidquid imperaueris facere. promam tamen quid rebus tuis conducibilius sentiam. Regem ac Ducem oportere cum Rege ac Duce certare, nos autem famulos cum famulis. Quod ad equum attinet, non est caussa, quòd eius artificium extimescas. Recipio enim tibi, eum posthac aduersus neminem se erecturum. Hæc illo locuto, exercitus conflixêre, & circa Imperatores hoc actum est: vbi Artybius equo, cui insidebat, in Onesilum inuectus est; Onesilus* (vti conuenerat cum satellite) *ipse inuadentem Artybium ferit: eius satelles sublatos equi pedes in Onesili scutum eos iactantis falce abscidit.* Nónne alioqui *puduisset* (quod Plinius ait) *hominum artes ab equis vinci?* Ecquod igitur animal bello aptius atque vtilius seu naturâ, seu arte? Non iniuriâ profectò *Orus* apud Plutarchum *Busiridi roganti, Ecquod animal eunti in prælium conduceret maximè; respondit: Equus. stupénsque, cur non leonem dixisset potiùs; occurrit, Esse quidem ope indigenti, conducibilem leonem, sed equum ad hostem conficiendum in fugam effusum.* Chryfantas verò libro IV. Pædiæ Cyri, apud Xenophontem, *Ego profectò*, inquit, *ita cupio tenere scientiam equitandi, vt existimem me fore hominem volucrem, vbi factus fuero eques.* Tantas nimirum equus bello adfert commoditates. An mirum in fidera relatum, proximumque locatum Delphino, ob in-

signem celeritatem & fidem? Manilius canit libro I.

Tum quoque de ponto surgit Delphinus ad astra
Oceani caliq; decus per vtrumque sacratus;
Quem rapido conatus equus comprendere cursu
Festinat, pectus fulgenti sidere clarus.

CAPVT II.

Equitare, & ex equo pugnare, qui primi docuerint.

Admiratio equitationis, Dijs eam artem adscripsit. Variæ de eo inuento sententiæ. Hinc Centaurorum & Hippocentaurorum fabula nata. Quos fuisse constat, non tamen generari. Antiquissima equitum bellatorum memoria apud Moysen bello Pharaonico. Amazones ingentem exercitum equestrem conflarunt. Quarumdam præterea mulierum equestris gloria.

EQVITANDI artem recèns natam adeò Ethnici olim mirati sunt, vt Deo alicui inuentori retulerint acceptam. Neptuno plerique attribuêre (vt & equi ipsius molitionem) Homerus in Hymnis, Sophocles in Oedipode, Pausanias Achaïcorum libro VII. Hinc *hippius*, id est *equester*, postremi auctoris testimonio dictus; quin equestres ei ludi in Circis consecrati; & Hippocampis per mare vehi solitus, figmẽto Pictorum. Alij Heroibus, Semideis nempe, diuinam propè artem adscripsêre. Bellerophonti Plinius libro VII. cap. LVI. Apollonij enarrator & Dicæarchus, Sesonchosi, seu Sosostri Ægyptio: Ælianus lib. IX. cap. XVI. Mari Italo: Palæphatus lib. I. Incredibilium, Centauris; quibus & pugnandi ex equo inuentionem assignat, aitque Centauros dictos ἀπὸ τοῦ κεντεῖν τοὺς ταύρους, à stimulandis tauris. *alioqui nihil tauri Centauris ipsis ineſſe, sed equi atque viri speciem.* Quam vocis originem asserit aduersus Tzetzen Palæphati metaphrasten Iacobus noster Salianus Annalium suorum Tomo II. Hi verò Centauri ijdem sunt, quos Plinius loco dicto, & Virgilius Pelethronios Lapithas appellat III. Georg.

Frena Pelethronij Lapithæ gyrosq; dedere.

At-

—— Atque equitem docuêre ſub armis
Inſultare ſolo. ——

Ferorum ergo taurorum infeſta incurſio anſam Theſſalis præbuit, ait Palæphatus, *domandi tum primùm equos, docendíque quomodo equites ſeſſoréſque dorſo geſtarent; tauróſque ipſi ex equorum dorſo ferirent ac necarent.* Sic Theſſalis duplex adhæſiſſe nomen per vnius rei occaſionem inſinuat; Centaurorum, ab occiſis tauris; Hippocentaurorum, ab inſcenſis equis, ad necandos tauros. Potuiſſent certè non ineptè vocari Hippandri vel Andrippi, vtpote qui primùm nouæ rei aſpectu, monſtrorum inſtar, viſi parte eſſe homines, parte equi. *Hinc incredibilis fabula confecta eſt*, ait Palæphatus, *quaſi viri equo mixti geniti fuiſſent.* Quam originem & Diodorus confirmat. Quamquam Pindarus Hippocentauros naſci ex hominibus & equis Magneſijs finxerit; & Cæſar Claudius apud Plinium ſcripſerit, *Hippocentaurum in Theſſaliâ natum eodẽ die interiiſſe. Et nos*, ait Plinius lib. VII. cap. III. *principatu eius allatum illi ex Ægypto in melle vidimus.* D. Hieronymus quoque S. Antonio viam ab Hippocentauro in ſolitudine oſtenſam narrat. Quid hîc dicam? Certa mihi Cæſaris, & Plinij oculati teſtis, & Hieronymi fides. Nam & monſtrum aliquod naſci potuit, & Antonio dæmon aliquis illudere ſpecie Hippocentauri. Quod fortè non cogitarat Tullius, cùm interrogat libro II. de Nat. deorum: *Quis enim Hippocentaurum fuiſſe aut Chimæram putet?* At certè naſci communi naturæ lege Hippocentauros, fabuloſiſſimum reor cum Lucretio lib. v.

Sed neque Centauri fuerunt, neque tempore in vllo
Eſſe queat duplici naturâ & corpore bino
Ex alienigenis membris compacta poteſtas.
Hinc illinc par vis, vt non ſic eſſe potis ſit.

Et confirmat Galen. lib. de Vſu partium. Nos iam ad veriores Hiſtorias redeamus.

Equeſtris militiæ & hippomachiæ mentionẽ primus fecit Moyſes bellorũ ſuorum adminiſtrator ipſe & ſcriptor, celebrans victoriam de Rege Pharaone relatam, Exod. XV. *Can-*

temus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare. Hîc equum appellat, & *ascensorem*, quem quidem bellatorem fuisse constat cap. Exodi præcedenti: *Omnis equitatus, & currus Pharaonis, & vniuersus exercitus, erant in Phihahiroth.* Erat ergo ascensor ille bellator, seu hippomachus in equitatu Pharaonis, vt infrà post pauca: *Persequentesq; Ægyptij ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus eius & equites*, &c. Et clarissimè cap. xv. *Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare.* vtique ad bellum, & in exercitu; aut cui bono eques Pharao & equites eius? Equites quidem, non milites facilè eos concedam fuisse, qui Iosepho paternum funus procuranti adfuêre, Genesis cap. l. *Habuit quoque in comitatu currus, & equites, & facta est turba non modica.* Sed de bellatoribus nulla (quod sciam) antiquior vspiam memoria. Certè non indicat in castris suis vllum fuisse equitem Moyses. Primis item duobus ab orbe condito bellis, Genesis xiv. Regum nempe quatuor aduersus quinque; & Abrahæ aduersus victores Reges, pro redhibēdo fratre Loto, nullum equi equitisve vestigium. nulla mentio item fraterno bello, quod metuebat ab Esauo Iacob, Genes. xxxii. Intereà ergo cœpti doceri ad pugnam equi, intereà equo exercitatus miles, & de pedite eques factus & bellator: prodieruntque in bellum, anno mundi MM. D. XLIV. quo deletus est cum exercitu Pharao. Enimuerò vt Iacob equite caruit, ita & posteri eius Israëlitæ. Origenes Homiliâ xv. in Iosue: *Filij Israël numquam equis vsi esse referuntur.* Atque id Hieronymus in Psal. LXXV. ait Lege præceptum. Lex extat Deuteron. cap. XVII. *Non multiplicabit sibi equos.* Ergo *Salomon non habebat de Ierusalem, aut de Iudæâ, sed emebat sibi de Ægypto*; ait ibidem Hieronymus. idemque Commentarijs in cap. XXXVI. Isaiæ, *Non de imbecillitate*, inquit, *populi Iudæorum erat, quòd equitandi carebant scientiâ, sed de obseruatione mandatorum Dei.* Basilius in cap. II. Isaiæ, *Nullo non loco Scripturæ*, ait, *obseruauimus, sanctos deuitasse vsum equorum; quin & de his, qui in procinctu instruun-*

ſtruuntur ad bellum. At hæc Legis verba Philo libro de Agriculturâ, myſticè explicauit de equis animæ. quare non iniuriâ quærit Serrarius quæſt. VII. in cap. XI. Ioſue, vbinam in Lege prohibitus equorum vſus ſit. Nam loco illo Deuteronomij, quo id Hieronymus cautum vult, non niſi de Rege agi Serrarius notat; Regiúque non penitus omni equorum vſu interdici, ſed multitudine: populo verò neque paucitate interdici, neque copiâ. Reſpondet: *Si quibus maximè conceſſa multitudo equorum videretur* (nempe Regibus) *ijs non conceditur, quanto alijs minùs?* Igitur benè allata Deuteronomij Lex, vt Hieronymo conſentit Ribera in cap. XIV. Oſeæ. Atque ad reſpectum Legis, iuſſus fortè diuinitus Ioſue cap. XI. captos hoſtium equos ſubneruare. Nempe, quia nolebat Deus Iſraëlitas equitatu vti ad bella, ob cauſſas dicendas Libro II. cap. I. Priuatus aliquis equorum vſus conceſſus videtur fuiſſe Iſraëlitis ante Moyſaicam Legem: Ioſephus enim Geneſis XLVII. equis Ægyptiorum commutauit annonam, quam famentibus eo pretio erogabat: *Poſt Legis promulgationem verò, ante Salomonis tempora*, ait Serrarius, *nullum neque apud priuatos, neque apud Optimates aut Reges Iſraëlitas equorum vſum lego.* Hæc præterire maluit Polydorus Virgilius, pro ſuo in fabulas affectu, quàm à ſacris Scriptoribus petere ſtudio veritatis.

Iam ad muliebrem equitatum. Is adeò eſt antiquus, vt ipſam equitandi inuentionem Amazonibus adſcripſerit Orator Lyſias, teſte Hermolao apud Plinium lib. XXXVI. cap. V. Quarum hiſtoriam etiamſi fabuloſam exiſtimauerit Strabo libro XI. Geographiæ, certè tamen leues eſſe eius rationes, oſtendit Raderus noſter Commentarijs in lib. VI. Curtij. Atque vt inflatiùs nonnulla de Amazonibus ſcripta ſint, equitaſſe tamen in bellis, omnino eſt certiſſimum. Teſtem inprimis laudare poſſum Herodotum, qui lib. IV. refert, *Amazones è nauibus egreſſas quàm primùm equos nactæ ſunt, conſcendiſſe, diripuiſſeq; obequitantes è Scythis prædas.* Accedit Iuſtinus, qui hæc adfert lib. II. *Virgines non otio neque lanificio, ſed armis,*

equis, venationibus exercebant, inuſtis infantium dexterioribus mammis, vnde Amazones dictæ ſunt. Curtius præterea lib. VI. *Thaleſtris equo deſiluit, duas lanceas manu tenens.* Metrodorus quoque Sceptius & Hypſicrates apud Strabonem lib. XI. tradunt, *Amazonas præcipuam paſcendorum equorum curam habere; robuſtiores verò in equis venationes & bella exercere.* Quibus paria adferuntur ab Hippocrate & Diodoro Siculo non vno loco. Poëtæ denique turmarum ductrices fecêre Amazones, cùm de ijs ſcripſêre, vt de equeſtri earum militiâ non ſit dubitandum. Sic Claudian. lib. II. de Raptu:

Qualis Amazonidum peltis exultat ademptis,
Pulchra cohors quoties Arcton populata virago
Hippolyte, niueas ducit poſt prælia turmas.

Sic Maro lib. X. Æneidos de curru Pentheſileæ:

Qualis Threiciæ cùm flumina Thermodôntis
Pulſant & pictis bellantur Amazones armis,
Seu circum Hippolytem, ſeu cùm ſe Martia curru
Pentheſilea refert.

Sic Propert. lib. III. Eleg. XI. de equo eiuſdem:

Auſa ferox ab equo quondam oppugnare ſagittis
Mæotis Danaûm Pentheſilea rates.

Certè non Amazones ſolummodò, ſed & Myſas feminas ex equis pugnaſſe, Philoſtratus in Heroicis, Florus Cymbrorum vxores è plauſtris, Zabecum vxores currus aurigaſſe Herodotus, ſcripſêre. Denique Camillam Volſcam Maro lib. XI. equitem fecit, cuius verſus elegantiſſimos, quibus Auni filium Camillæ inſultare facit, ſubſcribam, vt equeſtri militiæ accommodatos:

—— Quid tam egregium, ſi femina forti
Fidis equo? dimitte fugam, & te cominus æquo
Mecum crede ſolo, pugnæq; accinge pedeſtri:
Iam noſces, ventoſa ferat cui gloria laudem.
Dixit: at illa furens, acriq; incenſa dolore,
Tradit equum comiti, paribuſq; aſſiſtit in armis.

Poſt

Post pauca denique Aruntis telo confixam sic equo defluentem describit:

—— Simul his dictis linquebat habenas
Ad terram non sponte fluens. ——

At iniuriam fecero muliebri fortitudini, si tacitus præteriero Semiramidis animos, quæ equo in bellum profecta, exercitum duxit tricies centies mille peditum, equitum quingenties mille, curruum millia centum, vt scribit Diodorus lib. II. cap. V. eo verò corporis habitu profecta, vt *cùm ei circa cultum capitis occupatæ nuntiatum esset, Babylonem defeciſſe, alterâ parte crinium adhuc ſolutâ protinus ad eam expugnandam cucurrerit, nec priùs decorem capillorum in ordinem, quàm tantam vrbem in poteſtatem ſuam, redegerit. Quocircà* (inquit Valerius lib. IX. cap. III.) *ſtatua eius Babyloniæ poſita eſt in illo habitu, quo ad vltionem exigendam præcipiti celeritate tetendit. Traditur denique Amazonum reginam, nomine Myrinam, exercitum triginta millium peditum, duorum millium equitum confeciſſe, maximâ ſpecie victoriæ in equitibus poſitâ. Tegmentaq; corporum pro armis habuêre, ſerpentum magnorum coria,* ait Diodorus Siculus lib. III. cap. IV.

CAPVT III.

Equitandi ars initio rudis, frenis calceiſq; equorum adiuta.

Qui equitarint ſine frenis. Habena, capiſtrum, orea, frenum, lupatum, camus, vnde dicta, quando inuenta. Freni partes, pſellium, henium, echini, ſtelliſterium. Calcei equorum ferrei, argentei, aurei. Quæ clauorum herba, ne equi lædantur in calceatu.

RVDIA sunt scientiarum artium que omnium principia; tempore scilicet expoliuntur, vt lambendo vrsorum catuli. Sic adoleuit paulatim equestris militiæ vsus. Equi enim non docti statim, vt domiti; neque eques tam citò hippomachus, ac vector. Quibus ergo incrementis promotum? Scire-mus fortè, si Sarmenis equitis liber extaret, quem Plinius pri-

primum scripsisse de Equitatu refert lib. XXXIV. cap. VIII. Nunc diuinandum erit. Dicam de adminiculis equitationis singulis. Horum quædam equo, quædam equiti fuêre necessaria. Equo frenum & calcei, equiti strata seu ephippia, sellæ & stapiæ. His omnibus commodè iam equitatur. Initio equi effrenes (meâ quidem coniecturâ) regebantur voce & virgâ: hæc namque simplicissima gubernatio ac maximè rudis videtur fuisse omnium prima. Certè simplicitatem eam tenuit deinde variorum populorum consuetudo. Massylij, Libyes, Numidæ, Getuli. Lucanus lib. IV.

Et gens, quæ nudo residens Massylia dorso
Ora leui flectit, frenorum nescia, virgâ.

Strabo lib. XVII. extremo: *Massylij & Libyes paruis equis vtuntur, celeribus tamen & mansuetis, adeò vt solâ virgulâ gubernentur.* Liuius lib. XLV. *Numidæ equos conscendunt. Equi sine frenis.* De ijsdem Hirtius bello Africano: *Octo millia Numidarum* [an *octingenti?*] *sine freno.* Apud Virgil. IV. Æneid.

Et Numidæ infreni cingunt. ——

Apud Silium lib. I.

—— *Numidæ gens inscia freni,*
Queis inter geminas, per ludum, mobilis aures
Quadrupedum flectit, non cedens virga lupatis.

Qui idem de Getulis lib. II.

—— *Nullaq; leuis Getulus habenâ.*

Fortè excoli dein equitatio habenis cœpit, quæ manibus nempe habeantur; iniectumque equo capistrum, capitis vinculum; aut περιτραχήλιον seu collare, quo Mauros vti scribit Strabo, nullo ori adhuc impositio freno; aut simplex retinaculum aliquod, quale Arrianus lib. VIII. de Rebus Alexandri Indis vsitatum describit. *Summum equi os*, inquit, *corio bubulo crudo ambiunt, quod stimulos ferreos aut æreos continet introrsum versos.* Deinde credo inuentas esse oreas, quas Titinnius, Næuius, Cato & Cælius apud Festum, dictas volunt, *quia ori inseruntur.* Fortè Maro eas intellexit III. Georg.

—— *Det mollibus ora capistris.*

nam

nam capiſtra alioqui ori non inſeruntur, ſed oreæ. Poſt has, nónne credibile, excogitata fuiſſe frena, à *frangendo ore* appellata? Putare, aut diſputare, nullum crimen eſt. Et freni quidem partes multæ, vario fuêre vſui. Iulius Pollux accuratus eſt ijs recenſendis, capitis x. num. xi. *Quod mento ſubtenditur*, ait, *pſellium*; (Galli vocant *la gourmette*) *quod ori inſeritur*, χαλινὸς, *frenum*; *cuius medium*, *henium*; *huius circuli*, *quos equus mandit*, *dactyli*, *echini*, *triboli*. Hos rectè Lexicon vocat σελιστήριον, à σελίζειν, quod ſignificat *ſaliuare*, vt Plinius loquitur. Camus præterea & lupata, ſeu lupi inter frenos numerantur. χημὸν Lexicographus, *ſpeciem freni*, appellat. Sunt qui à κάμπτειν deriuent, quod *domare* eſt. Lorinus noſter ad illud Dauidis, *In camo & freno*, addubitat, an camus ſit fiſcella ferrea ori equorum appenſa, ne mordeant. S. Hieronymus explicans illud Iſaiæ, *Ponam circulum in naribus tuis*, circulum illum *camum* vocat. vnde fortè Gallicum *caueſon*. Lucillio ille narium circulus eſt poſtomis, apud Nonium:

Trulleus poſtomis huic ingens de naribus pendet.

Camum Plautus in Caſ. Scen. viii. funem eſſe inſinuat, quem capitis rei ferebant:

Deos quæſo, vt camum & furcam feras.

Quis autem funis ille furciferorum ſit, Plutarchus lib. de Serâ Numinis vindictâ, & in Cleomene indicat, quo nempe eorum fauces innectebantur, vt curiosè Pineda noſter in cap. xxiv. Iobi verſ. xii. num. vi. & Lorinus. Denique Quirinus noſter Zalazar Prouerb. xxvi. explicans illud Salomonis, *camus aſino*, camum exiſtimat lupatum eſſe. Mihi ſatis eſt variorum ſententias attuliſſe. At quid lupus, ſeu lupatum, ſeu lupata frena? Turnebus docuit lib. xi. cap. xxviii. *Frena*, inquit, *lupata, quæ & lupata etiam ſine additamento dicuntur, frena ſunt lupos habentia, duriora aſperioráque, vt currus falcati dicuntur, qui falces*, &c. *Eſt autem lupus ferreum inſtrumentum, vncum, ſimile dentium lupinorum. Liuius lib.* xxviii. *In alios lupi ſupernè ferrei iniecti, vt in periculo eſſent, ne ſuſpenſi, in murum extraherentur.* Λύκος *eodem modo Græcè dicitur ferrum quoddam*

freni, vnde lupatum. Hinc λυκοστάδες *equi à nonnullis explicantur. freni autem lupati ad os equi, quantumuis ferocis, temperandum domandumq; aptissimi sunt.* De lupo Ouidius IV. Trist. Elegiâ V.

Tempore paret equus lentis animosus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.

De lupatis I. Amor. Eleg. II.

Asper equus duris contunditur ora lupatis.

De lupatis frenis Horat. lib. I. Od. VIII.

—— *Gallica nec lupatis*
Temperet ora frenis.

Hæc vsu magistro, successuque temporum excogitata, apud diuersos. Frena Pelethronium inuenisse scribit Plinius lib. VII. cap. LVI. Virgilius populum Pelethronium freni auctorem facit III. Georg.

Frena Pelethronij Lapithæ gyrosq; dedêre
Impositi dorso. ——

Quamquam Turnebus Pelethronij nomen ibi quoque velit esse viri, non populi; parum secundo, vt mihi videtur, augurio. Quàm enim illa dispar Maroni locutio: *Lapithæ dedêre frena gyrosq; Pelethronij dorso impositi?* Papinius Neptuno inuenti lupati laudem præbere videtur lib. VI. Thebaïdos, nisi fortè Neptunum primum domitorem facere velit.

—— *Neptunus equo, si certa priorum*
Fama patet, primus teneris læsisse lupatis
Ora, & littoreo domuisse in puluere fertur.

A capite ad calcem, hoc est à frenis ad calceos descendo; ferrei enim calcei equinis soleis suppingendi sunt: nam equi *fatiscunt longiore itinere sine calceatu*, vt de camelis Plinius loquitur. De his Catullus:

Ferream vt soleam tenaci in voragine mula.

Aureos calceos Poppæa Neronis vxor delicatioribus iumentis suis induit; argenteis Nero calceauit. Id Plinius & Xiphilinus narrant. Antiquiórne Catullo sit equorum calceatus, quis diuinabit? Aldrouandus lib. I. de Quadrupedibus scribit:

bit: *Piloſellam, quouis modo equis applicatam, hoc adferre præſidij, vt ladi non poßint dum à fabris calceantur, eoq; clauorum herbam nominari.*

CAPVT IV.

Equitatio ſtratis, ephippijs, ſellis equeſtribus, ſtapijſq; perfecta.

Nudo equorum dorſo equitatum initio. Equorum ſtrata, ſeu ephippia, quando inuenta: quàm varia. Quando adhibitæ ſellæ equeſtres. Stratores. Lapides publici ad ſcandendum equum. Ἀναβολεῖς. *Stapiæ excogitatæ, & eorum varia appellatio.*

DVABVS rebus equus ad equitandum egebat, freno & calceis. Duabus præterea rebus opus erat ipſi equiti, ſtrato nempe ſeu ephippio, aut ſellâ equeſtri; & ſtapiâ, quæ tempore quoque ſunt inuenta. Primùm enim nudo equi dorſo equitabatur. Ita Maſſylæi. Lucan. lib. IV.

Et gens, quæ nudo reſidens Maſſylia dorſo.

Strabo lib. XVII. extremo: *Mauri pugnant ferè ab equis haſtati, equis nudis inſidentes. Germanis* (apud Cæſarem lib. IV. belli Gallici) *nihil turpius aut ineptius habetur, quàm ephippijs vti.* ipſi namque nudis equis vehebantur. *Strata equorum Pelethronium inuenisſe dicunt*, ait Plinius lib. VII. cap. LVI. Meminêre eorum, Seneca epiſt. LXXX. *Stultus eſt, qui equum emturus, non ipſum inſpicit, ſed ſtratum.* Iterùm: *Emturus equum, ſolui iubes ſtratum.* Liuius lib. VII. *Mulis ſtrata detrahi iubet.* Xenophon lib. VIII. Pædiæ de Perſis: *Nunc ſtragula plura in equis habent, quàm in lectis. Dorſualia* appellat Capitolinus. Atque hæc non vnius generis: fuêre è panno, corio, pelle, ait Lipſius lib. III. de Milit. Dialog. VII. Virgilius Æneæ equum leoninâ pelle veſtit, Æneid. VIII.

——— *quem fulua leonis*
Pellis obit. ———

Statius lynce inſternit Parthenopæi equum:

——— *Cornipedem*
Velatum geminæ deiectu lyncis.

Silius Flaminio Consuli tigrim substernit:

Caucaseam instratus virgato corpore tigrim.

Augustissimè Maro lib. VII. Æneid. auro & ostro:

Omnibus extemplò Teucris iubet ordine duci
Instratos ostro alipedes, pictisq; tapetis;
Aurea pectoribus demissa monilia pendent;
Tecti auro, &c.

Centunculis vilissimè Frontinus, sed pro dignitate agasonum satis etiam lautè, lib. II. cap. IV. *Agasones lixásque armatos simul ire iussit, iumentorúmque magnam partem, instratorum centunculis.* Nihilo splendidiùs Liuius in re simili lib. VII. *Binis tantùm centunculis relictis, agasones armatos imponit.* at in luxu copiosiùs lib. XXXIV. *Equus tuus pretiosius instratus erit, quàm vxor vestita.* Hæc verò strata sunt ephippia. Nonius: *Ephippium, tegmen equi ad mollem vecturam paratum.* ἀπὸ τοῦ ἐφ' ἵππου. quin & eques ipse ἐφίππιος, vt ὁ πεζὸς, *pedes.* Quod accuratè Guido Pancirollus lib. II. tit. XVI. notat, & Lipsius lib. III. de Milit. Dial. VII. *Strata*, inquit, *Græci στρώματα pariter dixêre, itémque ἐφίππια, & Glossa prisca, ἐφίππιον, scordiscale.* Hinc in obscuro est tempus, quo natæ sellæ nostræ equestres, quas nos ephippia quoque appellamus ambiguitate vocis. Nam & ephippij meminêre Varro, Horatius, Cæsar, Gellius. Neque diuinare est facile, an de strato loquantur aut sellâ, cùm vtrumque verè ephippium appellari possit. Varro apud Nonium, *Fuit mihi puero equus*, inquit, *sine ephippio.* Horatius lib. I. Epist. XIV.

Optat ephippia bos. ———

Cæsar lib. IV. de Bell. Gall. *ephippia & ephippiatos rideri à Germanis* ait; Gellius lib. V. cap. V. *Equitum ephippijs præfulgentem.* Quid intelligimus? strata, an sellas? Polydorus Virgilius, & Ioannes Coraſſius grauiter vapulant Pancirollo, quòd ephippia Pelethronijs retulerint accepta, auctoritate Plinij tribuentis Pelethronio equorum strata. At miror cur succenseat ijs qui inuenta ephippia tribuunt Pelethronio, cùm ipse strata quoque dicat esse ephippia. Cautiùs loquendo cauit

Lipsius

Lipsius lib. III. Milit. Dial. VII. licet anceps & nutans. *Sellas illas nostras*, inquit, *negaui perueteres, non tamen facio nouitias. & fortasse Sidonij Apollinaris æuo iam in vsu. Inducunt hæc verba lib. III. Epist. III ad Edicium: Alij sellarum equestrium madefacta sudoribus fulcra resupinant. Nam & sellas vocat, & resupinata fulcra; vtrumque pro hodiernis. Quid? quòd & in columnâ Traiani, forma quadam nostræ sellæ consimilis? Imperatorios equos ex eâ supra dedi, & respice. Sed fortasse è verius, structum factumq; aliquid è pannis ibi, ad mollius insidendum, sine ligno tamen aut ferro. An & Dionis ea mens, vt sub Nerone primùm hæc talia ephippia equites receperint? Vix opinor, nec eò produxerim.* Pancirollus lib. II. Titulo XVI. *Sellæ etsi non vsque adeò antiquæ sunt, vsum tamen harum fuisse inuenio, imperante Constantino filio magni illius Constantini, anno Christi* CCCXL. *scribit enim Zonaras, quòd Constans fratrem Constantinum equo & sellâ deturbauerit. De sellâ etiam Theodosius Magnus L. Quoniam. C. De cursu pub. lib.* XII. *& Leonis Imperatoris constitutio. L. vnic. C. Nulli liceat in frenis. lib.* XI. *Nicetas quoque de sellâ Theodori cuiusdam loquitur, in Vitâ Andronici Comneni.* Sauaro ad Sidonij citata verba, *Equinæ sellæ mentio*, inquit, *apud Iordan. in Histor. Gotth. Sellæ equitatoriæ, apud Paullum Diacon. in Marciano & Valentiniano.* Vnde *sellaris*, id est equus sellæ & freni patiens, apud Fortunat. in Vitâ Germ. cap. XXIII. Lipsius in Analectis addit, *sedilia* vocari in Panegyrico Nazarij ad Constantinum. Vegetius alibi *sellas: Africa quos velocissimos præstat ad vsum sellæ.* item: *Equorum mulorumq; genus sub sellis, aut sagmis.* Hæc sellarum antiquitas, quarum capulus, quem Galli vocant *l'arson*, Cælius *astrabem* dici scribit lib. XI. cap. LXV. Iam, ne quid omittam, tribus vinculis equo alligantur sellæ, ad firmitatem. *Antilenâ*, quæ lorum est pectori equino præductum; imitatione Plauti, qui in Casin. *Postilenam* vocat vinculum sub caudâ. ἀντωλήν appelles: denique *cingulâ*, seu zonâ, quâ venter equi substringitur textu canabino. Cingulæ Ouidius meminit lib. de Remed. amoris:

Et noua velocem cingula ladat equum.

Apuleius: *Ephippia fucata, cingula armata.* Sic corrigit Io. Bapt. Pius, non *fingula.* Zonæ Claudianus in Epigr. de Arcadij equo:

Hac vterum zonâ cinge frementis equi.

De ſtapiâ nunc dicendum, cuius nulla mentio ante tempora Homerici interpretis Euſtatij, qui ſimile aliquod inſtrumentum prodit. Olim certè quemadmodum nudos inſidebant equos, aut ſtratos, ita ſaltu eos inſcendebant, donec ſubinde adhibiti ſtratores, & ſuppedanea ſaxa publicis in vijs, quorum loco tandem ſtapiæ noſtræ. De ſaltu Vegetius lib. I. cap. XVII. *Non tantùm à tironibus, ſed etiam à ſtipendioſis militibus ſalitio equorum diſtrictè ſemper exacta.* Virgilius Æneid. XII.

——— *Corpora ſaltu*
Subijciunt in equos. ———

Iam quibus altiores equi, aut minor ſaliendi vis, ij iubis vel auribus equorum arreptis ſe ſubleuabant. Ita de Hibernis Stanurſtius lib. I. *Iubarum ſetas, aut equorum auriculas ſiniſtrâ apprehendunt; atque dum equi obſtipis capitibus quietè ſe inclinant, equites, etiam loricis aut ſagis amicti, mirâ corporis agilitate ſe efferunt, diuaricatiſq; cruribus ephippia occupant.* Incredibile propè eſt, quod Fulgoſus narrat lib. III. cap. II. de Galeacio Bardaſſinio equite Siculo. *Hic,* inquit, *ab Alphonſo ſeniore Neapolitanorum Rege armis perſæpè tectus, ephippio inter coxas accepto, ingentem equum crinibus apprehenſis ſaltu conſcendit, ſtatimq; (nullis firmato vinculis ephippio) eum ad curſum adegit, coxarum ac crurum firmitate pro cingulis vſus.* Alij equos condocefaciebant ſeſe ſubmittere ad faciliorem inſcenſum. Strabo lib. III. Geograph. *Hiſpanorum equi in genua ſubſidere docti, vbi vſu ferente iuberentur.* Pollux lib. I. cap. XI. *Inſtituendus etiam equus, vt ſe ſubmittat, vt facilius eques conſcendere poſſit.* Silius lib. X. de equo Cloelij equitis Romani:

Inde inclinatus, collum ſubmiſſus & armos
De more, inflexis præbebat ſcandere terga
Cruribus. ———

Aliud

Aliud inſcendendi equi adminiculum, *lapides publici* ſecundùm viarum latera ſubrecti. De his Plutarchus in Gracchis, dum notat, *Gracchum lapides haud longè diſtantes in viarum marginibus defixiſſe, vt eſſet facile ijs, qui equos haberent, eos inſcendere.* Xenophon Hipparcho: *Quia equos aſcendendi ratio non facilè expediri poterat, ab ijs præſertim qui viribus non valebant, à quibus ſubleuarentur; Viocuri, ſeu, qui vias militares ſternebant, in lateribus viarum collocabant altiores quoſdam lapides, ex quibus paruo negotio quilibet poterat ſe conijcere in dorſum equi.* Volaterranus Epitome ſuâ in Xenophontem ait, mancipia ſolita dominis dorſum ſubijcere ad inſcendendum. Stratores, qui ſubleuarent equites ad aſcenſum, paſſim noti, à ſternendis equis dicti. Ἀναβολεῖς Græcis, vt Lipſius obſeruat III. de Milit. Dial. VII. Plutarchus in Craſſo: *Craſſo admotus eſt equus, & ſtratores eum ſuſtollentes, impoſuerunt.* Sic Suidas ἀναβολέα interpretatur *eum qui in equum tollit.* Spartianus in Caracallâ, Ammianus lib. XXII. de Iuliano, & lib. XXX. de Valentiniano, & Euagrius lib. III. cap. XXIV. de Theodorico, *ſtratoris* quoque meminêre. His ergo præſidijs veteres in equos enitebantur; ſaltu, equis inclinatis, lapidum publicorum ſubiectu, auxilio ſtratorum, addo & haſtæ; quod poſtremum Lipſius Liuij abs ſe laudati verbis non probauit. *Coſſus haſtâ innixus, ſe in pedes excepit.* non enim dicit Liuius, *in equum.* Aptius Xenophontis (libello de Re equeſtri) teſtimonium eſt: *Ne, ſi de haſtâ conſcenſurus eſt, equum conuellat.* Sed quàm glorioſum victori equiti adminiculum ſubſtratus pedibus hoſtis, qui tergum locet pro ſtratore aut ſaxo? Miſeranda ſeruitus victo, quam Valerianus Imperator Sapori Perſarum Regi præſtitit quoties ſubibat in equum, auctore Trebellio; & Bajazethes Tamberlano, referente Iouio. Anaboleus ergo (ſeu *ſcala*) ſubinde inuentus eſt, de quo Lipſ. III. de Milit. Dial. VII. allatis Suidæ verbis: *Anaboleus etiam ea, quæ Romanis ſcala dicitur. Et Maſiniſſa, cùm ſenuiſſet, in equum ſine ſcanſorio inſtrumento conſcendit.* Adfert & Euſtatij interpretationem Odyſſ. X. verſ. CLV. *Anaboleus non ſolùm ferrum illud minu-*

minutum dicitur, cui pedes imponunt quidam, vt inſcendant commodiùs, ſed etiam vir ipſe, qui ad tale opus adiutat. Ex quibus Budæus efficit, veteribus etiam notos fuiſſe ſubijces illos pedaneos ex ephippio vtrimque dependentes, quibus hodie vtimur ad ſcandendum, & innitendum. Quod tamen verba Euſtatij mihi clarè non dicunt, ſed potuit inſtrumentum deſignare non penſile, ſed portatile, quod apponerent iuxta equum, vt eo velut gradu attollerentur, &c. *Sed quidquid huius ſit, tene tamen, Euſtatium dicere, quoſdam vſurpaſſe, non ergo vulgò omnes. Et eius ævo, ſi pedanei illi ſubijces fuerunt, non certè priſco magis; quod ſtatuæ, & imagines omnes euincunt. Nuſquam enim in ijs forma aut veſtigium, & pedes ſemper penduli, ſine alio fulcrò. Atque adeò res noua, vt nec ſit ei Latinum nomen.* Ijſdem propè rationibus nituntur, qui aſſentiuntur Lipſio, Hieronym. Magius lib. II. Miſcellan. cap. XIV. & Pancirollus lib. II. Tit. XVI. Certior ſanè coniectura de ſtapiarum origine fieri non poteſt. nam & ambiguum earum apud Græcos nomen ἀναβολὰς (quod & virum ſubleuantem, & pedaneum ferrum ſignificat) perinde perplexam obſcuramque earum antiquitatem fecit, atque ephippij nomen obſcurauit originem ſellarum equeſtrium, quod ſtragulis æquè ac ſellis eſt commune. Magna lis tamen de ſtapiâ eſt Galeotto Martio Narnienſi cum Ioanne Tortellio Aretino, quam Hieronymus Magius narrat libro II. Miſcell. cap. XIV. Galeottus lib. de Doctrinâ promiſcuâ cap. XXVIII. Tortellio dicam ſcribit, quòd is prodiderit, *ſtapedas apud Antiquos non fuiſſe in vſu.* Ipſe autem Antiquis notas fuiſſe probat illo Lucretij verſu lib. V.

Et priùs eſt armatum in equo conſcendere cloſtris.

Kloſta autē ſcala eſt, inquit, & id quod ab ephippijs ad ventrē vſque equorū pendet, aſcēſuro in equum vt ſcala facilitatem præbeat. Interuenit pro Tortellio Hieronymus Magius: At, dicat Galeottus, ait, quonam Lucretij codice *cloſtris* legerit, & apud quem Auctorē *kloſtam* ſcalā ſignificare inuenerit. Omnia enim exemplaria tam manuſcripta quàm cuſa ſic habēt:

Et priùs eſt armatum in equi conſcendere coſtas.

&

& Græcis non *klostâ*, sed κεφος scalam significari, vt omnes norunt. Ego sanè, si iudex datus sim, litem dem secundùm Magium, qui his præterea argumentorum subsidijs iuuat Tortellij causſam: Xenophon, libello de Re equestri, docens, quo pacto equus conscendi debeat, stapiæ non meminit, sed solius salitionis. Hippocrates lib. de Aëre, aquis, &c. innuit, Scythas aliasque nationes ætate suâ stapijs non fuisse vsos; narrans morbos quos equitando eorum pedes contrahunt, propendentibus semper tibijs. Suetonius in Caligulæ Vitâ, equitum crura, nullibi conquiescentibus pedibus, propendere consueuisse demonstrat, dum Germanicum Caligulæ patrem, ad crurum gracilitatem replendam, assiduâ equitatione vsum scribit post cibum: pransorum enim pendentes tibiæ inflantur. Denique Iulius Pollux lib. x. cap. x. & xii. de equestribus instrumentis agens, postquam executus est omnia, stapiæ non meminit omnino. Iam de stapijs, nisi fallor, satis, vbi earum expediero variam appellationem. Romæ vetus inscriptio (quam Lazius & Magius adferunt) habet nomen *stapiæ:*

CASV DESILIENS, PES HAESIT STAPIAE, ET TRACTVS INTERII.

Bistapiæ mentionem se reperisse in Hieronymi Epistolis (nullâ citatâ) affirmat Magius. *Subsellares* appellat Auicennæ interpres, vt Cælius monet lib. xi. cap. lxv. *Subijces pedaneos* Budæus vocat. *Stapedæ* nomen dedit Franciscus Philelphus, teste Lipsio. *Stapedes* Grapaldus dixit. *Scansile ferrum* Rob. Walturius. *Strepam* scripsit Hermoldus lib. iv. de Rom. Imperatore, cap. xxi. Hucusque de adminiculis equitationis.

CAPVT V.

Elephanti & cameli olim bello adhibiti, cur tandem missione donati.

Elephantos militiæ commendarunt, Robur, Terror, Peritia pugnandi, Fides. Mira de ijs Plinius, alijque, sed vera. Elephas XXX. *armatos vnâ in turri gestat: strages quantæ ab eis editæ. Terror à nouitate, deformitate, odore, & horrendo stridore. Vt inter se & cum militibus pugnent. Herilis fidei admiranda exempla. Quantus eorum olim in bellis numerus. Remedia tandem aduersus belluæ terrorem reperta. Hinc eorum contemptus, cùm plus suis quàm hosti nocerent: sed ob alia quoque incommoda missi. Cameli velocitate & patientiâ sitis mirabili; ob pedum mollitiem bellis inidonei.*

AELIANVS lib. de Instruendis aciebus, bellatores diuisit in *Pedites* & *Vectores*. *Vectores in duplex genus, quippe qui aut curribus consistant, aut equis ipsis insideant. Imò*, inquit, *alij elephantis vehuntur*. Sic Suidas voce Ἱππικὴ tria facit rei equestris membra. *Nam ea constat*, ait, *partim equis, partim elephantis, partim curribus*. Vterque camelos prætermisit. Hos equitatui Iulius Pollux adscripsit lib. 1. cap. x. *Bactriani*, ait, *etiam camelis pugnant; sunt etenim equis velociores, terribiliores magnitudine & hirsuti magis: strenuiores verò propter raram sitim, & ad ferendos labores magis idonei*. De elephantis igitur cameliſque militaribus tractandum nobis quoque est. *Atque elephanti quidem, quantum in faciundis operibus valeant, & bellis item, cùm res manu geritur, omnes iam olim sciuisse constat*, testatur Pausanias lib. 1. Rerum Atticarum. Reuerà res multæ sunt, quæ elephantem militiæ commendarunt; robur, terror, pugnandi peritia, fides; res bello vtilissimæ. Commemorant pleraſque singillatim, Plinius lib. VIII. capitibus nouem aut decem, & Strabo lib. XV. Geograph. è quibus hæc in rem præsentem cap. 1. Plinius: *Animalium maximum elephas, proximumq; humanis sensibus; quippe intellectus illis sermonis patrij, & imperiorum obedientia, officiorúmque, quæ didicêre, memoria; amoris & gloriæ voluptas. imò verò, quæ etiam in homine rara, prudentia,*

dentia, probitas, æquitas, &c. *Quod ad docilitatem attinet, Regem adorant, genua submittunt, coronas porrigunt.* Strabo lib. xv. Geograph. *Ad ingenium animalis ratione ventis proximè accedunt*, &c. *Proboscidibus propugnacula deijciunt, & arbores radicitus euellunt, in posteriores pedes erecti.* Plin. cap. II. *Vulgare erat, per auras arma iacere non auferentibus ventis, atque inter se gladiatorios congressus edere.* Cap. III. *Circa dentes belluis summa cura; alterius mucroni parcunt, ne sit prælijs hebes; alterius operario vsu fodiunt.* Cap. V. *Antipater auctor est, duos Antiocho Regi in bellicis vsibus, celebres etiam agnominibus fuisse, Aiacis & Patrocli. nouêre enim ea.* Cap. IX. *Domiti militant, & turres armatorum in hostes ferunt, magnaq; ex parte Orientis bella conficiunt. prosternunt acies, proterunt armatos.* Admiranda hæc de elephantis Plinius & Strabo: de quorum fide dubitatio subinde, fateor, me non leuis agitauit, cùm & alios addubitare apud Crinitum legerem lib. v. cap. XIII. Sed profectò mox retinuit nutantem auctoritas præterea grauissimorum Scriptorum, quos omnes aut leuiter credidisse quæ scripsêre, aut falsa scripsisse quæ leuiter audiuêre, summę sit arrogantiæ (ne dementię dicam) existimare. Quid enim? Aristoteles, Seneca & Plutarchus, Imperatorum maximorum doctissimi Præceptores; Athenæus, Philostratus, Dion, Arrianus, Ælianus, Suetonius, Vopiscus, tam vilia nomina sunt, vt fidem non mereri videantur? Hi certè hæc eadem, ijsdemque paria, aut maiora, de elephantorum funambulatione choreisque prodidêre. Credamus ergo leuiora, belluarumque ad bella vtilitatem expendamus. *Turres armatorum in hostes ferunt, magnaq; ex parte Orientis bella conficiunt*, ait Plinius. Hîc robur in primis ingens, gestandi turres. Quot verò in ijs armatos? Philostratus indicat lib. I. de Vitâ Apollon. cap. VI. *Pugnant*, ait, *onusti turribus, quibus decem aut etiam quindecim homines superstant, qui ex turribus tamquam ex propugnaculis in hostes iaculantur, aut arcu sagittas torquent.* Plautus numerum confirmat quindenûm armatorum:

Subire sub falas, & quindenis hastis transfigi.

De elephanto loquitur, ait Erycius Puteanus libello elegantissimo de Stipendio. *Falæ* enim Nonio sunt *turres ligneæ, quales elephantis impositæ*, è quibus quindenis hastis pugnabatur. Non fallit Plautus: nam & triginta bellatores ex vno pugnasse elephanto, constat lib. 1. Machabæorum cap. VI. vt non hyperbolicè nimiùm Iuuenalis:

Horum maiores, & dorso ferre cohortes,
Partem aliquam belli, & euntem in prælia turmam.

Quid enim? An triginta non faciunt turmam? An non triginta vno in elephante? & quàm miraremur, si turmam totam equitum xxx. ferret vnus equus? Id meritò S. Ambrosius admiratus lib. VI. Hexaëm. cap. v. *Hæc in elephantis quoque probare debemus, qui magnum rebus bellicis vsum ministrant. Inde genus Persarum ferox bellis, in medijs campis tamquam de muro dimicant, & velut in arce quadam & speculâ collocati, spectant magis bella quàm subeunt. Ita alieni à periculo videntur tuti molibus bestiarum. Quis enim adire eos audeat, cùm desuper iaculis facilè figatur, inferiùs elephantorum obteratur incursu?* Præterea *Elephantorum cutis*, ait Cassiodorus lib. x. cap. xxx. *nullâ vi transmittitur, nullo ferri acumine penetratur, ideóque Persarum Reges hanc belluam ad bella traxerunt.* Est eis quippe cutis ipsa pro armis; planè vt naturâ videantur esse cataphracti. Atque hinc animanti audacia aduersus tela, quam ipsam auget fiducia molis, quâ obstantes propellit, obteritque. Florus lib. I. sic expressit de bello Tarentino: *Quinam illi viri, quos ab elephantis obrutos accepimus? Omnium vulnera in pectore: quidam hostibus suis immortui, omnium in manibus enses, & relictæ in vultibus minæ, & in ipsâ morte ira viuebat.* Et Plutarchus in Pyrrho: *Cessêre Romani eâ potissimùm parte, quâ Pyrrhus ipse hostibus repugnabat, maximè autem elephantorum robore & impetu, cùm propter eos virtute suâ vti non possent, sed veluti fluctu aut terræmotu ingruente, cedendum sibi intelligerent.*

Aliquantò etiam augustiùs Ambros. lib. VI. Hexaëm. cap. v. *Cedunt illis acies & armatorum cunei, & castra illa quadrata soluuntur. Intolerabili namque impetu in hostem ruunt,*

vt

vt nullo agmine bellatorum, nullâ constipatione militum, nullo clypeorum retardentur obiectu; velut quidam mobiles montes versantur in prælio. Hinc ergo terror hostibus, ab inusitato robore in gestando & perrumpendo. Sed par etiam ab ipso aspectu metus, cùm recèns in bella elephantes prodiêre anno Vrbis CD. LXXII. Florus testatur lib. I. cap. XXXVIII. *Pyrrhus, incognitis in id tempus elephantis, mari, terrâ, viris, equis, armis, addito insuper ferarum terrore, veniebat.* De quo eodem Iustinus lib. XVIII. *Romanos iam vincentes, inusitatâ antè elephantorum formâ, stupere primò, mox cedere prælio coëgit.* Neque formâ solâ, sed stridore prætereà atque odore, vt Florus indicat lib. I. bello Tarentino. *Elephantorum tum magnitudine, tum deformitate, & nouo odore ac stridore consternati equi.* Nec equi modò, sed homines quoque, auctore Vegetio lib. III. cap. XXIV. *Elephanti in prælijs magnitudine corporum, barritûs horrore, formæ ipsius nouitate, homines equosq; conturbant.* Curtius confirmat lib. VIII. *Stabant ingentes vastorum corporum moles, & de industriâ irritata horrendo stridore aures fatigant,* &c. *Magnum belluæ iniecêre terrorem, insolitusq; stridor non equos modò, sed viros quoque ordinesq; turbauerat.* Quid ita? *Quoniam elephantorum stridore immanitateq; corporum, nihil humanæ mentes terribilius cernunt,* inquit Ammianus lib. XIX. Exemplum Plutarchus attulit in Vitâ Pyrrhi. *Cùm elephanti maximè Romanos pellerent; equis eorum, antequam ad hostem veniissent, belluas non sustinentibus, sessoresq; in diuersum efferentibus, turbatis equitatum Pyrrhus immisit.*

Ecquid verò terribilius, quàm vel aspectu solo pauefactum fugere? Adeò certè formido hæc increuit, vt, *allatâ Romam famâ de bello in Africâ gesto, Romanisq; profligatis* (vt Polyb. lib. I.) *cùm cognouissent id in primis vi atque impetu elephantorum accidisse, quòd illi acies disiecissent, quòd ordines perturbassent, quòd maximam in exercitu stragem edidissent, tantus elephantorum terror post eum diem Romanos terruit, vt proximo biennio, cùm sæpè in Africâ, sæpè etiam in Selinuntiâ regione obuij hostibus fuissent, numquam tamen aut congredi cum Carthaginensibus, aut*

in locis æquis, propiùs ſex aut quinque ſtadijs caſtrametari auſi ſint, collibus ſemper ac montibus (nullo alio quàm elephantorum metu) ſe tutantes. Atque ita diu terror manſit, vt bello etiam Hannibalis, contra Sempronium; & Cæſaris, bello Africano, elephanti timerentur, teſtibus Hirtio & Plutarcho.

Iam pugnandi peritiam oſtendebant non armis tantùm iaciendis, non ſcutis modò rotandis, teliſque ſubminiſtrandis, vt Plinius docuit, ſed dentibus quoque & promuſcide, quod teſtatur Polybius lib. v. *Eſt hic elephantorum mos, vt inter ſe congreſſi, & mutuis ſe dentibus impetentes acerrimè pugnent; ſimulatque verò vulnus aliquod acceperint, non ſecùs in omnes dentibus ſæuiant, quàm tauri cornibus. Alterius enim mucroni parcunt*, ait Plinius, *ne ſit prælijs hebes.* Promuſcide arreptos hoſtes vel ſublimè iaciebant, mox obterendos; vel bellatoribus ſibi impoſitis tradebant, necandos. Curtius lib. VIII. *Præcipuè terribilis illa facies erat, cùm manu* (hoc eſt promuſcide) *arma viroſq; elephanti corriperent, & ſuper ſe regentibus traderent.* Hirtius de Bello Africano: *Cùm elephantus vulnere ictus & dolore concitatus in lixam inermem impetum feciſſet, eumq; ſub pede ſubditum, deinde genu innixus pondere ſuo, proboſcide erectâ vibrantíque, ſtridore maximo premeret atque enecaret, miles veteranus quidam non potuit, quin ſe armatum beſtiæ offerret; quem poſtquam elephantus ad ſe telo infeſto venire animaduertit, relicto cadauere, militem proboſcide circumdat, atque in ſublime extollit armatum; qui in huiuſmodi periculo cùm conſtanter ſibi agendum videret, gladio proboſcidem, quâ erat circumdatus, cædere, quantum viribus poterat, non deſtitit: quo dolore adductus elephantus, milite abiecto, maximo cum ſtridore curſuq; ad reliquas beſtias ſe recepit.*

Quid denique de fide elephantorum in dominos dicam? Plutarchus narrat in Pyrrho: *Elephas, Nico nomine, delapſum propter vulnera rectorem requirens, ac per aduerſos ſeſe inferens hoſtes pariter & amicos proruebat, donec inuentum cadauer proboſcide ſuſtulit, dentibuſq; impoſuit, atque ita furenti ſimilis reuertens, obuios quoſque euertit atque necauit.* Strabo lib. XV. Geographi.

graph. *Quidam aurigas suos, qui in certamine cecidêre, è prælio efferunt; quidam eos, qui per anteriores pedes vterum suum subierant, propugnando seruauêre. Quòd si quem è curatoribus magistrísve per iram interfecerint, adeò illum desiderant, vt præmœrore cibo abstineant, interdum etiam sibi mortem consciscant.* Illud verò, quod Curtius de Pori Regis elephanto narrat libro VIII. cap. XXV. lacrymis ciendis est potens. *Alexander*, inquit, *spoliari corpus Pori (interemptum esse credens) iubet*, &c. *qui detraherent loricam vestémque, concurrêre: cùm bellua dominum tueri, & spoliantes cœpit appetere, leuatumq; corpus eius rursus dorso suo imponere.* O raram vel inter homines fidem! Has ergo ob virtutes in militiam olim elephantes adlecti sunt, datusque Præfectus (vt solitum equitibus) quem Magistrum elephantorum Liuius vocat lib. XXXVII. certusque ordo præscriptus ac disciplina, quam his verbis Ælianus lib. de Instruendis aciebus expressit: *In ordine elephantorum, qui vni præst elephanto, Zoarchus ab animalis præfecturâ vocatus est. Qui duobus imperat, Therarchus à ferâ, quasi ferarius; & talis constitutio Therarchia, feraria. Qui quatuor dominatur, Epitherarchus, duplaris ferarius; & hæc constitutio Epitherarchia, quadruplaris feraria. Qui octo præfectus est, Ilarcha, id est turmæ princeps; & constitutio ista Ilarchia, turmæ præfectura. Qui sexdecim præst, Elephantarcha, id est elephantorum præfectus; & constitutio, Elephantarchia, Præfectura elephantorum. Qui triginta duobus imperat, Ceratarcha, id est, cornu Præfectus. Quod autem ex sexaginta quatuor constat, id phalangem vocamus elephantorum; cuius Præfectus, Elephantarcha vocatus est.* Tantus nempe belluarum fuit vsus & cura. Imò numerus propè immensus, testibus Plinio & Pausaniâ. Nam, vt Porum omittam, qui produxit in bellum elephantos LXXXV. vt præteream Agrammim, *qui*, auctore Curtio lib. IX. *adhibuit millia tria:* Regem Indorum triginta millia elephantorum in bellum præcedunt; tria verò millia sequuntur, ait Ælianus. Tandem tamen longo vsu compertum est, has tantas vtilitates interijsse, & plus etiam attulisse damni. Inprimis enim & remedia eorum robori

furo-

furoriq́ue reperta ſunt; & vis omnis in ſuos magis, quàm in hoſtem, eſt conuerſa. *Nam ſicut pleraque noua commenta mortalium*, ait Liuius lib. XLIV. *in verbis vim habent, extemplò, cùm agi, non quemadmodum agantur, edifferi oportet, ſine vllo effectu euaneſcunt; ita elephanti in acie nomen tantùm ſine vſu fuerunt.* Adeoq́ue id verum fuit, vt Alexander apud Curtium lib. IX. dicat: *Equidem ſic animalia iſta contempſi, vt cùm haberem ipſe, non oppoſuerim.* Remedia, inquam, inuenta ſunt aduerſus robur & terrorem. *In Apuliâ ad Aſculum*, ait Florus lib. I. de Bello Tarentino, *melius dimicatum eſt, Curio Fabritioq́; Conſſ. iam quippe belluarum terror exoleuerat; & C. Minucius quartæ legionis haſtatus, vnius proboſcide abciſâ, mori poſſe belluas oſtenderat.* Cæſar etiam bello Africano, vt Hirtius refert, equos militum ſuorum, priuſquam Italiâ decederent, aſpectu, odore, ſtridoreq́ue elephantorum, quos in Italiam aduehi curarat, aſſuefecit. *Quin diuerſa reſiſtendi excogitata ſunt genera armorum*, ait Vegetius lib. III. cap. XXIII. *Nam bini cataphracti equi iungebantur ad currum, quibus inſidentes clibanarij, ſariſſas, hoc eſt longiſſimos contos, in elephantos dirigebant. Nam muniti ferro, nec à ſagittarijs (quos vehebant bellua) lædebantur, & earum impetum celeritate vitabant. Alij contra elephantes, cataphractos milites immiſerunt, ita vt in brachijs eorum, vel caſtidibus, vel humeris, aculei ingentes ponerentur è ferro, ne manu ſuâ elephas bellatorem contra ſe venientem poſſet apprehendere. Præcipuè tamen velites, Antiqui contra elephantes ordinarunt*, &c. *Hi equis prætercurrentibus, ad latiores lanceas vel maiora ſpicula belluas occidebant. Sed, creſcente audaciâ, poſteà collecti plures milites, pariter miſſilia in elephantos congerebant. Illud tandem additum, vt funditores cum fuſtibalis Indos (per quos regebantur elephanti) cum ipſis turribus affligerent atque mactarent. Prætereà venientibus belluis, quaſi irrupiſſent aciem, ſpatium milites dabant: qua cùm in medium agmen perueniſſent, cum magiſtris abſque vulneribus capiebantur. Illóſque carrobaliſtas aliquantò maiores poſt aciem ordinari conuenit, vt, cùm ſub iactum teli acceſſerint beſtiæ, ſagittis baliſtariorum configantur.* Duo armorum genera aduerſus elephan-

phantos inuenta omisit Vegetius, quæ à Curtio prodita libro VIII. *Secures* nempe, & *Copides*. *Securibus*, ait *(id namque genus auxilij præparatum erat) pedes amputare cœperunt. Copidas vocabant gladios leuiter curuatos, falcibus similes, queis appetebant belluarum manus.* His artibus repertis, cùm *Cæcilius Consul, captis fusisq; ad Panormum elephantis Asdrubalis, metum eorum omnem sustulisset, eiusq; victoriæ fama Romam peruenisset*, ait Polyb. lib. v. *incredibili omnes lætitiâ affecti sunt, non tam quòd captis elephantis longè iam inferiores essent hostium vires, quàm quòd sui (quia potiti belluis fuerant) audaciores iam facti ad bellum videbantur.* Et Plinius sanè post maximas belluæ tantę laudes, illud etiam vitij non celauit lib. VIII. cap. IX. *Elephanti minimo suis stridore terrentur, vulnerati & territi retrò semper cedunt, haud minore partium suarum pernicie. Præsens habemus exemplum*, ait Alexander apud Curtium lib. IX. *In suos vehementius quàm in nos incurrerunt*, &c. *Vno aut altero vulneratis, ceteros in fugam declinare videmus.* Ita sæpè aliàs obseruatum. Florus pugnâ tertiâ belli Tarentini: *Eadem fera, quæ primam victoriam* (Romanis) *abstulerant, secundam parem fecerant; tertiam sine controuersiâ tradidêre. Nam productis in primam aciem rursus elephantis, vnum ex his pullum adacti in caput teli grauis ictus auertit, qui, cùm per stragem suorum procurrens, stridore quereretur, mater agnouit, & quasi vindicatura exiluit, tum omnia circà quasi hostilia graui timore permiscuit.* Liuius lib. XXVIII. pugnâ Asdrubalis contra Liuium: *Elephanti, crescente certamine, & clamore impotentius iam regi, & inter duas acies versari, velut incerti quorum essent, haud dissimiliter nauibus sine gubernaculo vagis.* Polybius lib. I. de Asdrubalis exercitu aduersus Cæcilium Consulem Panormi: *Belluæ cùm primùm ad aggerem fossarum peruenêre, vno tempore & à multitudine vrbanâ ex mœnibus, & à militibus ex fossis, sagittis teliq; multifariàm feriuntur. Cumq; vltrà progredi non possent, necessariò terga vertentes, in suos ruunt, agmina perturbant, magnam suorum stragem faciunt. Illi iampridem à bestijs turbati, & tunc tumultuario impetu à Consule oppressi, facilè profligan-*

tur. Pars eorum trucidatur, ceteri fugâ ſalutem quærunt. Cui geminam perturbationem narrat Hirtius bello Africano euenisse Scipioni aduersus Cæsarem pugnaturo. Item Polyb. lib. v. bello Antiochi cum Ptolomæo: *Verùm maxima pars elephantorum Ptolomæi prælium formidabat*, &c. *Subitò enim in fugam conuersi, & ordines suorum perturbantes, maximam in phalange Ptolomæi stragem edidêre.* Adeoque id animal semel perturbatum difficilè regitur, vt nisi à suis interemptum, stragem facere non cesset. Vnde bello illo Asdrubalis contra Liuium Consulem, Liuius elephantos plures scribit à rectoribus quàm ab hostibus interfectos. *Fabrile scalprum*, ait, *cum malleo habebant; id, vbi sæuire belluæ ac ruere in suos cœperant, Magister inter aures positum, ipsâ in compage, quâ iungitur capiti ceruix, quanto poterat maximo ictu adigebat. ea celerrima via mortis in tantæ molis belluâ inuenta est, vbi regendi spem vi vicisset.* Præter hæc, quanti moliminis, turres elephanto imponere, militemque inscendere? quanta turbatio, cùm deijciuntur refertæ militibus turres? quantum impedimentum, cùm angustæ vrbis portæ non admittunt turritas illas moles? quantum discrimen, cùm elephas aliquis angustâ viâ lapsus intercludit iter? Hæc ferè Pyrrhum elephantis fisum perdiderunt, vt Plutarchus in Pyrrho narrat: *Pyrrho Argos vrbem ingresso, cùm elephantos porta, ob angustiam, cum turribus non admitteret, hisque deponendis & rursus imponendis mora aliquantulum fieret, senserunt rem Argiui. Et maximus elephantorum in portâ ipsâ in latus collapsus, atque infrendens dentibus, exercitum prohibebat.* Meritò igitur prudenterque Alexander apud Curt. lib. v III. de elephantis Pori Regis: *Anceps genus auxilij est, & in suos acriùs furit; in hostem enim imperio, in suos pauore agitur.* Certè Lucretius lib. v. *commune malum* elephantos appellauit:

Vt nunc sæpè boues Lucæ ferro malè mactæ
Diffugiunt, fera facta suis cùm multa dedêre.
Sic fuit vt facerent. Sed vix adducor, vt antè
Non quierint animo præsentire, atque videre,

Quàm

Quàm commune malum fuerat. ——

Atque huius memor Appianus lib.de Bello Hiſpanienſi, *Ob hanc*, inquit, *eorum perfidiam à quibuſdam communes hoſtes appellati ſunt.*

Iam cetera incommoda ſi enumerem, facilè apparebit, elephantos maioribus de cauſſis fuiſſe dimiſſos, quàm in equeſtrem militiam adſcitos. Primùm, quia, vt ait Liuius lib. XVII. *nullus eorum vſus in repentinâ ac tumultuariâ fuerit pugnâ: tum, quia inhabiles ſunt illæ vaſtorum corporum moles*, vt loquitur apud Curtium Alexander lib. IX. denique, quòd *frigoris ſint impatientiſſimi*, auctore Plinio lib. VIII. cap. x. quare & bellis per hiemem inidonei. Certè illud prætereà incommodum mihi in bellis viſum eſt, belluas haſce non ab ipſis pugnatoribus, ſed Indo aliquo rectore impoſito debere regi. Non enim elephas arbitrio militum (vt equus imperio vectoris) ſed ductu regentis agitur inſtar nauis; & fortè aliò ſæpè quàm quò milites vellent, aut quàm expedit pugnæ. Hinc Poro Regi pernicies, auctore Curtio lib. VIII. cap. XXV. *In ipſum Porum tela*, inquit, *congeſta ſunt, quis tandem grauatus, labi ex belluâ cœpit. Indus, qui elephantem regebat, deſcendere eum ratus, more ſolito elephantum procumbere iuſſit in genua; qui vt ſe ſubmiſit, ceteri quoque (ita enim erant inſtituti) demisêre corpora in terram. Ea res & Porum & ceteros victoribus tradidit.* En, quantò tutiùs equo vexiſſet Porus quàm elephanto, proditus errore rectoris. Quas res ſi prudenter Damis apud Philoſtratum lib. II. expendiſſet, non ita præ equite vectorem elephanti Apollonio extuliſſet. *Hunc qui elephanto vehitur*, inquit Apollonius, *qualem equitem eſſe putas? Multò, inquit Damis, mirabiliorem eo quem equo vehentem deſcripſi. Belluæ enim tam vaſtæ molis imperare, cùm rector tam paruus exiſtat, & illam, quocumque velit, dirigere bacillo, neque illius aſpectum timere, neque altitudinem formidare, neque tantum robur pertimeſcere, diuinũ pænè aliquid mihi eſſe videtur.* O Damis, quàm ſenſiſſes aliter, ſi Pori Regis diſcrimẽ adijſſes! Elephanti molem laudas, ignarus periculi; equum poſtponis, immemor ve-

locitatis. Ita cornuum ſuorum ſiluam amabat ceruus, damnatâ gracilitate tibiarum; at mox deprehenſus cornibus inter nemorum ramos, ſenſit tibiarum celeritatem fuiſſe ſibi ſaluti.

At ab elephantis ad camelos tranſeamus. *Cameli equitantur in prælijs*, ait Plinius lib. VIII. cap. XVIII. *& caſtrandi feminas, quæ bello præparantur, etiam genus inuentum eſt.* Solinus cap. LII. aut, vt alij computant, LXII. *Maribus camelis*, ait, *Bactrianos non vti in prælijs, ſed feminis, quòd velociores ſint. Camelos aliquanta nationes apud veteres in acie produxerunt, vt Vrſiliani in Africâ. Mahetes hodie quoque producunt*, inquit Veget. lib. III. cap. XXIII. Addo Arabes ex Liuio lib. XXXVII. *Camelis*, inquit, *inſidebant Arabes ſagittarij, gladios habentes longos quaterna cubita, vt ex tantâ altitudine contingere hoſtem poſſent.* & Perſas, auctoritate Heliogabali, qui apud Lampridium frugalitatem ſuam ſexcentorum vehiculorum commendans præ luxu Regis Perſarum, ait, *eum iter feciſſe decem millibus camelorum.* Confert in ſupradictum Vegetij locum iſta Steevvechius: *Produxit Mithridates contra Lucullum, Antiochus contra Scipionem, vt auctor eſt Plutarchus in Lucullo. Crœſus præualido equitatui camelorum gregem oppoſuit, quorum nouitate conſternati equi, ſeſſores præcipitauerunt, ait Frontinus lib. II. cap. IV.* Quid miri, ſi tales ij cameli erant, *quorum vnumquemque ne centeni quidem equi viſu ſuſtineant*, vt Cyrus iocabundus militem excitat lib. VI. Pædiæ apud Xenophontem? De ijſdem Herodianus lib. IV. *Aderat Artabanus equitatum ingentem & ſagittariorum multitudinem adducens, præterea cataphractos camelis inſidentes.* Quin & in angarijs & curſu publico (loco veredorum) camelis Antiquos cucurriſſe, Plutarchus in Eumene, & Plin. lib. VI. cap. XXIII. teſtantur. Iſidorus ad curſum aſſuefactos camelos, plus centum octoginta ſeptem paſſuum millia confeciſſe ſcribit lib. XIX. Quamquam aliter aliquantò Plinius lib. VIII. cap. XVIII. *Sua cuique camelo*, inquit, *menſura ſicuti vires; nec vltra conſuetum procedit ſpatium.* Præter celeritatem bellicis expeditionibus

ſanè

sanè necessariam, addit hæc camelorum bona Vegetius libro IV. cap. XXIII. *Hoc genus animalium arenis & toleranda siti aptum, confusas etiam in puluere, vento, vias absque errore dirigere memoratur.* Magnæ opportunitates, præcipuè mouenti per deserta loca, vbi aut potus deficit, aut gnaritas viarum. Camelus sitim tolerat, viam inuenit. Plinius & Solinus narrant, *sitim tolerare quatriduo: vbi verò potûs datur copia, impleri & in præteritum & in futurum.* Sed neque illa contemnenda vtilitas, quòd bellatores duos singuli cameli subinde vectarint, auctore Xenophonte lib. VI. Pædiæ: *Super camelos constituti erant viri bini, in vnamquamque partem, sagittarij*, inquit. Cetera tamen camelum defecêre; *nam, præter nouitatem, bello inefficax est*, ait Vegetius. & *cùm murices spargebantur ab hoste*, ait Herodianus lib. IV. *ij camelorum insessoribus perniciem adferebant. quippe illis calcatis, potissimùm cameli (quoniam huic generi mollissimæ sunt vngulæ) succiduè claudicabant, excussis tergo insessoribus.* Has ergo ob res cameli exauctorati, vt elephanti: equus solus (quæ singularis gloria) bello dignus existimatus. Caussam Plutarchus adfert II. Sympos. *Solus equus animalium omnium in partem certaminum & coronarum venit; quia solus naturâ & exercitatione factus est, vt in prælio homini adsit.*

CAPVT VI.

Currus olim equestri militiæ admisti, cur dimissi.

Curulis pugna aurigantium antiquior equestri Celetum seu solitariorum equitum. Currus expediti & falcati. Martis & Iunonis currus militares. Quis curruum primus auctor. Bigæ, Trigæ, Quadrigæ, Seiuges, Septemiuges, Decemiuges. Currus quatuor temonibus instructus. Qui solis curribus, & quanto numero, in prælijs vsi. quæ eorum administrandorum œconomia. Essęda, Cisia, & Couini. Quæ ratio ex curru præliandi. Desultores curules. Falcatorum curruum variæ species. Ingentia eorum damna, quæ tandem in suos versa. hinc quoque militiâ submoti.

ANTIQVIORNE in bello fuerit curulis an equestris pugna, pugnant Lucretius & Palæphatus. Lucre-

tius lib. v. censet equum priùs insessum quàm currui iunctum:

Et priùs est reppertum in equi conscendere costas,
Et moderarier hunc frenis, dextraq; vigere,
Quàm biiugo curru belli tentare pericla.

Contrà Palæphatus de Centauris, *Iuuenes*, inquit, *quidam è radice montis profecti à vico quodam vocato Nebula, excogitant equos celetas condocefacere, in ÿsq; sedere. Nam ante id tempus nesciebant in equis sedere, sed solum curribus vtebantur.* Ego in Palæphati sententiam concedere malim, quàm à Lucretio stare. Causſas habeo: quia faciliùs equus docetur currum trahere, quàm vectorem ferre. Citiùs assueſcit loris & scuticâ, quàm freno. Et sanè mecum facere videtur Homerus, qui celetas seu solitarios equos nusquam ad pugnam adhibet, sed bigas perpetuò & currus: indicio certissimo, priores fuisse aurigarum quàm celetum equitum pugnas. An non idem quoque sentire videntur Æschylus & Isidorus? Ille namque Prometheum sic loquentem facit:

—— *Ad currus adiunxi equos*
Frenigeros. ——

Isidorus autem lib. XVIII. cap. XXXV. *Iugo primus Cirisenes Sicionius tantùm medios iugauit.* Quibus verbis quid volunt, nisi equos effrenes & iniuges priùs traxisse currum, quàm frenales & iugatos? Iam curruum bellicorum duplex fuit genus. *Curribus expeditis aut falcatis veteres vsos comperimus*, inquit Ælianus lib. de Instruendis aciebus. Græci vocabant ἅρματα πολεμικά, id est, vectabula bellica. Martem militari curru vehentem faciunt in bellis Poëtæ, eumque Virgilius lib. VIII. Vulcani arte fabricatum scribit:

Parte aliâ Marti currumq; rotasq; volucres
Instabant, quibus ille viros, quibus excitat vrbes.

Quinetiam Iunonis militarem currum idem Carthagine seruari describit lib. Æneid. I.

—— *Hic illius arma,*
Hic currus fuit. ——

Quod

Quod Dea ipsa Fastorum VI. apud Ouidium fatetur:

Pœniteat, quòd non foui Carthaginis arces,
Cùm mea sint illo currus & arma loco.

Primum Troxilus ei dicauit, ait Tertullianus de Spectaculis. Hinc fortè currus Iunoni sacer. Incertum, quando inuenti primùm. Antiquissimum vsum reperio in exercitu Pharaonis, Exodi XIV. *Tulitq; sexcentos currus electos, & quidquid in Ægypto curruum fuit, & Duces totius exercitus.* Inuentio nulli certo auctori tribuitur: diuersi fortè repererint rem eamdem apud varios. Sunt autem varia curruum genera, bigæ, trigæ, quadrigæ, seiugæ, quibus verbis non tam vehicula quàm equi biiuges, triiuges, quadriiuges significãtur, aiunt Isidorus & Budæus, à numero equorum. Inuenio & septemiuges & decemiuges. Generali autem vocabulo cisia, esseda, & couinos. Bigas Lunæ, trigas inferis, quadrigas Soli, seiugas Ioui consecrarunt, ait Isidorus lib. XVIII. cap. XXXVI. Bigas Lunæ, quoniam gemino cursu cum Sole contendit; siue quia & nocte videatur & die; iungunt enim vnum equum nigrum, & alterum candidum. Bigis soliti pugnare Heroës, ait Philostratus in Iconibus. Trigas Dijs inferis; quia hi per tres ætates ad se rapiunt homines; per infantiam, iuuentutem, senectutem. Harum in prælijs vsum vetustum & heroicum apud Græcos fuisse, scribit Dionys. lib. VII. extremo. *Nam duobus*, inquit, *equis iunctis, quo modo bigæ iunguntur, addebatur tertius equus funalis, quem prisci vocabant παρήορον*, quòd alijs esset adiunctus. His quidem Neronem vectum Plinius insinuat lib. XXVIII. scribens, *eum vti potione quadam solitum, vt Trigario (id est trigarum agitatori) se probaret.* Quadrigas Soli ideò adiungunt, quia per quatuor tempora anni vertitur. Has Hectorem rexisse Poëtæ scribunt, & Virgilius Latino Regi dat lib. X.

——— *Latinus*
Quadriiugo vehitur curru. ———

Seiuga maximus currus, currit Ioui, propterea quod maximum Deorum suorum esse credunt. Hanc agitauit Mithridates,

locitatis. Ita cornuum ſuorum ſiluam amabat ceruus, damnatâ gracilitate tibiarum; at mox deprehenſus cornibus inter nemorum ramos, ſenſit tibiarum celeritatem fuiſſe ſibi ſaluti.

At ab elephantis ad camelos tranſeamus. *Cameli equitantur in prælijs*, ait Plinius lib. VIII. cap. XVIII. *& caſtrandi feminas, quæ bello præparantur, etiam genus inuentum eſt.* Solinus cap. LII. aut, vt alij computant, LXII. *Maribus camelis*, ait, *Bactrianos non vti in prælijs, ſed feminis, quòd velociores ſint. Camelos aliquanta nationes apud veteres in acie produxerunt, vt Vrſiliani in Africâ. Mahetes hodie quoque producunt*, inquit Veget. lib. III. cap. XXIII. Addo Arabes ex Liuio lib. XXXVII. *Camelis*, inquit, *inſidebant Arabes ſagittarij, gladios habentes longos quaterna cubita, vt ex tantâ altitudine contingere hoſtem poſſent.* & Perſas, auctoritate Heliogabali, qui apud Lampridium frugalitatem ſuam ſexcentorum vehiculorum commendans præ luxu Regis Perſarum, ait, *eum iter feciſſe decem millibus camelorum.* Confert in ſupradictum Vegetij locum iſta Steevvechius: *Produxit Mithridates contra Lucullum, Antiochus contra Scipionem, vt auctor eſt Plutarchus in Lucullo. Crœſus præualido equitatui camelorum gregem oppoſuit, quorum nouitate conſternati equi, ſeſſores præcipitauerunt, ait Frontinus lib. II. cap.* IV. Quid miri, ſi tales ij cameli erant, *quorum vnumquemque ne centeni quidem equi viſu ſuſtineant*, vt Cyrus iocabundus militem excitat lib. VI. Pædiæ apud Xenophontem? De ijſdem Herodianus lib. IV. *Aderat Artabanus equitatum ingentem & ſagittariorum multitudinem adducens, præterea cataphractos camelis inſidentes.* Quin & in angarijs & curſu publico (loco veredorum) camelis Antiquos cucurriſſe, Plutarchus in Eumene, & Plin. lib. VI. cap. XXIII. teſtantur. Iſidorus ad curſum aſſuefactos camelos, plus centum octoginta ſeptem paſſuum millia confeciſſe ſcribit lib. XIX. Quamquam aliter aliquantò Plinius lib. VIII. cap. XVIII. *Sua cuique camelo*, inquit, *menſura ſicuti vires; nec vltra conſuetum procedit ſpatium.* Præter celeritatem bellicis expeditionibus

ſanè

sanè necessariam, addit hæc camelorum bona Vegetius libro IV. cap. XXIII. *Hoc genus animalium arenis & toleranda siti aptum, confusas etiam in puluere, vento, vias absque errore dirigere memoratur.* Magnæ opportunitates, præcipuè mouenti per deserta loca, vbi aut potus deficit, aut gnaritas viarum. Camelus sitim tolerat, viam inuenit. Plinius & Solinus narrant, *sitim tolerare quatriduo: vbi verò potûs datur copia, impleri & in præteritum & in futurum.* Sed neque illa contemnenda vtilitas, quòd bellatores duos singuli cameli subinde vectarint, auctore Xenophonte lib. VI. Pædiæ: *Super camelos constituti erant viri bini, in vnamquamque partem, sagittarij*, inquit. Cetera tamen camelum defecêre; *nam, præter nouitatem, bello inefficax est*, ait Vegetius. & *cùm murices spargebantur ab hoste*, ait Herodianus lib. IV. *ij camelorum insessoribus perniciem adferebant. quippe illis calcatis, potissimùm cameli (quoniam huic generi mollissimæ sunt vngulæ) succiduè claudicabant, excussis tergo insessoribus.* Has ergo ob res cameli exauctorati, vt elephanti: equus solus (quæ singularis gloria) bello dignus existimatus. Caussam Plutarchus adfert II. Symposiac. *Solus equus animalium omnium in partem certaminum & coronarum venit; quia solus naturâ & exercitatione factus est, vt in prælio homini adsit.*

CAPVT VI.

Currus olim equestri militiæ admisti, cur dimissi.

Curulis pugna aurigantium antiquior equestri Celetum seu solitariorum equitum. Currus expediti & falcati. Martis & Iunonis currus militares. Quis curruum primus auctor. Bigæ, Trigæ, Quadrigæ, Seiuges, Septemiuges, Decemiuges. Currus quatuor temonibus instructus. Qui solis curribus, & quanto numero, in prælijs vsi. quæ eorum administrandorum œconomia. Essęda, Cisia, & Couini. Quæ ratio ex curru præliandi. Desultores curules. Falcatorum curruum variæ species. Ingentia eorum damna, quæ tandem in suos versa. hinc quoque militiâ submoti.

ANTIQVIORNE in bello fuerit curulis an equestris pugna, pugnant Lucretius & Palæphatus. Lucretius

tius lib. v. censet equum priùs insessum quàm currui iunctum:

Et priùs est reppertum in equi conscendere costas,
Et moderarier hunc frenis, dextraq; vigere,
Quàm biiugo curru belli tentare pericla.

Contrà Palæphatus de Centauris, *Iuuenes*, inquit, *quidam è radice montis profecti à vico quodam vocato Nebula, excogitant equos celetas condocefacere, in ijsq; sedere. Nam ante id tempus nesciebant in equis sedere, sed solum curribus vtebantur.* Ego in Palæphati sententiam concedere malim, quàm à Lucretio stare. Caussas habeo: quia faciliùs equus docetur currum trahere, quàm vectorem ferre. Citiùs assuescit loris & scuticâ, quàm freno. Et sanè mecum facere videtur Homerus, qui celetas seu solitarios equos nusquam ad pugnam adhibet, sed bigas perpetuò & currus: indicio certissimo, priores fuisse aurigarum quàm celetum equitum pugnas. An non idem quoque sentire videntur Æschylus & Isidorus? Ille namque Prometheum sic loquentem facit:

—— *Ad currus adiunxi equos*
Frenigeros. ——

Isidorus autem lib. XVIII. cap. XXXV. *Iugo primus Cirisfenes Sicionius tantùm medios iugauit.* Quibus verbis quid volunt, nisi equos effrenes & iniuges priùs traxisse currum, quàm frenales & iugatos? Iam curruum bellicorum duplex fuit genus. *Curribus expeditis aut falcatis veteres vsos comperimus*, inquit Ælianus lib. de Instruendis aciebus. Græci vocabant ἅξματα πολεμικὰ, id est, vectabula bellica. Martem militari curru vehentem faciunt in bellis Poëtæ, eumque Virgilius lib. VIII. Vulcani arte fabricatum scribit:

Parte aliâ Marti currumq; rotasq; volucres
Instabant, quibus ille viros, quibus excitat vrbes.

Quinetiam Iunonis militarem currum idem Carthagine seruari describit lib. Æneid. I.

—— *Hic illius arma,*
Hic currus fuit. ——

Quod

Quod Dea ipsa Fastorum VI. apud Ouidium fatetur:

Pœniteat, quòd non foui Carthaginis arces,
Cùm mea sint illo currus & arma loco.

Primum Troxilus ei dicauit, ait Tertullianus de Spectaculis. Hinc fortè currus Iunoni sacer. Incertum, quando inuenti primùm. Antiquissimum vsum reperio in exercitu Pharaonis, Exodi XIV. *Tulitq; sexcentos currus electos, & quidquid in Ægypto curruum fuit, & Duces totius exercitus.* Inuentio nulli certo auctori tribuitur: diuersi fortè repererint rem eamdem apud varios. Sunt autem varia curruum genera, bigæ, trigæ, quadrigæ, seiugæ, quibus verbis non tam vehicula quàm equi biiuges, triiuges, quadriiuges significãtur, aiunt Isidorus & Budæus, à numero equorum. Inuenio & septemiuges & decemiuges. Generali autem vocabulo cisia, essęda, & couinos. Bigas Lunæ, trigas inferis, quadrigas Soli, seiugas Ioui consecrarunt, ait Isidorus lib. XVIII. cap. XXXVI. Bigas Lunæ, quoniam gemino cursu cum Sole contendit; siue quia & nocte videatur & die; iungunt enim vnum equum nigrum, & alterum candidum. Bigis soliti pugnare Heroës, ait Philostratus in Iconibus. Trigas Dijs inferis; quia hi per tres ætates ad se rapiunt homines; per infantiam, iuuentutem, senectutem. Harum in prælijs vsum vetustum & heroicum apud Græcos fuisse, scribit Dionys. lib. VII. extremo. *Nam duobus*, inquit, *equis iunctis, quo modo biga iunguntur, addebatur tertius equus funalis, quem prisci vocabant παρήωρον*, quòd alijs esset adiunctus. His quidem Neronem vectum Plinius insinuat lib. XXVIII. scribens, *eum vti potione quadam solitum, vt Trigario (id est trigarum agitatori) se probaret.* Quadrigas Soli ideò adiungunt, quia per quatuor tempora anni vertitur. Has Hectorem rexisse Poëtæ scribunt, & Virgilius Latino Regi dat lib. X.

——— *Latinus*
Quadriiugo vehitur curru. ———

Seiuga maximus currus, currit Ioui, propterea quod maximum Deorum suorum esse credunt. Hanc agitauit Mithridates,

dates, auctore Plin. de Vir.illustr.Septemiugis mentio est in antiquâ Cecchinorum tabulâ, ait Onuphrius de Circo cap. IX. Quatuor temonibus & equis octo coniugauit currum suum Abradatas lib. VI. Pædiæ Cyri. *Quem currum Cyrus intuitus*, ait Xenophon, *cogitauit fieri posse, vt etiam cum octo temonibus currus instrueretur, vt octo boum paribus ageretur. His curribus turres imposuit, turribus singulis viros viginti.* Nero Olympijs aurigauit decemiugem, auctore Suetonio cap. XXIV. *quamuis idipsum in Rege Mithridate carmine quodam suo reprehendisset: sed excussus curru, ac rursus repositus, cùm durare non posset, destitit ante decursum.* At verò non solùm equos curribus committere veteres consueuêre, sed camelos & elephantes, testibus Suetonio & Lampridio. quamquam fortè non ad bellum, sed ad ludos aut triumphum, vt iam dicti decemiuges Neronis.

Biga ante reliquas inuenta est, affirmante Lucretio lib. V.

Et biiugo prius est, quàm bis coniungere binos,
Et quàm falciferos inuentum ascendere currus.

Bigas primùm iunxit Phrygum natio, ait Plin. lib. VII. cap. LVI. Neptuno id assignant nonnulli, aiuntque tradidisse Libybus. *Iugo primus Ciristenes Sicionius tantùm medios iugauit, eosq; singulos ex vtraque parte simplici vinculo applicuit, quos Græci σειραφόρους, Latini funarios vocant*, ait Isidorus libro XVIII. cap. XXXV. Pollux scribit vocatos quoque Siræos & Pareoros; *nam eorum habenæ Siræ & Pareoriæ dicebantur. Funales* appellantur Suetonio Tiberij cap. VI.

De Trigæ fabricatore nihil habeo.

Quadrigas Cicero Mineruæ tribuit; Virgilius, Tertullianus, Plinius, Ælianus, Erichthonio; Herodotus, Afris; Pausanias & Arati interpres Theon, Troxilo; Ado, Prochlo; Tertullianus de Spectaculis, Acrophilo Argiuo; Hyginus, Orsilocho Argeo; Eusebius, Arogilo, seu Proclyto: quibus vltimis tribus locis Leopard. lib. I. Emend. cap. XV. restituit *Troxilo. Oenomao*, Ioannes Sauaro, qui sic explet Corippi lacunam:

Oenomaum referam primas iunxisse quadrigas.

Alio-

Aliorum incerta origo. *Curribus ferè ad bella vsi Asiatici omnes*, ait de ijs Xenophon lib. VI. Pædiæ. Pharusij item & Nigretes, auctore Strabone lib. XVII. Quin & *Zabeces, quarum femina currus in bellum aurigantur*, si Herodoto credimus libro IV. qui Pœnos quoque sic præliari scribit lib. VII. Gallos essedarios fortiter se gessisse in suos equites, Cæsar scribit lib. II. de Bell. Gall. *Hi de essedo pugnabant.* quod & Britannis assignat Cæsar lib. IV. Bell. Gall. Mela lib. III. cap. VI. Diod. Siculus lib. V. cap. VIII. & Propertius lib. II. Eleg. I.

Essedaque celatis siste Britanne iugis.

At Belgis tribuit Virgilius III. Georg.

Belgica vel molli melius feret esseda collo.

De Gallo-Belgis loquitur. Belgas Lucanus ornat laude inuenti couini, lib. III. Pharsaliæ:

—— *Rector monstrati Belga couini.*

Vnde Tacito in Vitâ Agricolæ, *Couinarij equites*, qui scilicet è couino pugnabant. Quod verò curulis militiæ indicium certius, quàm Olympia Græcorum ludi, & Circenses Romanorum, qui illorum imitatione videntur instituti? Et quousque hominum se extendit audacia? Tigrides etiam quadrigis iunxit Heliogabalus, auctore Lampridio. Ad summam, tantus olim curruum fuit vsus in bello, vt crediderit Camerarius, equites Monippos (celetas & celetizontes vocat Plinius lib. XXXIV. cap. V. & VIII.) id est singulari equo pugnantes, veteribus propè fuisse ignotos; quòd Homerus nimirum Heroës omnes è curribus facit pugnare; etsi Homero ignotos fuisse quidem Monippos, scribit Pollux, quia Homerus nempe solos Heroës pugnantes describit, quos bigæ quadrigæve magis decebant. Persas certè solis ferè curribus in militiâ vsos esse, arguit Xenophontis narratio, qui Persas captos refert spectantium fuisse ludibrio expositos, quia benè pasti & candidi erant, vtpote curribus vectari soliti. Et Curtius confirmat lib. IV. *Falcata quadriga, vnicum illarum gentium auxilium.* Id quod de Indis clariùs lib. VIII. *Summa virium in curribus.* bello nempe Pori Indorum Regis aduersus Alexan-

drum. Copia autem quibuſdam bellis fuit tam immanis, vt Codex ſacer 1. Reg. cap. xiii. ſcribat, Philiſthijm congregaſſe ad præliandum contra Iſraël triginta millia curruum. Et Rex Hanon 1. Paralipom. cap. xix. conduxit aduerſus Dauidem trigintaduo millia curruum, quorum ſeptem millia Dauid intercepit. Semiramis centum millia, auctore Cteſiâ apud Diodor. lib. ii. cap. vii. Hinc ſingularis eorum in exercitu cura, tamquam præcipuarum machinarum. Ælian. lib. de Inſtruendis aciebus: *Duos currus zygargiam, id eſt parilem vocant. Duas pariles, coniugationem. Duas coniugationes, epizygargiam, duplarem coniugationem. Duas duplares, harmatarchiam curulem. Duplicatum curulem, cornu. Duplicatum cornu, phalangem.* Præfectos etiam eorum adminiſtrationi datos, indicatur lib. iii. Regum cap. ix. quos Xenophon lib. vi. Pædiæ vocat *Duces curruum.* Quin & *ciuitatem curruum* appellat citatus liber Regum, in quâ nempe, tamquam in armamentario, ſeruabantur. Non abs re fuerit indicare hoc loco, quemadmodum è curribus pugnatum ſit, quis equos rexerit, quis armis dimicauerit. Duo currum eumdem aſcendebant, Homero teſte Iliade Ψ. parabates, & auriga. Parabates, ſeu hoples, armis pugnabat; auriga frenos regebat & currum. Locus, quo vterque in curru ſtabat, dicebatur δίφρος, quaſi δίφορος, quòd duos ferret, auctore Euſtatio. Staticulum, à ſtando, Plinius appellat lib. xxxiv. cap. xvii. & lib. xxxvii. cap. x. Ceteræ partes curruum militarium accuratè enumerantur à Polluce lib. i. cap. x. Aliam curulis pugnæ rationem Curtius explicat lib. viii. *Summa virium in curribus: ſenos viros ſinguli vehebant: duos clypeatos, duos ſagittarios, ab vtroque latere diſpoſitos; aurigæ erant ceteri, haud ſanè inermes; quippe iacula complura, vbi cominus præliandum erat, omiſſis habenis, in hoſtem ingerebant.* Id genus curruum à Theſeo excogitatum, ſcribit interpres Ariſtophanis. His ſe veteres exercebant, ait Hieronymus Mercurialis lib. iii. Gymnaſticôn, cap. x. *ne, cùm pugnandum erat, tamquam inexercitati, & diuerſorum agendi currus modorum expertes, ſuperarentur.* Horum pugnam egregiè depingit

pingit Maro libro x. Æneidos, quam picturæ loco lubet adijcere:

Intercà biiugis infert se Lucagus albis
In medios, fraterq́ Liger: sed frater habenis
Flectit equos, strictum rotat acer Lucagus ensem.
Haud tulit Æneas tanto feruore furentes:
Irruit, aduersaq́ ingens apparuit hastâ.
Lucagus, vt pronus pendens in verbera telo
Admonuit biiugos, proiecto dum pede læuo
Aptat se pugnæ, subit oras hasta per imas
Fulgentis clypei; tum læuum perforat inguen:
Excussus curru moribundus voluitur aruis.
Lucage, nulla tuos currus fuga segnis equorum
Prodidit, aut vanæ vertêre ex hostibus vmbræ:
Ipse rotis saliens iuga deseris. Hæc ita fatus,
Arripuit biiugos, frater tendebat inermes
Infelix palmas, curru delapsus eodem.
Per te, per qui te talem genuêre parentes,
Vir Troiane, sine hanc animam, & miserere precantis.
Pluribus oranti Æneas: Haud talia dudum
Dicta dabas; morere, & fratrem ne desere frater.
Tum latebras animæ, pectus mucrone recludit.

Quia verò diuersa longè est pugna, quam à Britannis pugnatam esse ex essedis scribit Cæsar 1 v. de Bello Gallic. hîc duxi attexendam: *Genus hoc est ex essedis pugnæ. Primò per omnes partes percquitant, & tela conijciunt, atque ipso terrore equorum & strepitu rotarum ordines plerumque perturbant; & cùm se inter equitum turmas insinuauêre, & ex essedis desiliunt, & pedites prælantur. Aurigæ interim paulùm è prælio excedunt, atque ita se collocant, vt, si illi à multitudine hostium premantur, expeditum ad suos regressum habeant. Ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in prælijs præstant, ac tantum vsu quotidiano & exercitatione efficiunt, vt in decliui ac præcipiti loco, incitatos equos sustinere, & breuî moderari ac flectere, & per temonem percurrere, & in iugo insistere, & inde se in currus citissimè recipere consueuerint.*

Simile mihi prælium videtur ludicræ illi desultationi, quam Propertius Vertumnum vocat lib. IV. Elegiâ II.

Est etiam auriga species Vertumnus, & eius,
Traijcit alterno qui leue pondus equo.

Qualis verò, quàm miserabilis ille, Vertumnus verè humanarum rerum, currus Sesostris Regis, qui Reges, equorum loco, temoni alligabat, auctore Lucano lib. X.

Venit ad occasum mundiq; extrema Sesostris,
Et Pharios currus Regum ceruicibus egit.

Hos equestres currus Ælianus *expeditos* seu *simplices* vocat; *falcatos* autem, quos Macrobius *cum falcibus*, Suidas δρεπανηφόρα τέθριππα. Horum est posterior inuentio, vt suprà Lucretij auctoritate probatum, qui *falciferos* eos nominauit. Quod Silius imitatus est lib. XVII.

Agmina falcifero circumuenit arcta couino.

Triplicis fuisse generis, Steevvechius probat tabulis pictis in Vegetium, quas neque ego assequor satis, neque intelligere se fatetur Raderus noster Commentarijs in lib. IV. Curtij cap. XXII. Nam, inquit, si ea fuit species falcium quas Steevvechius expressit, quomodo potuerunt circumagi rotæ? Ego Curtium hîc intelligo (vbi scribit, *falces alias summis rotarum orbibus hærere*) summæ curuaturæ rotarum fuisse insertas falces, quæ extra rotas in latera porrectæ nunc sursum nunc deorsum spectabant. Cum Radero censeo, & benè eum censere, vel oculus iudicet spectatoris. Eccam Steevvechij rotam inhabilem, eccam Raderi volubilem:



Bigas falcatas nominat Pomponius Mela lib. III. cap. VI. de

de Britannis loquens, & Iordanes lib. de Rebus Geticis pag. 457.

Quadrigæ in oculos incurſant paſſim. Earum inuentionem Xenophon lib. v i. Pædiæ Cyro adſcribit. *Hoc pugnacis vehiculi genus*, inquit Auctor anonymus de Rebus bellicis, *reperit Parthicæ pugnæ neceſsitas.* At quæ illa pugna Parthica? Priùs ſanè repertum eſſe, docent me Literæ ſacræ Iudicum i. *Nec potuit* Iudas *delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant.* Certè Ioſephus lib. v. cap. v i. auget in tria millia. Rex Iabin habuit, Duce Siſarâ, nongentos, ibidem cap. iv. Iterùm Ioſue x v ii. *Reſponderunt filij Ioſeph: Non poterimus ad montana conſcendere, cùm ferreis curribus vtantur Chananæi, qui habitant in terrâ campeſtri.* Vegetius nihil adfert ante Antiochum & Mithridatem. *Falcatas quadrigas*, inquit lib. i i i. cap. x x i v. *in bello Rex Antiochus & Mithridates habuerunt.* De Antiocho, Liuius lib. x x x v ii. de Mithridate, Plutarchus in Lucullo. Vſos eſſe Perſas, Curtius docet lib. i v. *Ingens hoſtium terror, ducentæ falcatæ quadrigæ vnicum illarum gentium auxilium ſecutæ ſunt.* Iterùm lib. i v. *Centum falcati currus ſecuti ſunt.* Rurſus ibidem: *Ipſe ante ſe falcatos currus habebat.* de Dario loquitur. Quales autem fuerint, explicant ijdem. *Ex ſummo temone*, inquit Curtius, *haſtæ præfixæ ferro eminebant. Vtrimque à iugo ternos direxerant gladios, & inter radios rotarum plura ſpicula eminebant in aduerſum. Aliæ deinde falces ſummis rotarum orbibus hærebant, & aliæ in terram demiſſæ, quidquid obuium concitatis equis fuiſſet, amputaturæ.* Diu pòſt repetit: *Alios ergo haſtæ multùm vltra temonem eminentes, alios ab vtroque latere dimiſſæ falces lacerauêre.* Quibus paria ferè habet Liuius loco citato: *Quadrigæ armatæ in hunc maximè modum erant: Cuſpides circa temonem ab iugo decem cubita extantes, velut cornua habebant, quibus quidquid obuium daretur, transfigerent; & in extremis iugis binæ circà eminebant falces, altera æquata iugo, altera inferior in terram deuexa: illa, vt quidquid ab latere obijceretur abſcinderet; hæc, vt prolapſos ſubeuntéſque contingeret. Item ab axibus rotarum vtrimque binæ eodem modo diuerſæ deligabantur*

tur falces. Conuenit cum vtroque Scriptore Latino Diodorus Sicul. lib. XVII. *Procurauit Darius currus falcatos ducentos, quos ita conſtruxit: Circa equum vtrumque, qui loris reuincti currum trahebant, exteriùs in iugo fixa ſpicula, trium palmorum longitudine, cuſpide in hoſtium faciem conuerſâ, conſtituebantur. Ad axes rotarum demiſſos, altera duo itidem hoſtibus occurrentia extabant: hæc & longiora & latiora erant prioribus, habebantq; in ſummo adnexas falces.* Xenophon lib. I. de Expeditione Cyri, *Falces*, inquit, *ex dolabris ad imos currus in obliquum affixæ prominebant, terram deorſum ſpectantes.* Diuerſi valdè hi currus ab illis, quos Anonymus deſcribit libello de Rebus bellicis: nam his, cultri à tergo; illis, à temone. *Hoc vehiculum*, inquit, *ſingulis benè munitis inuecti equis, duo viri, veſtitu & armis, ferro diligenter muniti, citato curſu in pugnam rapiunt, cuius poſterior ſupra currum pars, cultris in ordinem ſtantibus communitur, videlicet, ne facilis à tergo cuiquam præbeatur aſcenſus. Falces verò acutiſſimæ axibus eiuſdem currûs aptantur, in lateribus ſuis anſulas habentes, quibus innexi funes, pro arbitrio duorum equitum laxati quidem explicant, repreſſi autem erigunt falces.* Et de alio falcatorum genere: *Poſterior vehiculi pars ſpontaneis verberibus, ad incitandos equos, & clypeis acuto ferro circumdatis, velut in propugnaculo poſitis communitur.* En, vt currus Curtij & Liuij à temone & iugo antrorſum armati ſint; Anonymi verò retrorſum, ad prohibendum aſcenſum ſupra rotarum axes. Sed multò peregriniores ſunt ij quos fabricauit Cyrus, auctore Xenophonte lib. VI. Pædiæ, qui, inſtar ſimplicium curruum, inſtructi aurigâ & bellatore. *Currus*, inquit, *trecenti præbent pugnantes trecentos, equis autem hi vtuntur mille ac ducentis. Aurigæ verò hi ſunt, quibus Optimates maximè fidem habent. ij verò ſunt alij ad trecentos, qui hoſti nihil nocent.* (Ergo ſinguli currus habent quatuor equos; ſinguli, vnum aurigam, vnum bellatorem.) *Hos aurigas ſeſſilis currus ſuſtulit. Pro his verò ad bellandum aptos parauit currus & validis rotis, quò non facilè contererentur; & longis axibus: minùs enim reſupinantur lata omnia. Sellam verò fecit aurigis, ſicuti turrim, ex validis lignis. Ha-*

rum

rum verò curulium ſellarum altitudo eſt ad cubitos quinque, quò poſſint equi ab aurigis gubernari ſuper ſellas. At aurigas loricis totos armauit, exceptis oculis. Appoſuit etiam falces ferreas, duarum vlnarum longitudine, ad axes, ex alterâ atque alterâ rotarum parte; & alias infrà ſub axem, reſpicientes in terram, tamquam impetum in aduerſarios currus facturi eſſent. Fateor, difficilè capio, quî ex hoc curru pugnauerit hoples, ſeu miles armatus. Quî enim poſſet, aut quo loco? Ante, an poſt aurigam? Ante aurigam, inter habenas & verbera ſtabit: poſt aurigam quomodo pugnabit? nam aurigæ ſella alta eſt quinque cubitos. Fortè à latere? Aqua mihi hæret: nam quanta, quàm longa aurigæ ſcutica, quàm longæ habenæ, ex ſellâ quinque cubitorum? Porrò Britannis quoque falcatos currus aſſignat Pomponius Mela lib. III. cap. VI. *Dimicant*, inquit, *bigis & curribus Gallicè armati.* Couinos *vocant, quorum falcatis axibus vtuntur.* Magna ſubinde pericula & damna attulêre hi currus. Suidas: *Aciem perturbabant, & in quos incurrebant, eos mutilos tractoſq; atrociter interficiebant.* Hirtius de Bello Africano: (Pharnacis) *falcatæ Regiæ quadrigæ permiſtos milites perturbant.* Curtius lib. IV. *Darius ante ſe falcatos currus agebat, quos, ſigno dato, vniuerſos in hoſtem effudit. Ruebant laxatis habenis aurigæ, quò plures, nondum ſatis prouiſo impetu, obtererent,* &c. *Nec ſenſim Macedones cedebant, ſed effuſâ fugâ turbauerant ordines.* Ibidem: *Ingens hoſtium terror ducentæ quadrigæ.* Iterùm: *Currus, qui circa prima ſigna turbauerant aciem, in phalangem erant inuecti,* &c. *Paucæ tamen euaſêre quadrigæ in vltimam aciem; ijs, quibus inciderunt, miſerabili morte conſumptis: quippe amputata virorum membra humi iacebant,* &c. Ibidem denique Darius, etſi iactabundè: *Obteri meherculè equorum vngulis poſſunt, etiamſi nihil præter falcatos currus emiſero.* Xenophon lib. VII. Pædiæ: *Quem autem hæ falces corripuiſſent, omnia vi incidebant, & arma, & corpora. In hoc autem inenarrabili turbine ex multifariâ coaceruatione exilientibus rotis, excidit Abradatas.* Anonymus libello de Rebus bellicis: *Qualia verò huiuſmodi machinæ funera immittant, vel quas, turbatis*

batis ordinibus, ſtrages efficiant, dicent melius qui vſu bella cognoſcunt.

Haud dubiè ingentia initiò attulêre damna, ſed mox vitata artificio, & in auctores verſa, vt elephantorum ſtrages. Primùm ergo eluſa falcatorum vis, aperiendo agmen, & includendo circumueniendoque currus. Curtius lib. IV. *Currus, qui in phalangem erãt inuecti, Macedones in medium agmen accipiunt. Vallo ſimilis acies erat; iunxerant haſtas, & ab vtroque latere temerè incurrentium ilia ſuffodiebant. Circuire deinde currus, & propugnatores præcipitare cœperunt.* Aliàs retroactæ quadrigæ in ſuos, terrore fremituque vociferantium. quod Alexander quoque eſt commentus Curtij lib. IV. *Præcepit, vt ſi falcatos currus* (Perſæ) *immitterent, ipſi, laxatis ordinibus, impetum incurrentium ſilentio exciperent, haud dubius, ſine noxâ tranſcurſuros, ſi nemo ſe opponeret: ſin autem ſine fremitu immiſiſſent, eos ipſi clamore terrerent, pauidoſq; equos vtrimque ſuffoderent.* Et Eumenes bello contra Antiochum, eodem ſtratagemate vſus apud Liuium lib. XXXVII. *Falcatæ quoque quadrigæ, quibus ſe perturbaturum hoſtium aciem Antiochus crediderat, in ſuos terrorem verterunt*, &c. *Eumenes haud ignarus pugnæ, & quàm anceps eſſet auxilij genus, ſi quis pauorem magis equis iniiceret, quàm iuſtâ adoriretur pugnâ; Cretenſes ſagittarios funditoreſq; excurrere iubet, ſimul omnibus partibus tela ingerere. Hæc velut procella partim vulneribus miſilium, partim clamoribus diſſonis, ita conſternauit equos, vt repentè, velut effrenati, paſſim incerto curſu ferrentur*, &c. *Et eques inſequendo, tumultum ac pauorem, equis cameliſq;, & ipſis ſimul conſternatis, augebat clamore, & ab aliâ circumſtantium turbâ multiplici adiecto. Ita medio inter duas acies campo exiguntur quadrigæ, amotoq; inani ludibrio, tum demum ad iuſtum prælium, dato vtrimque ſigno, concurſum eſt.* Deinde vitatæ quoque, palis in terram altè defixis ante aciem, intra quos miles ſe reciperet, quadrigis accurrentibus. Ita Luc. Sylla, Archelai; Cæſar, Gallorum falcatas deluſêre. *Archelaus Proſignanis imperauit*, ait Frontinus lib. II. cap. III. *vt denſos numeroſoſq; palos firmè in terram defigerent, intraq;*

eos

eos appropinquantibus quadrigis, ante signa nostram aciem recepit; tum demum sublato vniuersorum clamore, velites & leuem armaturam ingerere tela iussit; quibus factis, quadrigæ hostium aut implicitæ palis, aut exterritæ clamore telisque, in suos conuersa sunt, turbaueruntq; Macedonum instructuram. C. Cæsar Gallorum falcatas quadrigas eâdem ratione palis defixis excepit inhibuítque. Quin humentibus etiam locis nullam falcatorum curruum vtilitatem fuisse, Curtius lib. VIII. ostendit. *Vix*, inquit, *vllus vsus huius auxilij eo die fuit; namque imber, violentiùs quàm aliàs fusus, campos lubricos & inequitabiles fecerat: grauesq; & propemodum immobiles currus illuuie ac voraginibus hærebant.* Post pauca: *Per lubrica atque inuia immissi currus, excutiebant eos à quibus regebantur. Aliorum turbati equi non in voragines modò lacunásque, sed etiam in amnem præcipitauêre curricula. Pauci, tenus hostium exacti, penetrauêre ad Porum acerrimè pugnam cientem. Is, vt dissipatos totâ acie currus vagari sine rectoribus vidit, proximis amicorum distribuit elephantos. Ad summam; quæ primò magnum intulêre terrorem, postmodum fuêre derisui*, ait Vegetius lib. III. cap. XXIV. *Nam difficilè currus falcatus planum semper inuenit campum, & leui impedimento retinetur, vnoq; afflicto aut vulnerato equo decipitur. Sed maximè hac Romanorum militum arte perierunt: vbi ad pugnam ventum est, repentè toto campo Romani tribulos obiecerunt, in quo currentes quadrigæ cùm incidissent, delet æ sunt. Tribulus autem est ex quatuor palis confixum propugnaculum, quod quo modo abieceris, tribus radijs stat, & erecto quarto infestum est.* Hi tribuli sunt, quos *murices* Curtius, Cæsar, alijque appellant; nisi quòd illi toti ferrei sunt. Non igitur iniuriâ Liuius falcatas quadrigas appellat *anceps auxilij genus*, quòd nempe tam suis noxium, quàm hosti; imò *inane ludibrium*, quòd vel fremitu militumque clamoribus verteretur in suos.

De Niphæi curru ab Æneâ territo, Virgilius lib. X.

Quin eccè Niphæi
Quadriiuges in equos, aduersaq; pectora tendit;
Atque illi longè gradientem, & dira frementem

Vt vidêre, metu versi, retroq; ruentes,
Effunduntq; Ducem, rapiuntq; ad littora currus.

Sic earum vsus exoleuit. Et quot Hippolytos credimus curribus suis miserandum in modum laceratos? Cùm

Inobsequentes protinus frenis equi
Rapuêre currum, iamq; deerrantes viâ
Quacumque pauidos rapidus euexit furor,
Hâc ire pergunt, seq; per scopulos agunt.
Frustrà reclamat miles, frustrà moderator:
—— Frustrà retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

LIBER II.

DE APPARATV MILITIAE EQVESTRIS.

Argumentum Libri.

EQVORVM *quomodo paretur copia, equitumq; idoneus delectus. Equorum equitumq; arma & phalerae. Vexilla, Tubae, Cornua, Litui, Buccinae, Tympana. Recensio equestris. Vetus equitum transuectio & probatio. Equitum stipendia & annona.*

CAPVT I.

Equorum bonorum quomodo procuranda copia.

LACONVM *de equis imprecatio. Fabula equorum Diomedem deuorantium. Equorum copia hippotrophijs, tributis, ære publico parata. Hippotrophia habuêre Medi, Getuli, Babylonij, Macedones. Tributis equos collegêre Athenienses, Armeni, Cappadoces, Germani, Cilices, Franci. Agesilai & Scipionis astus instaurando equitatui. Aere publico emêre Romani & Galli. Quae praestantium equorum notae. Equi optimi, vbi. Quae equorum vitia equiti sociisque periculosa. Equi Olympicis & Circensibus probati. Qui perierint vitio equorum. Equus Seianus quàm fatalis. Stratores in Prouincias missi ad equorum delectum. Emendorum equorum vetus stipulatio & cautio. Sarmatae, Quadi & Turcae castratis solummodò vsi. Scythae cur solis equabus. Sarcinarij & Agminales equi minùs elegantes. Cur Iudaeorum Regibus olim diuinitus interdictum multitudine equorum. Cleomenis scomma in Ptolomaeum Aegypti Regem equorum negligentem.*

QVAE diriſſima fuit Laconum execratio, auctore Suidâ in voce Ὀικοδομὴ, vt nempe imprecarentur hoſtibus ſuis ἱπποτροφίαν, id eſt, ſtudium alendorum equorum, id ego cenſeo eſſe debere votum proſperrimum boni Hipparchi. Quod namque impendium priuatæ rei loculos exhaurit, id ærarij publici copiâ ſuſtentatum, rem longè vtiliſſimam adfert, copiam bonorum equorum. Non inſcito commento Veteres pernicioſam priuatis equorum alimoniam expreſſerunt, Diomedis nimirum hoſpites ſuos equis obijcientis, & ab equis deinde ſuis deuorati. Equi namque diurnâ nocturnaque ingluuie priuatas opes facilè abliguriunt; tantò pretioſiùs comedunt, quàm bibunt. Quare vtilis illa Indorum lex, quam Strabo adfert lib. xv. Geographiæ: *Priuato homini equum aut elephantem alere non licuiſſe, quòd vtrumque Regis poſſeſſio cenſeretur.* Sed fuit id ſtudium bellicoſiſſimarum Nationum, artibus omnibus copiam augere equorum. Huius ergo rei cauſsâ Hippotrophia, ſeu equorum ſeminaria inſtituta, vbi genitales equis erant terræ; aut tributa equeſtria impoſita (vt importati ſaltem equi haberentur) aut è publico empti. De Seminarijs Strabo lib. xi. *Media*, inquit, *vt & Armenia, equis alendis excellit; & inde quoddam pratum Hippoboton vocant, alúntque equorum Regiorum in eo quinquaginta millia. Niſæos equos, quibus Reges vtuntur, quidam peti hinc aiunt.* Lib. xvii. *Getulia Reges ſic equis ſtudent, vt ad centena pullorum millia quotannis (accuratâ factâ ſupputatione) recenſeantur.* Herodotus lib. i. ſcribit, *Babylonio Regi, cùm Cyrus Babylonem caperet, fuiſſe peculiares equos, præter militares, admiſſarios octingentos, equarum ſexdecim millia.* Amplius Strabo lib. xvi. de equitio Macedoniæ: *In vrbe Pellâ (quæ Philippi & Alexandri Regum patria) Regis equæ ſuperabant numerum triginta millium, admiſſarij erant trecenti.* De tributis equeſtrium armentorum, Suidas voce Ἵππαρις refert factam à Solone huiuſmodi deſcriptionem Athenienſium, ne equi bello neceſſarij deeſſent: *vt qui* cd. *medimnorum reditum haberent, ſinguli*

singuli alerent equum. Alij, quos Zeugitas appellarunt, bini simul equum vnum, cùm essent nempe tenuiores. Armeni equestre tributum Regi suo pendunt, teste Xenophonte lib. IV. Expeditionis Cyri. *Cappadocia Persis confert quotannis mille quingentos equos; ferè duplum huius Medi pendunt*, Strabo lib. XI. *Dario Cilicia quotannis suppeditabat trecentos sexaginta equos albos: singulos nempe in singulos anni dies*, ait Herodotus lib. III. Quo exemplo fortè Pipinus Francorum Rex Saxonibus à se debellatis *imperauit vectigal annuum trecentorum militarium equorum*, vt Æmilius narrat lib. II. De tributis hæc habui, quibus parari equorum non exigua copia possit. Sed Agesilaus arte equitatum instruxit, cùm tributo non posset. *Cùm namque aduersus Tissaphernem equitatu esset inferior, edixit locupletioribus omnibus, si solui militiâ vellent, vt pro se quisque equum & vicarium darent; ita factum, vt breui cogerentur equi, gnauiq; milites loco ignauorum. Aiebat verò, se vestigijs insistere Agamemnonis, qui pro bonâ equâ missionem repræsentauit militi locupleti, sed imbelli.* Plutarchus in Vitâ, & Apophth. Lacon. Haud absimile est, quod Scipionem feciſſe Liuius lib. XXIX. & Valerius lib. VII. cap. v. referunt. Cùm ex fortissimis peditibus Romanis equitum trecentorum numerum complere vellet, trecentos iuuenes nobilissimos & ditissimos, quos secum ex Siciliâ habebat, speciosa arma & electos equos expedire iussit, velut eos secum ad Carthaginem auecturus. *qui cùm sollicitè paruissent, Scipio edixit, se ijs remittere eam expeditionem, si arma & equos militibus suis darent; quam conditionem rapuit imbellis illa ac timida iuuentus.*

Magno ære equos soliti comparare Galli, auctore Cæsare initio lib. IV. Belli Gallici. *Iumentis*, ait, *maximè Gallia delectatur, eaq; impenso parat pretio.* Quamquam *Venetis Gallis* olim Strabo morem tribuit lib. V. *equos alendi, ab ijsq; Dionysium Siculum quotannis equos accersisse in certaminum ludos.* Hinc Bodinus argutè diuinat lib. IX. Methodi suæ historicæ, Celtarum nomen Gallis inditum, quia equi κέλητες nominantur, quorum studio vsuque delectarentur Galli. Cæ-

ſar lib. v. *Treuirorum ciuitas longè plurimùm totius Galliæ equitatu valet.* Quinetiam Romani equitatûs robur Gallicis maximè ſtetiſſe auxilijs, teſtatur Strabo Geograph. lib. iv. *Galli*, inquit, *omnes naturâ ſunt pugnaces, equitatu tamen quàm peditatu meliores; & optimam equitatûs ſui partem Romani ab his habent.* Fidem exemplo adſtruit Romanus ſcriptor Hirtius bello Africano. *Accidit*, inquit, *res incredibilis, vt equites Galli minùs triginta, Maurorum equitum duo millia fugarent.* Et de Gallico tamen equitatu audebat ſibi perſuadere Fabius, *Prima Gallorum prælia plus quàm virorum, poſtrema minus quàm feminarum eſſe.* expertus pòſt, non niſi Decij deuotione ac morte, equeſtris illius procellæ vim frangi potuiſſe, vt Liuius refert lib. x. Romani denique equos è Prouincijs accerſebant, diſtribuebantque è publico equitibus ſuis. vnde *publicus equus* inuenit nomen. Liuius lib. i. *Ad equos emendos decem millia æris ex publico data. Mille aſſarium* Varro appellauit. Neque tam numerum quàm præſtantiam attendebant Romani. Quid enim præſidij in caballis illis ſtrigoſis, ſegnibus, vetulis, quales Iuuenalis pingit, qui

—— Pretijs dominos mutare iubentur
Exiguis, tritóque trahunt epirhedia collo,
Sonipedes, digníque molam verſare nepotis?

Bellicoſos illos amabant, quales Statius lib. vi. pingit:

Qui dominis, idem ardor equis. Face lumina ſurgunt:
Ora ſonant morſu, ſpumíſque & ſanguine ferrum
Vritur, impulſi nequeunt obſiſtere poſtes:
Stare, adeò miſerum eſt; pereunt veſtigia mille
Ante fugam, abſentémque ferit grauis vngula campum.

Hoc nempe Maro commendabat in equorum educatione:

—— Animos æuúmque notabis,
Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ.

Hoc conſilio ſtratores in Prouincias dimiſſos ad probandos equos, Ammianus ſcribit lib. xxix. *Conſtantinus ſtrator paucos militares equos ex his auſus mutare, ad quos probandos miſſus eſt in Sardiniam.* Extat verò edictum Valentin. & Valentis

tis lib. XII. Cod. tit. XXIV. quo iubentur *Prouinciales in offerendis equis certam formam, staturam & ætatem obseruare.* Sed iam olim apud Romanos mos inueterauerat probandorum equorum. vnde Kalendarium Manutianum Septembri mense notat *Ferias equorum probandorum.* Quamquam & Circensibus ludis apud Romanos equorum præstantia, sicut Olympicis hippodromijs apud Græcos, explorabatur. neque enim curribus solis, sed singularibus quoque exsolutisque equis Circenses instituebantur. Suetonius Iulij cap. XXXIX. *Circensibus equos desultorios agitauerunt nobilissimi iuuenes.* Iterùm Domitiani cap. IV. *In Circo, præter solemnes bigarum quadrigarumq; cursus, prælium duplex equestre commisit.* Et de eodem Dio lib. LX. *Ob victoriam Britannicam Claudius equorum certamina tot promisit, quot dies ille admitteret. Plura tamen quàm decem non fuêre.* Clarissimè Dionysius Halic. lib. VII. *Peractâ pompâ certamina spectantur equorum; quorum primum erat quadrigarum, bigarum, singulariumq; equorum cursus, quemadmodum in Olympijs fieri solet.* Et Liuius lib. XLIV. *Circensi ludicro, semel quadrigis, semel desultore missо*, &c. Sanè Onuphrius libello de Circo, existimat singulares hosce equos sponsione præmij cucurrisse, hortatoresque nullo præmio subinde bigis aut quadrigis fuisse subsecutos. *Nam in vetustis tabulis aurigarum*, inquit, *equus singularis currum antecedit.* Et pleraque Poëtarum testimonia consonant in cursum hunc singularium equorum.

Lucani lib. I. Pharsal.

—— Quantum clamore iuuatur
Eleus sonipes, quamuis iam carcere clausо
Immineat foribus, pedibúsque repagula laxet.

Ouidij II. Tristium:

Acer, & ad palmæ per se cursurus honores;
Si tamen horteris, fortiùs ibit equus.

Silij lib. XV.

Sic vbi prosiluit Pisæo carcere præceps,
Ante suos it victor equus. ——

Eiuſ-

Eiuſdem lib. XVI.

—— Curſus proponit equorum.
Fluctuat æquoreo fremitu rabiéque fauentum,
Carceribus nondum reſeratis, mobile vulgus,
Atque fores oculis & limina ſeruat equorum.
Iámque vbi prolato ſonuêre repagula ſigno,
Et toto prima emicuit vix vngula cornu;
—— Similes hortantibus ore ſequuntur
Quiſque ſuos, magnáque volantibus ijdem
Voce loquuntur equis. ——

Quid ergo tum ſpectabant? Velocitatem præcipuè, roburque atque ingenium equorum, vt equeſtrem militiam quàm florentiſſimam conſeruarent. Ac ſi qui tum eâ indole erant, de quibus Naſo diceret,

Cui faueas, ipſi ſcire videntur equi;

tum hos plauſu in cælum efferebant.

—— Nempe volucrem (ait Iuuenal. Sat. VIII.)
Sic laudamus equum, facili cui plurima palmæ
Feruet & exultat rauco victoria Circo.

Duo verò obſeruabant præcipuè in equorum delectu, patriam, & familiam. A patriâ commendantur *Agrigentini.* Virgilius Æneid. III.

Arduus hinc Acragas oſtentat maxima longè
Mœnia, magnanimûm quondam generator equorum.

Agrigentum enim Pomponio Melæ eſt Acragas. *Argolici.* Horatius lib. I. Odâ VII.

Aptum dicet equis Argos ditéſque Mycænas.

Cappadoces, quibus nempe Argæi equi debent originem, teſte Claudiano de laudibus Serenæ:

—— Delectus equorum
Quos Phrygiæ matres Argæáque gramina paſtæ
Semine Cappadocum ſacris præſepibus edunt.

iterumque lib. II. in Ruffin.

—— Iam paſcua fumant
Cappadocum, volucrúmque parens Argæus equorum.

De

De quibus Solinus cap. XLVII. *Cappadocia ante alias altrix equorum, & prouentui equino accommodatißima eſt.* vt mirum non ſit, quod Capitolinus in Gordianis ſcribit: *Equos Siculos centum, & Cappadoces centum factionibus* (Circenſibus) *diuiſos.*

Elei. Lucanus I. Pharſaliæ:

—— *Quantum clamore iuuatur*
Eleus ſonipes. ——

& Virgilius lib. I. Georg.

—— *Eliadum palmas Epirus equarum.*

Piſæi. Silius Ital. lib. XV.

Sic vbi proſiluit Piſæo carcere, præceps
Ante ſuos it victor equus. ——

Epidaurij. Virgilius III. Georg.

—— *Domitrixq; Epidaurus equorum.*

Magnetes. Lucanus lib. VI.

Et Magnetes equis, Minyæ gens cognita remis.

Niſæi, vel à campo Niſæo in Mediâ, vt Herodotus lib. VII. vel à Niſo, loco inter Bactrianam & Suſianam, vt Suidas. His Reges vehi ſolitos, Strabo alijque ſcribunt.

Oebalij. Statius lib. VI. Thebaïd.

Oebalios ſublimis agit ſpes proxima palmæ
Amphiaraus equos. ——

Sarmatici. Silius lib. III.

At non Sarmaticos attollens Suſana muros
Tam leuibus perſultat equis. Hinc venit in arma
Haud aui fragilis ſonipes; crudóque vigore
Aſper frena pati, aut iußis parère magiſtri.

Thraces. Virgilius lib. XII. Æneid.

—— *Maculis quem Thracius albis*
Portat equus. ——

Et Statius lib. VI. Theb.

—— *Sed Thraces equi, vt vidère iacentem*
Hippodamum, redit illa fames, &c.

Veneti. Strabo lib. V. *Venetos aliquos putant deſcendere à Venetis Paphlagoniæ populis,* &c. *Hinc Dionyſius quoque tyran-*

nus Siciliæ, alendorum semen equorum constituit, quos ad equestre certamen tollebat.

Thessalicis denique equis Oraculi voce laus prima decreta est, quam Æginensibus interrogantibus redditam Strabo scribit lib. x.

Thessalicus præcellit equus. ——

Sed quousque vos differo, Hispania, Gallicia & Lusitania, equorum nobilissimorum altrices? Iamdudum Claudianus illud inter Serenæ Reginæ laudes accinit, *Dives equis* Hispania. Admonet aliunde Martialis:

—— *Videbis Bilbilim*
Armis & equis nobilem.

Inde Strabo, qui Iberos equos Parthis celeriores facit lib. III. Hinc instat Iustinus lib. XLI. *Equi tanti in Galæciâ & Lusitaniâ, tam pernices visuntur, vt non immeritò ipso vento concepti videantur*, &c. *Hispanorum verò plurimis militares equi & arma sanguine ipso chariora.* Sed præter militares, quàm eximios etiam pompæ præbet Hispania? Plinius testatur lib. VIII. cap. XLII. *In Hispaniâ, Gallaica gens & Asturica, equini generis, quos Thieldones vocamus, minori formâ Asturcones vocatos gignunt: quibus non vulgaris in cursu gradus, sed mollis, alterno crurum explicatu glomeratio; vnde equis tolutim carpere incursus traditur arte.* Quid mirum, animali tam generosum esse incessum? Caussa apud Martialem est:

Hic breuis ad numerum rapidos qui colligit vngues,
Venit ab auriferis gentibus Astur equus.

Sed familiam præterea equorum, non patriam solummodò æstimarunt. Statius lib. v. Silu.

—— *Romulei qualis per iugera Circi*
Cùm pulcher visu, titulis generosus auitis
Exspectatur equus, cuius de stemmate longo
Felix emeritos habet admissura parentes.

Nemesianus:

Cappadocúmque notas referat generosa propago
Æmathiæ, & palmas superet grex omnis auorum.

quos

quos versus olim corruptos sic emendat Caspar Barthus Aduers. lib. III. cap. XV. Virgilius lib. III. Georg.

Quamuis sæpè fugâ versos ille egerit hostes,
Neptunique ipsâ deducat origine gentem.

Statius lib. VI. Theb.

—— *Tua furto lapsa propago*
Cyllare, dum Scythici diuersus ad ostia Ponti
Castor, Amyclæas remo permutat habenas.

Martialis denique lib. III. Epigr. LXII.

Hirpini veteres qui benè nouit auos.

in quem locum Lipsius epist. XXVI. ad Valent. Acidalium adfert veterem inscriptionem, quâ Hirpini equi huius auus vocatur Aquilo, neposéque Aquilonis. Fortè ad familias internoscendas equis inusta stigmata, vt hodieque videmus, & factum olim Anacreon indicat:

Equi solent inustum
Coxis habere signum.

& Suidas, equis ad Phasidem natis scribit Phasianam auem solere inuri, vt de Bucephalo quoque Plinius libro VIII. cap. XLII. *Bucephalon eum vocarunt*, ait, *siue ab aspectu toruo, siue ab insigni taurini capitis, armo impressi.* Quo de more plura scripsi libello de Origine scribendi cap. XX. Hoc ergo delectu quærendi equi; optandaque emptoribus Michaëlis Balbi Imperatoris scientia, qui, Cedreno teste, *solo intuitu deprehendebat, quales euasuri essent equi, an celeres, an bellicosâ fortitudine nobiles.* Profectò si extaret Simonis Athenienſis liber, *quem ille de internoscendis equis admirabilem scripsit*, narrante Suidâ; is vtilis in primis foret. At nunc obiter, quæ ab alijs obseruanda didicimus, in medium adferentur. *Forma equorum*, inquit Plinius lib. VIII. cap. XLII. *quales maximè legi oporteat, pulcherrimè Virgilio vate absoluta est.* Hæc verò ea Virgilij forma est III. Georg.

—— *Illi ardua ceruix,*
Argutúmque caput, breuis aluus, obesaq; terga,
Luxuriatq; toris animosum pectus. Honesti

Spadices, glaucíque; color deterrimus albis,
Et giluo. ———

Xenophon libello de Re equestri complexus longè plurima, ostendit quid contra venditorum impostura sit obseruandum. *In corpore*, inquit, *prima erit pedum consideratio. Vt enim, quamuis benè superioribus sui partibus ædificata domus, si non subiecta sint conuenientia fundamenta, nulli vsui fuerit; ita & bellator equus nulli vsui fuerit, si maximè omnibus alijs dotibus, cùm malis tamen pedibus abundet; talis enim nullis suis dotibus vti possit. In explorandis igitur pedibus vngula consideranda: spissa enim, ad pedum bonitatem, longè differt à tenui. deinde cognoscendum, vtrùm sint arduæ, an depressæ*, &c. *Rectè Simon scripsit, sonitu deprehendi pedum bonitatem: non secus enim quàm cymbalum resonat vngula ardua. Ossa, quæ supra vngulam, infra talos, neque erunt procera, instar caprarum, (sic enim succussatione equitem afficiunt) neque depressa (sic enim deglubi & exulcerari calli illi solent.) Crurum ossa sint spissa*, &c. *Sed hæc spissitudo non sit venarum aut carnis: nam hoc pacto, cùm per aspera agitur equus, impleri hæc sanguine necesse est, & existere nodos, inflariq; crura. Femur sub armis sit crassum; sic enim robur & venustatem habet. Pectus autem amplum, idoneum est & ad formam, & ad robur, & ad largiores gressus. Iam de pectore non oriatur ceruix, tamquam hirci prona, sed eminens pertineat ad verticem, instar galli gallinacei, curueturq; in flexu. At caput osseum sit, cum paruis maxillis*, &c. *Consideranda & hoc, vtrùm buccæ sint teneræ, an asperæ, an verò inæquales: nam imparitas facit equos ore contumaci. Extantes oculi, vigilantiores putandi quàm profundi. Nares patulæ, multò quàm angustæ habent apertiorem meatum animæ, faciuntq; equum videri terribiliorem. Ipse vertex si fuerit grandior, aures verò minutæ, magis ita caput equinum videbitur. Spina dorsi supra armos paulò elatior, præbet opportunius sedile equiti: & armi ac reliquum corpus firmiùs compinguntur, si illa duplex fuerit*, &c. *Latera demissiora, supraq; aluum turgidiuscula, & residendi meliùs, & maioris roboris, & melioris de pastu succi commoditatem ferè habent. Lumbi quò erunt latiores,*

& mi-

& minùs prolixi, hoc facilius attollet priores pedes equus, & posterioribus subsequetur, &c. *Coxas esse & latas & carnosas oportet, vt consentaneæ sint cum pectore & lateribus.*

Hucusque de equini pulli membris ferè singulis Xenophon. Post pauca subijcit, quæ tenere debeat, si quis equum iam vectorem emere cogitat, ne circumueniatur à venditore. *Ac primùm*, inquit, *ætas ignoranda non est. Cui enim dens, qui ætatem notat* (*Græci γνώμονα vocant*) *excidit, neque delectat ope, neque reuendibilis est.* Mox aperit ea vitia, de quibus nos infrà Lib. III. cap. II. vbi ostendetur, quibus modis dedocenda sint. Neque enim statim desperandum de equi probitate est, quasi emendari nequeat, qui vel leue aliquod vitium aut consuetudine, aut incultu contraxerit. siquidem *Germani*, vt Cæsar scribit lib. IV. Belli Gallici, *iumenta apud se nata, praua atque deformia, quotidianâ exercitatione summi vt sint laboris efficiunt, eodemq; remanere vestigio assuefaciunt, dum pedibus ipsi præliantur.* Sed vitia incurabilia, morbi, moresque desperati, vitanda solummodò sunt, qualia Pollux lib. I. cap. XI. promiscuè enumerat, tit. IX. de Vituperatione operum ingenijque equini. *Equus segnis*, inquit, *hebes, otiosus, delicatus, simplex, piger, malis pedibus præditus, malè spirans, cunctator, timidus, trepidus, tremens, suspectus, hæsitabundus, molli vngulâ, duri oris, impares maxillas habens, grauis capite, cernuus, asininus, vorax, difficilis incitatu, immorigerus, habenas negligens, difficilis ductu, impudens, imbellis, stupidus, humilis, pusillanimis, deformis, indecens, facilis captu, neque turbam tolerans, neque militarem clamorem sustinens, equorum hominúmve osor, mordax, calcitrator, indomitus, malè institutus, non promptus, rudis, incompositus, sæuus, difficilis ad portandum, effrenis, impudentibus maxillis, refrenans, decutiens, incuriosus, equitis excussor, freni impatiens, subtimidus, deficiens, & si quæ alia his similia, secundùm Simonem.* Meritò sanè hæc vitanda in militaribus equis. *Nam, quæ tibi vtilitas erit equitatûs*, (rogat Socrates apud Xenophontem lib. de Dictis Socratis) *si equites adduxerint equos tam vitiatis pedibus ac tibijs, quosdam verò ita debiles ac strigosos, vt sequi non possint?*

& quosdam ita malè educatos, vt non maneant quocumque in loco ordinaueris? quosdam verò tam calcitrosos, vt non sit possibile de vno aciei loco in alium transferri? Perniciem hæc adferunt equiti, aut turmæ subinde vniuersæ. *Calcitrones enim*, ait Xenophon in Hipparcho, *ab vsu belli remouendi sunt, cùm præsertim tales sæpè nobis plus calamitatis, quàm hostes ipsi, inferant; quippe numquam in acie instrui aut consistere possunt. Itaque propter equi vitium, inutilis quoque redderetur eques.* Nihilo meliores calcitronibus sunt sternaces, suffossi, seu cespitatores (vt Seruius interpretatur) mordaces, effrenes, ceteriqúe id genus. Accipe exempla: Clonium, Æneid. x.

—— *Infrenis equi lapsu tellure iacentem.*

Messapus lapsum obtruncat.

Camilla, Æneid. xi.

Tum Lyrim Pagasumq́ super: quorum alter habenas
Suffosso reuolutus equo dum colligit, &c.

Turnus, Æneid. xii.

Et sternacis equi lapsum ceruice Thymœten
Eumedi comitem coniectà cuspide mittit.

Quo verò nomine hosce equos insigniam aptiùs, quàm Seiani, qui, auctore Gellio, tot dominis fatalis fuit? Hæc igitur priùs prouidenda quàm emantur equi, monente Horatio:

Regibus hic mos est, vbi equos mercantur, apertos
Inspiciunt. ——

Et Seneca Epist. lxxx. *Equum empturus, solui iubes stratum, detrahis vestimenta venalibus, ne qua corporis vitia lateant.* Quin & emptorem stipulari conuenit ex formulâ veteri, quam Varro adfert lib. ii. Rei rusticæ, cap. ii. *Illosce equos, quâ de re agitur, sanos rectè esse, vti pecus equorum, quod rectè sanum est, extra luscum, surdum, minum, id est ventre glabro; neque de pecore morboso esse, habereq́ rectè licere. hæc sic rectè fieri spondes?* Huic stipulationi (si venditor falleret) cauit L. Apud Labeonem. ff. de Præscript. verb. *Si tibi equos venales experiundos dedero, vt, si in triduo displicuissent, redderes.* Tanto delectu comparandi equi: nisi ampliùs etiam quorumdam exemplo videatur

deatur procurandum, vt aut canterij seu exsecti omnes sint, aut omnes equæ: canterij, ad vitandos hinnitus, quod opportunum arcanis profectionibus; equæ, ad maiorem velocitatem, quippe quæ nec vrinâ reddendâ retardantur; cui bono id vtrumque à quibusdam factum. Canterijs solis vsos Sarmatas & Quados, Marcellinus scribit lib. XVII. *Ne aut feminarum visu exagitati raptentur, aut in subsidijs ferocientes prodant hinnitu densiore vectores.* Quem Turcis inueteratse morem, narrat Cuspinianus. At *Scythæ per bella feminis vti malunt, quoniam vrinam cursu non impedito reddant*, ait Plinius lib. VIII. cap. XLII. Equos tamen à Scythis (vt & Sarmatis) castrari solitos, Strabo affirmat lib. VII. extremo. Certè & cursûs celeritate ab equabus equos superari, conuincit auctoritas multorum; Homeri in primis, qui Eumelo ad Troianum bellum profecto equas velocissimas tribuit. Horatij deinde lib. II. Od. XVI.

—— Tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa. ——

Virgilij I. Georg.

—— Eliadum palmas Epirus equarum.

Denique Pausaniæ, qui equas ferè Olympicis ludis vicisse ostendit; & quidem Hecratitæ Thessali equam grauidam. Atque hæc cura militaribus equis comparandis facit. Sarcinarios & agminales nihil opus esse tam elegantes aut probos; quorum tamen pari ferè opus est copiâ ad impedimentorum subuectionem. Agminalium equorum mentio apud Marcellinum: eosque Prouincijs imperari solitos, indicatur ff. tit. de Muneribus & hônoribus, L. vltimâ. Subit hîc animum petere, cur olim Dominus exercituum interdixerit Regibus Iudææ equorum multitudine. Deuteron. XVII. *Rex*, ait, *cùm fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatûs numero subleuatus.* Et pij sanè Iudæorum Reges in bellis ferè peditatu, vix equitatu vsi sunt, vti patet in Machabæis, ait Cornelius A lapide in hunc locum: impij autem Reges contrà, magnos equitatus habuêre;

vt

vt Ioram, II. Paralip. XXI. non quòd nullos omnino equos Iudæi adhibuerint, vt putauit Oriolanus Notis ſuis in lib. Machab. ſed, quòd equorum ijs fuerit prohibita nimia multitudo, quemadmodum explicarunt Hieronymus, Procopius & Baſil. in Pſalm. LXXV. & Iſaiæ cap. II. Philo lib. de Agricultura, qui myſticè ea Legis verba accepit: denique Stephanus noſter Menochius lib. III. Hieropoliticôn cap. XIII. tractans de equitatu. *Fecit enim ſibi equos & equites Adonias Rex*, lib. III. Regum cap. I. & Ioſaphat equos habuit, IV. Regum cap. III. & Dauid, victo Adarezero Rege Soba, retinuit quadrigas centum, I. Paral. cap. XLVIII. Et Iudæi à captiuitate reduces, habuêre ſeptingentos triginta ſex equos, lib. I. Eſdræ cap. II. & II. Eſdræ cap. VII. Quin & portam equorum Ieroſolymis, & domus Regiæ, in Scripturis audimus. Sed hi exiguo numero, vel non in vſum equeſtris militiæ lecti, vt apparet teſtimonio Pſalmi XIX. *Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Dei noſtri inuocabimus.* In Legem igitur impegiſſe videri poſſet Salomon III. Reg. IV. & X. II. Paralip. cap. II. & IX. niſi ad gloriam & ſplendorem Regni velimus ſpeciali priuilegio ei conceſſum, ait Iacobus noſter Bonfrerius in Pentateuch. iuxta promiſſionem à Domino factam III. Regum III. & II. Paralip. cap. I. maximè cùm ea equorum multitudo videatur adfuiſſe Salomoni iam tum, cùm eſſet Deo gratus; adferaturque is ſplendor III. Regum IV. in commendationem gloriæ potentiæque Salomonis. Quare tres Legis cauſſas Bonfrerius adfert. Prima eſt: quia metu redituræ idololatriæ, voluit Deus omnem Iudæis abſciſſam eſſe ſocietatem cum Ægypto, quæ copiâ abundat præſtantiſſimorum equorum. Altera, ne Rex, nixus viribus equitatûs, Ægyptum occuparet, Iudæis reductis. Tertia, ne Iudæi plus nimio fiderent in prælijs equitatui, ſed Dei in primis auxilio niterentur. Has ob res Deus Iſaiæ cap. II. increpat Iudæos, quòd diuinæ opis obliti, *terram repleuerint equis.* Iterumque Iſaiæ XXX. quòd in equos Ægyptios ſpem omnem abieciſſent. Quare etſi quos bello captos equos quadri-

gáſve

gáſve obtinuiſſent, corrumpi iuſſit, Ioſue XI. & II. Reg. c. VIII. Igitur, poſtquam ceſſarunt cauſſæ, poſtquam etiam Salomoni diuinitus indultum eſt equorum multitudine vti, vel ad gloriæ ſplendorem, cùm nulla vſpiam ſtreperent bella; multò magis Regibus ceteris, ob bellorum neceſſitates, equeſtris militia conceſſa eſt. Et Salomon Regum omnium ſplendidiſſimus, licet altâ in pace, *habuit quadraginta millia præſepia equorum currilium, & duodecim millia equeſtrium*, III. Regum cap. IV. Quæ verba quid ſibi velint, explicat caput IX. lib. II. Paralip. *Habuit Salomon quadraginta millia equorum in ſtabulis, & curruum equitumq́ duodecim millia.* vniuerſim equorum 57600. ex calculo Pinedæ. Sapientius vtiliuſque Salomonis ſtudium ad tuenda parandaque Regna, quàm Ptolomæi Regis Ægyptiorum, quem Cleomenes apud Plutarchum ſalſiſſimo perſtrinxit cauillo. Cùm enim Nicagoras Meſſenius diceret, inſignem ſe equorum numerum Alexandriam aduexiſſe; *Mallem*, inquiebat Cleomenes, *mulierculas muſicas aduexiſſes, nam his maximè nunc opus habet Rex noſter.* Sic nempe rideri merebatur mollities ſtolati illius Vlyſſis, qui gynæceum pro hippodromo inter fuſos coluſque colebat.

CAPVT II.

Equitum idoneorum delectus more maiorum.

Eques initio à virtute, nobilitate, robore, opum æstimatione lectus. Id quando, & quantus equester census. Dicti primùm Celeres, Trossuli, Flexumines, denique Equites. tum demum equester Ordo natus. Seuerus ac propè fastidiosus Veterum delectus. Vitia equitatûs & remedia. Romani equitatu inuicti. Gallorum veterum Nobilitas in equitatu. Batauorum equitum præstantia. Hispaniæ Ordines sacri, & Collegia equestria Nobilitati data, sanctisque legibus vincta. Salapiarum & Colophoniorum equitum gloria. Auxiliares Romanorum equites ignobiles, & duplò quàm Romani plures. an tutò? Obscuri, modò strenui, equestri militiâ non arcendi. Quæ equiti priùs cogitanda, quàm in militiam se det. An plus in equite quàm in pedite virium. Quantæ variorum equestres copiæ. Xerxis, Darij, Nini, Semiramidis equitatus propè incredibilis. Sed maximus omnium futurus equitatus Antichristi.

QVO abijsti priscum militiæ decus! Eques legi quondam solebat virtute, nobilitate, robore: nimirum, quia

Magnæ mentis opus, nec de lodice parandâ
Attonitæ, currus & equos legisse. ——

Quid nunc? ô mores! Eques non legitur, sed quiuis de triuio arripitur, nullo discrimine, lixa, an calo. vibices dicam, an vomicas Martis nostri? *Non facio conuitium æuo nostro, sed medicinam*, inquit Lipsius libro v. Ciuilis doctrinæ cap. VIII. *Nam principiò, Dilectûs quæ forma apud nos? nulla. Emunt militem, non legunt; vt queritur apud Tacitum Galba. Pecuniola proponitur, tympanum strepit: & ecce coëunt aliquot inter se ignoti ignorantésque. Purgamenta vrbium suarum vocat Curtius. quibus ob egestatem & flagitia maxima peccandi necessitudo est. Plerique profectò tales (nam omnes absit vt culpem) aut si qui melioris notæ, immixti facilè abripiuntur, & velut obducuntur à reliquâ illâ face.* Non potest Lipsio odium conciliare tam certa notaque veritas. vident fatenturque omnes; adeoque si rediret iunior aliquis Africanus, pullo se indueret sago, & perambulans

bulans caſtra, diceret, *lugere ſe infamiam exercitûs.* Dic nobis igitur, Dionyſi, quàm aliter faciebant Romani. *Conſtituto Senatu, Romulus trecentos viros illuſtriſſimarum familiarum corpore robuſtiſſimos elegit*, &c. *vt ex equis pugnarent, vbi campus erat ad equeſtre certamen commodus*, lib. II. Antiq. cap. II. Hîc ecce gemina equitum conditio, familiæ decus, & corporis robur; tertiam Polybius addidit in Caſtrametatione: *Equites ſuos Romani capiunt iuxta opes, ſecretione eorum à Cenſore factâ.* Atque hæc opum æſtimatio, nullâ factâ ſub prioribus quatuor Regibus Romanis, cœpta primùm Seruio Tullio Rege quinto. Ita Liuius indicat lib. I. *Seruius cenſum inſtituit, ex quo belli paciſq; munia non viritim, vt antè, ſed pro habitu pecuniarum fierent.* Plinius confirmat libro XXXIII. cap. I. *Quod antè nomen militares equi dederãt, hoc nunc pecunia tribuunt*, &c. *Equitum nomen ſubſiſtebat in turmis equorum publicorum.* Ad ſplendorem igitur militiæ equeſtris, inſtitutus à cenſu hic Ordo equeſter apud Romanos, medius inter Senatum & Plebem; cùm duo ſoli Ordines ad id tempus fuiſſent, ſicut Ἵππας apud Athenienſes. Sed omnium maximè equeſter delectus ſtabat æſtimatione virtutis. Ita Vegetius de milite Romano vniuerſim, lib. I. cap. VII. *Neque enim*, ait, *leue putarunt hoc eligendi officium, aut paſſim vnicuique mandandum, quod apud Veteres, inter tam varia genera virtutum, in Sertorio præcipuè conſtat eſſe laudatum. Iuuentus enim, cui defenſio Prouinciarum, cui bellorum committenda fortuna eſt, & genere (ſi copia ſuppetat) & moribus debet excellere. Honeſtas enim idoneum militem reddit: verecundia, dum prohibet fugere, facit eſſe victorem. Quid enim prodeſt, ſi exerceatur ignauus? ſi pluribus ſtipendijs moretur in caſtris? Numquam exercitus profecit, cuius in probandis tironibus claudicauit electio.* Enimuerò cùm equitem ijſdem moribus ac peditem Romani legerint, operæ duxi adſcribere, quæ in tirone pedite deſiderata ſcribit Vegetius lib. I. capp. IV. V. VI. VII. *Si antiqua conſuetudo ſeruanda eſt*, inquit, *incipientem pubertatem ad delectum cogendam nemo ignorat. Non enim tantùm celeriùs, ſed etiam perfectiùs imbibuntur, quæ*

discuntur à pueris. Et cap. v. *Proceritatem tironum commodam scio semper exactam, ita vt senos pedes, vel certè quinos, & denas vncias habentes (hoc est, decem pollices) inter alares equites, vel in primis legionum cohortibus probarentur.* Cap. vi. *Sed, qui delectum acturus est, vehementer intendat, vt ex vultu, ex oculis, ex omni conformatione membrorum, eos eligat qui implere valeant officium bellatoris,* &c. *Sit ergo adolescens Martio operi deputandus, vigilantibus oculis, erectâ ceruice, lato pectore, humeris musculosis, valentibus digitis, longioribus brachijs, ventre modicus, exilior cruribus, suris & pedibus non superfluâ carne distentis, sed neruorum duritiâ collectis. Cùm hæc in tirone deprehenderis, proceritatem non magnopere desideres. vtilius enim est, fortes milites esse, quàm grandes.* Cap. vii. *Et hoc est, in quo totius Reipublicæ salus vertitur, vt tirones non tantùm corporibus, sed etiam animis præstantissimi deligantur. Vires Regni, & Romani nominis fundamentum, in primâ delectorum examinatione consistunt.* At speciatim de moribus quæstio habebatur, cùm quis equum publicum postulabat, vt Cuiacius ostendit lib. xxi. Obseruat. cap. ix. adducto illius viri exemplo, qui Adriano Cæsari se purgabat de calumniâ. Neque in delectu modò habita morum ratio, sed deinceps etiam quoties probationem Censores exercebant, quoties censum equestrem habebant, vt sequenti Libro dicetur. Planè vt in equitum delectum quadret illud Senecæ Epist. xliv. *Castra, quos ad laborem & pericula recipiunt, fastidiosè legunt.* Quid nunc? An non fastidium moueant multi in equestrem militiam compacti? Tantum abest, vt, quod ille de Romanis apud Liuium lib. xlii. dicebat, *inuictos nos esse equitatu gloriari posimus.* Fortè quod Valerius Max. querebatur, Marius aliquis *fastidiosum delectûs genus obliterandum duxit?* Sed reclamantem mihi non neminem audire videor: Hem, vbi nunc iuuentus tanta, Nobilitas tanta, opes tantæ, probitas tanta eorum qui nomen equestri militiæ dare velint? Illi ego Vegetij verbis respondebo lib. ii. cap. xviii. *Omne opus difficile videtur antequam tentaueris. Certè, si exercitati & prudentes viri delectui præponantur, celeriter manus*

manus bellis aptæ poterit congregari, & diligenter instituí. Sanè id feciſſe Gallos veteres, qui præſtabant equitatu; id Maiores noſtros (qui tot Nobilium equeſtria inſtituêre Collegia) conatos fuiſſe, credendum eſt. Gallorum etenim, ad ſuſtentandam præſtantiam equitatûs, hoc inuentum fuit, teſte Cæſare lib. VI. *In omni Galliâ, eorum hominum, qui aliquo ſunt numero atque honore, genera ſunt duo: nam plebs ferè ſeruorum habetur loco,* &c. *De his duobus generibus alterum eſt Druidum, alterum Equitum. Illi rebus diuinis interſunt,* &c. *Equites, cùm eſt vſus, atque aliquod bellum incidit, omnes in bello verſantur: atque eorum vt quiſque eſt genere copijſq; ampliſſimus, ita plurimos circum ſe ambactos clienteſq; habet. Hanc vnam gratiam potentiamq; nouerunt.* Atque hoc nomine apud Romanos ſic in pretio Galli eorumque equi, vt neque Germanico, niſi cùm *feſſas videret Gallias miniſtrandis equis*, alia placuerint conſilia, apud Tacitum libri II. initio. Inſtitutum hoc Gallorum videntur iam inde Belgæ noſtri eſſe imitati, delectu Voluntariorum, quos vulgò vocant *Bandes d'ordonnances*, aut *Les Hommes d'armes*, quaſi cataphractos totoſque armis tectos dicas. Hi enim, quoties magni incidunt caſus, perinde atque ad bellorum ſubita excubarent, parati ſunt vt in bellis verſentur. In turmas autem vocantur à Ducibus primæ Nobilitatis, qui eorum Præfecti perpetui ſunt; mittunturque in ædes quiſque ſuas bello confecto. Inuicta bello manus, ſi tam crebris exercitationibus colerentur, quàm bonis teguntur armis. Nunc plus numeri & hinnitûs adferunt, quàm roboris aut terroris. De ijs fortè illud Taciti dici poſſit, lib. XIII. Annalium: *Veteranos eſſe, qui non ſtationem, non vigiliam iniuerint; vallum foſſamq; quaſi noua videant & mira; nitidi & quæſtuoſi, militiâ per oppida expletâ.*

De recentioribus Gallis, Ioannes Boterus in Catalogo Imperiorum mundi: Reges Galliæ olim aluêre quatuor millia lanceariorum, & ſex millia ſagittariorum. Hic equitatûs neruus, inter Chriſtianos, pro vnico aut ſolo habendus eſt. Vna lancea trahebat ſecum vnum ſagittarium, & ex conſe-

quenti, vna turma lancearum, aliam turmam ſagittariorum, quæ ſolo ſigno diſtincta erat. Vnus Præfectus ambabus præerat, &c. Impendebatur in hanc militiam vna myrias & ccc. aureorum millia quotannis, &c. Non multùm vtebantur peditatu domeſtico, præ metu rebellionum. At Carolus VIII. cognito quàm neceſſarius eſſet peditatus, inſtituit phalangem quinquies mille peditum Francicorum. Eum numerum Franciſcus I. ad quinquaginta millia auxit.

Iam de Barbarorum equitatu quid dicam? Pœnorum equitum fortitudinem mirè commendat Liuius libro xxvi. cap. xxxviii. *Longè fortiſſimi equitum*, inquit, *toto Punico exercitu erant*, &c. *pluſq; aliquantò damni hæc ala equitum amiſſa Hannibali, quàm Salapia fuit, nec deinde vmquam Pœnus (quo longè plurimùm valuerat) equitatu ſuperior fuit.* Colophonios præterea Strabo lib. xiv. Geographiæ, equeſtris militiæ peritiâ ſcribit *adeò excelluiſſe, vt vbicumque gentium bellum aliquod ambiguum gereretur, quod confici non poſſet; Colophoniorum equitum fortiſſimo auxilio profligaretur; vnde & in prouerbio manſerit, Colophonem imponere, hoc eſt, finem adferre.* Parem verò (an maiorem?) Theſſali quoque equites gloriam meruêre, quos Polybius lib. iv. *inſuperabiles*, Curtius lib. iii. *inuictam bello manum*, Liuius lib. ix. *robur equitum Alexandri* appellat. Sic *ſacræ Macedonum alæ* Curtio laudantur ſæpiùs, vt & Iphicratenſes equites Æmilio Probo. Viri (ita illos Mars amet) quos meritò Statianis illis compellem:

Terrarum decora ampla viri! decora ampla, iugales!
Diuûm vtrumque genus. ———

Sed nempe raris iam ea palma eſt; euenitque quod Xenophon ſcribit lib. vi. Hellenicôn de bello Thebano, *magnã quidem initio fuiſſe equitum gloriam, ſed excidiſſe poſteà, cùm à ditioribus equi quidem alerentur, ſed ipſi pro ſe equites præbere cœperunt.*

Dum adeò commendaui equeſtrem Veterum delectum, ſuboriri dubitatio poſſet, An vniuerſus Romanorum equitatus conſtiterit tam lectæ virtutis, Nobilitatis, fortunæque viris. an nemo apud eos equo meruerit plebeius aut inops.

Huic

Huic quæstioni subseruit distinctio gemini equitatûs, Romani nimirum & Auxiliaris. Romani equites omnes, seu Legionarij, haud dubiè opum censu, familiaque & moribus æstimabantur: Alarij equites seu Auxiliares, sociorum promiscua plebs erant, eoque dupli præ Romanis, vt ex Polybio dicetur. *Augustus* igitur, auctore Suetonio, *necubi aut honestorum deficeret copia, aut multitudinis soboles, equestrem militiam ex commendatione publicâ cuiusque oppidi petentis ordinabat.* Quid? quòd non equites modò, sed & pedites Legionarij Romanorum, honesti locupletesque esse deberent, si Valerio Maximo fides. *Laudanda*, inquit, lib. II. cap. III. *populi verecundia est, qui impigrè se laboribus & periculis militiæ offerendo, dabat operam, ne Imperatoribus capite censos sacramento rogare esset necesse, quorum nimia inopia suspecta erat; ideoq; his publica arma non committebantur.* Prô dolor! quibus nunc non armorum modò publicorum decus, sed salus Reipublicæ, nonnumquam creditur! hominibus qui pretio quouis venales animas habent; imò iam dæmoni per flagitia oppigneratas aut venditas! Ego in equitatu nostro, vt Nobiles desidero, ita obscuros omnes non excludo. Admitto, qui possint inclarescere virtute, etiamsi natalium splendore destitutos. Neque Romani eiusmodi exclusêre. Aut certè ex equite non esset Imperator lectus Luc. Martius Septimij filius, quem Liuius lib. v. Decadis III. adeò commendat. Ignauos reijcio, *nomina verius quàm milites*, vt cum Curtio loquar. In Marij sententiam concedo, qui verebatur, *si militaria signa humilitatem spernere perseuerarent, se à maligno aliquo, capite censum Imperatorem appellari posse.* Velim igitur, qui se in equestrem militiam dare meditantur, ista priùs ipsi reputent secum, ad comparandam virtutem, quæ prudenter præcogitanda equiti Flaminius à Cruce proponit lib. I. cap. II. an vires roburque habeant, & labori tanto sint futuri pares: an inediam, famem, sitim, æstum, frigora tolerare parati sint: satin' sciant, ne horulam sibi fore delicioſæ vitæ, vbi semel militiæ dederint nomen: expenderintne, diurnam nocturnamque quietem, aut

exiguam

exiguam in posterum concessum iri, aut nullam: poterintne perpetuò ad alienam facere voluntatem, nullasque causari difficultates vt faciant è suâ: præuiderintne, defatigatis continuandos sæpè fore labores; excubandum, dum sperabunt somnos; proficiscendum, dum optabunt quietem; remanendum, dum appetent excursiones; pugnandum, dum lubebit hosti, non cùm stabunt animis comparati. Hæ certæ sunt equitis boni notæ, qui sic in militiam venit, vt summo vitæ necisque Imperatori Deo dicere quotidie possit: *Anima mea in manibus meis semper.* Ad hanc libellam velim exigi equitum mores à Conquisitoribus, qui nunc Censorum loco delectum habent. Sic velim sacramento rogari, vt probos esse constet qui nomen profitentur. Aurea adscribenda est sententia Leonis Imper. Tactic. cap. XVIII. & XIX. *Assuefiant omnes, qui propter Christum Iesum Dominum nostrum, & cognatorum, amicorum, patriæ & vniuersæ Christianæ plebis gratiâ bellum suscipiunt, facilè sitim, famem, frigorum calorumq; appulsus tolerare, & omnes ingraueſcentes rerum perturbationes æquo animo sustinere. Namque horum laborum reposita est apud Deum merces, & apud nos quoque remuneratio.* Fastidiosum autem illud delectûs genus temperari, cum Mario auctor sim: malimque bonum & fortem legi equitem, quàm Nobilem improbum & effeminatum. Quid enim? Nónne *ex illo Mario tam humili Arpini* (Valerij verba sunt lib. VI. cap. IX.) *tam ignobili Romæ, tam fastidiendo candidato, ille Marius euasit, qui Africam subegit, Iugurtham Regem ante currum egit, qui Teutonorum Cymbrorúmque exercitus deleuit?* Non habet virtus fastidiosos aditus, blandè etiam vel conantes inuitat. Ergo agrestes, si probi sunt (& sunt ferè, quia procul vrbanis auliciſque vitijs educati) idoneos equestri bello iudicem magnis cum Auctoribus. *Fortior namque è confragoso miles venit, segnior est vrbanus & verna*, inquit Seneca; & *locorum asperitas hominum quoque ingenia durat*, Curtio iudice: & *quanto pecuniâ dites, & voluptatibus opulenti, tantò magis imbelles*, è sententiâ Taciti. Ex agro ergo, concludit lib. I. cap. III. Vegetius,

sup-

ſupplendum robur præcipuè videtur exercitûs. Aptior namque armis ruſtica plebs, quæ ſub dio & in laboribus enutritur. Neſcio enim, quomodo minus mortem timet, qui minus deliciarum nouit in vitâ. Talibus viris non inſolitus labor, ait in Catil. Saluſtius, *non locus vllus aſper aut arduus erit, non armatus hoſtis formidoloſus.* Alioqui vnde neceſſarium equitatûs numerum cogas? De vno Belgio loquar, non eſt nunc (vt olim Cæſar ſcribit fuiſſe) Belgium, *cùm oppida eius* XII. *pollicebantur millia armata quinquaginta, Neruij totidem, Atrebates* XV. *millia, Ambiani* X. *millia, Morini* XXV. *millia, Menapij* IX. *millia, Caletes* X. *millia, Velotaſſes & Veromandui totidem, Aduatici* XXIX. *millia; Condruſi, Eburones, Cæreſi, Pemani ad* XL. *millia*, lib. II. de Bello Gallico. Non, inquam, tot nunc militaribus viris, ſeu equite, ſeu pedite, ſtrepit Belgium. Nam, quantum (vt iuſtus ſit) putas eſſe debere equitatum? Polybius lib. III. dicet. *Melius eſt*, inquit, *præualere numero equitum:* nempe, Polybi, *quia ratio & peritia ordinandi peditem ignota erat antiquis: ideò in equite apud eos omne robur*, ait Ariſtot. IV. Polit. cap. XIII. & Barbarorum pleriſque is mos. nam *Mirum dictu*, inquit Tacitus I. Hiſt. *vt ſit omnis Sarmatarum virtus velut extra ipſos. Nihil ad pedeſtrem pugnam tam ignauum. Vbi per turmas aduenêre, vix vlla acies obſtiterit.* Et *Scythæ equitatûs & equorum gloriâ ſtrepunt*, ait Plin. lib. VIII. cap. XLII. Addo, quod de Pœnis Liuius lib. XXII. *Hannibal ſpem nactus loci ad equeſtrem pugnam, (quâ parte virium inuictus erat) facturus copiam pugnandi Conſulibus, dirigit aciem, laceſſitq; Numidarum procurſatione hoſtes.* Et certè Numidarum ferè laus, vbicumque eorum inter equites mentio apud Hiſtoricos, æqua aut par gloriæ Theſſalorum. Ac licet Hannibal acie pugnaret, Numidæ tamen procurſabant. Horum inſtituto Turcæ etiamnum, maximè verò Poloni, Tartari & Moſcouitæ, ferè excedunt equitatu. Auctor Theſauri Politici Apoteleſmate XVI. de Moſcis, *Sunt*, inquit, *qui exiſtimant, Magnum Moſcuæ Ducem trecenta equorum millia educere poſſe. Sed hi equos potiùs quàm equites numerãt. Qui ergo moderatiores ſunt, affirmant cogere poſſe* CL. *equo-*

rum millia: narrantq; ab Ioanne III. *in expeditionem Astrachanensem educta equitum millia* CXX. quot nempe à Dario aduersus Alexandrum educta alibi ostendimus testimonio Curtij. Quid? quòd & Marcellinus scribit lib. XXXI. *Hunnos ad pedestres parum aptos esse pugnas, verùm equis propè affixos duris & deformibus*, &c. *In equis eos emere & vendere, cibum & potum sumere, & inclinatos ceruici angustæ, in altum soporem adusq; varietatem effundi somniorum. Deliberatione super rebus propositâ serijs, hoc habitu omnes in commune consultare.* At mox, vbi ordinandi peritia adfuit, Vegetius lib. II. cap. I. asserit, *magis Reipublicæ necessarios pedites, quia possunt vbique prodesse*; terrâ nempe & mari, planis locis & montuosis, campis & vrbibus. Hinc *Germanis esse omne in pedite robur*, affirmat de eorum moribus Tacitus. Sed quia in alteram id partem excedit, corrigit se mox Tacitus, & *in vniuersum æstimanti*, inquit, *plus penes peditem roboris*. Plus omnino lubenter annuam; non omne tamen robur: nam equis bellasse Germanos, ex Cæsare pòst ostendemus Libro sequenti. Sic *Græcis*, sic *Romanis plus penes peditem roboris*. Athenienses principiò non habuêre supra equites nonaginta sex. scribit enim Pollux, *à qualibet Naucrariâ tributos equites tantùm duos*. Erant autem Naucrariæ omnino quadraginta octo; non ergo plures equitibus nonaginta sex. Adeoque hinc risui fuisse Medis Athenienses, Herodotus scribit, cùm bello Marathonio tantillas vires maximis Medorum copijs obiecissent. Certè post relatam de Xerxe victoriam, trecentos primùm armasse equites, deinde mille ducentos, ex Æschine & Andocide obseruauit Sigonius lib. IV. cap. V. Obseruat Nicol. Cragius lib. IV. Reipublicæ Lacedæmonienses, initio quoque exiguum fuisse Lacedæmonum equitatum, quòd potissimum robur in pedite situm existimarent, auctore Diodoro Siculo lib. XI. nam, vt ex Pausaniæ lib. IV. intelligi potest, ad bellum vsque Messenicum, rarò vsi sunt equitatu, tum reliqui Peloponesij, tum Lacedæmonij: quod eò factum existimare licet; quia Messenia magis idonea alendis equis, testimonio Platonis,

tonis, cùm Laconica magis esset montuosa. Deuictâ itaque Messeniâ, cùm ad bellum extra Peloponesum gerendum adducerentur, equis magis opus esse didicêre, &c. Ac videntur demum Lacedæmonij eius artis peritos magistros publicos habuisse, qui iuuenes equitare docerent, dictos Ἡνιοχαιρέτας: nam apud Hesychium ita scribitur: Ἡνιοχαιρέτης διδάσκαλος ἱππικῆς τῶν νέων, Λάκωνες. Sic Romani initiò trecentos, non plus, equites scripsêre in quamque legionem: duplum addebant equitum Alariorum seu Auxiliariorum, teste Polybio lib. VI. Equites igitur habebat exercitus vnius legionis (qui minimus) non ampliùs nongentos. Vegetij æuo, vt is scribit lib. II. cap. VI. *legio habebat equites septingentos*, Alariorum verò millia tria, trecentos; vt scribit lib. III. cap. I. vniuersùm millia quatuor. Igitur, si ad calculos Vegetij vocemus equitum numerum vniuersum, cùm is scribat lib. II. cap. IV. *creditum duas legiones cuiuis bello posse sufficere*; fuerint in maximo Romanorum exercitu, additis auxilijs, millia equitum non ampliùs octona. Sed fallit Vegetius, definiendo exercitum Romanorum maximum legionibus duabus. Id quidem rectè ait, *singulos Consules duxisse non amplius legionibus duabus*; at reliquæ à Prætoribus, Proprætoribus, Proconsulibus, Præsidibus, fuêre ductæ. Nam bello Punico secundo fuêre legiones XIIX. anno Vrbis DXLI. legiones XXIV. sub Iulio legiones XXX. denique Augustus, subiugato Lepido, legiones habuit XLIV. auctoribus Liuio & Paulo Diacono: quarum quadraginta quatuor legionum equitatus si censeatur, (æstimatione Polybij, quam Liuius tenuit, trecentorum nempe Romanorum in quamque legionem, & Alariorum sexcentorum) veniet numerus equitum omnium in triginta nouem millia sexcentos. Vna, fateor, hæc res est, quam mecum sæpè solitus sum mirari, Romanos, cetera prudentissimos, hîc fuisse incautos. Quid enim? quę prudẽtia, plus alieni militis, & quidem plus duplo equitis externi, habuisse in castris, quàm sui? Excusari error non potest. ipsíquemet Romani animum aduertêre, sed serò, & malo suo. Liuius sic nar-

rat lib. XXV. *Asdrubal postquam animaduertit exiguum Romanum exercitum in castris, & spem omnem in Celtiberorum auxilijs esse*, &c. *per occulta colloquia pacisci tur magnâ mercede cum Celtiberorum Principibus, vt copias inde abducant. Non Ducibus faciliùs quàm multitudini persuasum est. Simul ne metus quidem ab Romanis erat (quippe tam paucis) se ne retinerent. Id quidem semper cauendum Romanis Ducibus erit, exemplaq; hac verè pro documentis habenda, ne ita externis credant auxilijs, vt non plus sui roboris, suarumq; propriè virium in castris habeant.* Nil opus his monitis erat, si vera id temporis fuisset Hieronis de Romano more sententia, apud eumdem Liuium libro XXII. cap. XXXVII. *Milite atque equite nisi Romano Latiniq; nominis non vti Populum Romanum.* Sed nondum expedita est quæstio, quantum deceat esse iustum equitatum. Nunc expediam arbitrio Romanorum, hominum vtique bello felicissimorum. Cùm prisca legio constiterit Romanis peditibus ter mille, totidemque socijs adiunctis; deinde millibus Romanorum peditum quatuor; pòst, quinque; denique etiam sex, socialium verò peditum numero pari: equitatus autem, Liuij memoriâ, non fuerit in quamlibet legionem auctior equitibus Romanis quadringentis, quorum alterum tantum faciebant Alarij, nempe octingentos: conficitur in quamlibet legionem, auxilijs mixtam, summa equitum mille ducentorum. Legionum verò quadraginta quatuor equitatus hoc calculo erit: quinquaginta duûm millium octingentorum; peditatus vniuersus, si legiones singulæ fuerint (vt vulgò erant) peditum quinquies mille, ducenta viginti peditum millia. Ergo Romanorum equitatus iustâ proportione videtur æquasse quartam ferè partem peditatûs. quem numerum credo esse iustum. Darius formidabilior quàm fortior, CCC. peditum millia, equitum millia C. eduxit, auctore Iustino, tertiâ nempe parte equitem componens. CC. millia equitum tamen ei tribuit Diodorus Siculus lib. XVII. Curtius CXXII. millia lib. IV. *Dimidio plus*, ait, *quàm in Cilicià.* Alexander, (qui belli scientiâ nemini secundus fuit) sextam pede-

pedestrium copiarum partem vix equite exæquauit. *Qui enim minimam copiarum eius summam ponunt*, ait Plutarchus, XXX. *millia peditum*, V. *equitum recensent: qui maximam*, XXXIV. *peditum*, *equitum* IV. *millia computant*. Et hac tam paruâ manu, inquit Iustinus lib. XI. *vniuersum terrarum orbem, vtrum admirabilius sit, quòd vicerit, an quòd aggredi ausus fuerit, incertum est*. Ad Granicum amnem sexcenta millia Persarum cum Ducibus profligauit. Ad Issum, fuso Dario, centum viginti millia peditum, decem millia equitum. Ad Gaugamela, iterùm fugato Dario, quadraginta millia Persarum. Nimirum, *si quis aciem Macedonum intueretur, dispar acies erat*, ait Curtius lib. III. *equis virisq; non auro, non discolori veste, sed ferro atque ære fulgentibus; agmen & stare paratum, & sequi, nec turbâ, nec sarcinis prægraue, intentum ad Ducis non signum modò, sed nutum. Et castris locus, & exercitui commeatus suppetebant*. Et hæc sanè res præcipuè Magistro equitum prouidenda est, vt par sit equitatui commeatus; qui, si tam immensus sit, quod tandem pabulum, quæ annona sat erit? *Nam peditum quidem maior numerus sumptu & expensâ minore nutritur*, inquit Vegetius lib. II. cap. I. Sanè, si vera sunt, quæ apud varios Scriptores de equestrium copiarum magnitudine leguntur, haud scio equidem, quæ pabula potuerint sufficisse. Fuêre copiæ Sesostris equitum viginti quatuor millia, currus bello apti octo millia & viginti, ait Diodorus Siculus libri I. parte II. cap. I. Ninus Assyriorum Rex, Soroastri Bactriano obiecit equitum millia ducenta, falcatorum curruum millia decem & sexcentos. Semiramis contra Indos duxit (ô Reginam equestri statuâ dignam!) quingẽta equitum millia, curruum millia centum, auctore Ctesiâ apud Diodorum lib. II. cap. II. & cap. V. An miremur, tot iumenta vel aquando ebibisse flumina? vt de Xerxis exercitu scribit Herodotus lib. VII. Ecquis ergo hordei, auenæ, frumenti, paleæ modus, si aquæ tam immodicus? Res plus famæ quàm fidei apud posteros habitura est. fidem tamen astruit Diodorus cap. II. lib. III. *Incredibilis*, inquit, *nunc fortè videbitur audientibus hic numerus*,

non tamen illi qui Asiæ magnitudinem multitudinemq́, in eâ consideret nationum. Nam si quis Darij aduersus Scythas expeditionem cum octingentis militum millibus, si quis item Xerxis in Græciam transitum cum infinitâ pænè hominum multitudine, siq́, in Europâ res paulò antè gestas attendat, minimè dictis nostris abrogabit fidem. Nam ex vnicâ Siciliæ vrbium Syracusis, Dionysius exercitum centum viginti millium peditum, equitum verò duodecim millium confecit, &c. *Romani, paulò ante Hannibalis tempora, præuidentes futuri belli magnitudinem, censu in Italiâ cùm ciuium tum sociorum habito, decies centena ferè millia reperêre hominum bello idoneorum. At ea ne vni quidem alteri alicui prouinciæ comparanda est multitudine hominum. Hæc ideò recensuimus, ne quis ex præsenti vrbium solitudine, priscam illarum gentium copiam æstimet.* Ioan. Boterus de Imperijs mundi, Excubant, inquit, Magno Cham XII. equitum millia, æstimaturque posse colligere plura quàm vllus Princeps. Rex Narsingæ habet XX. equitum millia, quibus pacis belliq́ue tempore stipendia largitur, &c. Quem equitum numerum Rex Persarum educere possit, visum fuit bellis inter Ismaëlem & Selimum primum Regem Turcarum, inter Ismaëlem & Solimannum, & inter Codabendam & Amuratem tertium gestis. Nemo horum Regum habuit vllo in loco contra Turcas vltra XXX. equitum millia. Presbyter Ioannes habet Religionem militarem, quæ sub protectione S. Antonij est. ex hac seliguntur XII. millia equitum qui Regi excubent. Numerantur in Suecià & Gothiâ circiter XXXII. turmæ, quarum vnaquæque est quingentorum aut sexcentorum militum sclopetos humeris gestantium, &c. Rarò hastis aut lanceis vtuntur propter siluarum frequentiam, &c. Equitatus Sueuicus in XIII. turmas diuiditur, quarum vndecim Suecia & Gothia, duas Finlandia subministrat. necessitate autem vrgente possent multò plures colligi. In Marchiâ tãta est equorum copia, vt ferè nihilo venumdentur: ambæ autem hę Prouincię sunt in Gothiâ. Auctor Thesauri Politici Apoteleſmate XV. Nobiles Poloni expensis proprijs Regi suo seruire

uire in equis coguntur, dum ingruunt bella. Æstimatur Polonia colligere posse centum equitum millia, Lituania LXX. millia. Adeoque fidunt equitatui suo Poloni, vt neque hostis vllius vires reformident, neque magnopere de munitionibus faciendis solliciti sint. Non abnuam tantarum copiarum esse Dux, si nouus aliquis Pythius exercitum tantum (vt illum Xerxianum) hospitio excipiat, & stipendio aliturum se promittat, quod citato loco Herodotus refert. Aliàs, vbi equestri terrore magis quàm *procellâ* opus est (procellam enim equestrem Liuius vocat) astum virtuti adiungi suadeam (vt vulpinam pellem leoninę) quem Frontinus suggerit lib. II. Strategematum cap. IV. *Papyrius Cursor filius Consulis, cùm æquo Marte aduersus obstinatos Samnites concurreret, ignorantibus suis, præcepit Spurio Naucio, vt pauci calones & agasones mulis insidentes, ramosq; per terram trahentes, à colle transuerso magno tumultu decurrerent; quibus conspectis, proclamauit victorem adesse collegam, vt occuparent ipsi præsentis prælij gloriam: quo facto, & Romani fiduciâ concitati propulêre, propulsi terga vertêre.* *Caius quoque Sulpitius Petreius Cons. contra Gallos dimicaturus, iussit muliones clàm in montes proximos cum mulis abire, & inde, conserto iam prælio, velut equis insidentes ostentare se pugnantibus. Quare Galli existimantes aduentare auxilia Romanis, cessêre iam panè victores. Sic Ateas denique Scytharum Rex, iussit à feminis & pueris, omniq; imbelli turbâ, greges asinorum ac boum ad postremam hostium aciem admoueri, & erectas hastas præferre. Famam deinde diffudit, tamquam auxilia sibi ab vlterioribus Scythis aduentarent: quâ asseueratione auertit hostem.* Reuerà enim, quod Curtius dixit lib. V. *Famâ bella constant, & sæpè etiam, quod falsò creditum est, veri vicem obtinuit.* Quamquam tutæ prudentiæ plus fidendum censeam, atque ambiguæ calliditati. Nunc certè securiùs quàm astutiùs administrandum est bellum. Placet ergo præ dubijs illis strategematum commentis sapientius consilium, quod attulit Onosander Strateg. cap. XXXI. *Imperator, si hostium copias, equitum multitudine, suis fore potiores animaduertat, seligat, si*

possit,

posit, loca ardua & angusta, & montibus adiacentia, minimeq; equitatui peruia: aut pugnam, quantum poterit, subterfugiat, donec in opportuna loca peruenerit. Id Scipioni feliciter eueniſſe, Liuius notauit lib. VIII. Decad. III. cap. XXXIII. *Scipio pro ſe eſſe loci anguſtias ratus, & quòd in arcto pugna Romano aptior quàm Hiſpano militi futura videbatur, & quòd in eum locum detracta hoſtium acies eſſet, qui non omnem multitudinem caperet,* &c. *imperat Lælio, vt per colles quàm occultiſſimo itinere circumducat equites, ſegregétque, quantum poſſet, equeſtrem à pedeſtri pugnâ.* Dum eâ prudentiâ bellum adminiſtratur, auſim polliceri, ita ſemper feliciter euenturam victoriam, vt ſucceſſiſſe Alexandro, ſcribit Curtius lib. III. *Alexandro miles in acie numquam defuit: Darius tantæ multitudinis Rex, loci, in quo pugnauit, anguſtijs redactus eſt ad paucitatem, quam in hoſte contempſerat.* Quippe non tam numero quàm virtute geruntur res: & quoties ipſa ſibi exercituum obſtitit moles? Nam quo imperio tantam hominum immenſitatem complectare? Plura ſæpè à paucis, quàm à pluribus exſpectes, modò pauci ſint boni. Lubétne ſpectare, quàm ſiniſtrè, maiore licet numero, pugnauerit Pompeius? Adi Florum lib. IV. cap. II. *Cùm Pompeius adeò equitum copiâ abundaret, vt facilè circumuenturus ſibi Cæſarem videretur, circumuentus ipſe eſt. Nam cùm diu aquo Marte contenderent, iuſſuq; Pompeij fuſus à cornu erupiſſet equitatus, repentè hinc ſigno dato, Germanorum cohortes tantum in effuſos equites fecêre impetum, vt illi eſſe pedites, hi venire in equis viderentur.*

Numeraui hucuſque equeſtris delectûs copias, quantæ fuerint, quantæ per aſtum apparere poſſint. An præteribo immanes illas turmas, quas immenſo numero venturas cum Antichriſto prænuntiat Ioannes Vates Apocal. cap. IX? *Et numerus,* inquit, *equeſtris exercitûs vicies millies dena millia.* Græcè: Δύο μυριάδες μυριάδων. id eſt, bis millies centena millia, ſiue ducenti milliones. Sed nonnullis incredibilis videtur hic numerus, ait Cornelius à Lapide, cùm in toto orbe vix videantur eſſe ducenti milliones hominum. At errant: nam in ſolo

Regno

Regno Chinensi numerantur CCL. milliones hominum, auctore Nicolao Trigaultio, ex quibus quinta pars, seu L. milliones, possunt esse milites. Adde totidem ex Æthiopiâ, totidem ex Tartaris, totidemque ex Indiâ. Iunge, tunc plurimos fore homines; plerique enim erunt carnales, & vacabunt generationi. Posset etiam quis suspicari, bonam exercitûs huius partem fore dæmonum, qui induti specie & formâ hominum atque equitum, impios affligent & castigabunt. nam duces eorum erunt quatuor Archidęmones, vt patet hoc ipso cap. vers. XIV. & de his ad literam verificari poterit id quod dicitur v. XVII. *Capita equorum erant tamquam capita leonum, & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulphur.* & illud v. XIX. *Caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita, & his nocent.* Dæmones enim formam serpentum, leonum, & quorumlibet animalium facilè assumere, vel equis suis assuere, & per apparentiam adiungere possunt, &c. Aliàs significat per hyperbolen, formidabiles fore equites & equos instar leonum, vt fumos naribus efflent, videanturque ignes, sulphur & flammas spirare, &c. Propriè autem significantur hîc bombardæ militum, & ignis pulueris sulphurei: dum enim milites iaculantur, ita admouent ori instrumentum, vt eminus ore ignem & fumum emittere videantur. & hoc modo obiecta sunt animo S. Ioannis in visione, &c. Sic de caudis eorum (quæ sunt capita serpentum) patet non ad literam, sed symbolicè accipi debere, &c. Per caudas ergo intellige pedissequos & ministros equitum, qui plerumque sunt pessimi, & instar serpentum occultè nocent incendijs, furtis, rapinis, alijsque modis. Ita P. Leonardus Lessius lib. XIII. de Attributis diuinis, cap. XVIII. Hucusque Cornelius.

CAPVT III.

Equorum arma & phaleræ.

Arma equorum, partem solida, partem contexta. Varia eorum nomina. Squammæ & plumæ æreæ, ferreæ. Loricæ scorteæ & corneæ; ex unguibus ferarum, ex annulis ferreis. Equi quarumdam Gentium cataphracti, bello ferè inidonei. Phaleræ unde dictæ. quare inuentæ. Non equorum tantùm, sed equitum quoque ornamenta esse. Luxus phalerarum damnatus, modus laudatus.

EQVIS arma apud Græcos Barbarosque post delectum circumijciebantur. Apud Romanos equi inermes sunt, vti erant initiò ipsi equites. De illis Iulius Pollux lib. I. cap. X. *Armis muniri equos*, ait, *frontalibus, aurium maxillarumq; tegminibus, pectoralibus, laterum tegumentis, femorum munimentis, & ocreis.* sic Græcè loquitur, si fortè lubet nomina nosse: Φορίτου δὲ καὶ ἵππου ὅπλοις, προμετωπιδίοις, παρωτίοις, παρηίοις, προστερνιδίοις, προπλευριδίοις, προμηριδίοις, προκνημιδίοις. Hæ partes singulæ videntur fuisse laminæ procusæ; solidas enim Euripides describit, dum sic Rhœsi equos vestit:

Pelta in humeris, figuris iunctis aureis,
Fulgebat. Gorgon verò, veluti in Palladis clypeo,
Ferrea, fronti equorum illigata.

Et Liuius lib. XXXVII. elephantis Antiochi *frontalia* tribuit, quæ sonant quid solidum. De vtrisque disertè ac distinctè Leo Imperator Tact. cap. VI. §. VIII. *Equi, Præfectorum præcipuè, pectoralia & frontalia habeant, vel ferrea, vel ex centuclis, vel ex neruis facta: & pectora illorum & colla (si fieri possit) & ventres, parua quædam apocremasmata eorum quæ feletra sellarum dicuntur; à magnis enim periculis equos equitesq; sæpè liberant.* Iterùm §. XXXI. *Equos Antiqui muniebant lateralibus & frontalibus.* At arma flexilia vnius contextûs, vnius quoque sunt nominis, & equiti iuxtà atque equo apud multos communia: vulgò, operimenta, loricæ, munimenta, tegumenta, tegmina. Salustius in Fragmentis apud Seruium: *Equites cataphracti, ferreâ*

ferreâ omni ſpecie: equis paria operimenta, quæ linteo ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant. Iuſtinus lib. XLI. *Munimentum* (Parthis) *equiſq; loricæ plumatæ ſunt, quæ vtrumque toto corpore tegunt.* Plumæ hîc ſimilitudinem Saluſtius & Iuſtinus expreſſêre, quam alij plerumque ſquammæ, vnde & *ſquammatæ loricæ.* Certè non differunt ſquammæ & plumæ ſpecie modoque contextûs. Vtramque ſimilitudinem Maro iunxit lib. XI. ſub finem, addens materiem æneam:

Spumantemq; agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumam ſquammis, auro conſerta, tegebat.

Vnum hîc tantùm duobus diſcrimen, quòd ille ſquammas linteo, hic pelli ſupertexuerit. Curtius lib. IV. *Equitibus equiſque tegumenta erant ex ferreis laminis, ſerie inter ſe connexis.* Suidas de Parthis: *Parthi equitis lorica eſt talis: prior eius pars pectus, & femora, & manus extremas, & crura tegit; poſterior tergum, & ceruicem, & caput totum: fibulæ verò ſunt ad latera, quibus vtramque partem iungunt, atque ita totum equitem ferreum dant videri. Prohibet verò nihil aut impedit ferrum membrorum extenſiones ſiue contractiones; adeò curioſè factum tectúmque eſt ad naturam membrorum. Armant autem & equum ſimiliter ferro totum quidem, & vſque ad vngulas.* Nazarius in Paneg. *Quæ illa fuiſſe dicitur ſpecies, quàm atrox viſu, quàm formidoloſa! operimento ferri equi atque homines obſepti. Clibanarijs in exercitu nomen eſt. Supernè omnibus tectis equorum pectoribus, demiſſa lorica & crurum tenus pendens, ſine impedimento greßus, à noxâ vulneris vindicabat.* Hos vulgus cataphractos, cataphractarios Trebellius in Claudio & in Alexand. Seuero vocant; aitque Lampridius, *eoſdem fuiſſe, qui Perſis clibanarij.* quod & Ammianus docet lib. XVI. in Pompâ Conſtantij ingredientis Vrbem. Pulchrè Claudianus in Sextum Honorij Conſulatum, ſed ambiguè, an de ſolidis armis loquatur, an de tegminibus ſquammatim contextis:

Vt chalybe indutos equites, & in ære latentes
Vidit cornipedes; Quanam de gente, rogabat,
Ferrati venêre viri? Quæ terra metallo

Naſcentes informat equos? Num Lemnius auctor
Addidit hinnitum ferro, ſimulacraq́ bellis
Viua dedit? ———

11. in Rufinum, de lamellis conſutis:

Flexilis inductis hamatur lamina membris
Horribilis viſu: credas ſimulacra moueri
Ferrea, cognatoq́ viros ſpirare metallo.
Par veſtitus equis. ———

Hæc de laminis plumatis ſeu ſquammatis. La Cerda noſter Commentarijs in XI. Æneidos facit hæc munimina antiquiora loricis ex ferro cuſo aut fuſo; quod addubito. Nam quales ergo laminæ illæ ſquammatæ, ſi nec cuſæ nec fuſæ? Certè priùs cuſum fuiſſe fuſúmve ferrum oportet, quàm ex eo fierent ſquammæ aut plumæ: ſi priùs ferrum cuſum aut fuſum, credibile igitur etiam, priores fuiſſe loricas illas ſolidas, vt pote ſimpliciores, è laminâ perpetuâ nudaque. De annulis catenatis Flaccus lib. VI.

Sarmaticæ coïêre manus: ———
——— *Riget his molli lorica catenâ.*
Id quoque tegmen equis. ———

De ſcorteis Ammianus lib. XXIV. deſcribens Perſas: *Operimentis ſcorteis equorum multitudine omni defenſâ.* Denique corneis loricis armaſſe ſe Sarmatas & Quados, idem Ammianus narrat lib. XVII. *Sarmatis*, inquit, *& Quadis loricæ ſunt ex cornibus raſis, & lauigatis plumarum ſpecie, linteis indumentis innexæ.* quod idem Sarmatis tribuit Pauſanias lib. I. An aliud placet loricæ genus? Aprorum vnguibus contextam etiam accipe è lib. VII. Martialis loricam Domitiani:

Quam vel ad Ætolæ ſecurum cuſpidis ictum
Texuit innumeri lubricus vnguis apri.

Hæc de equitum equorumque tegumentis, an veriùs impedimentis? nam certè pondus ſubinde & rigor (etiamſi ſquammata eſſent) impediebant inferre vulnera æquè atque accipere. Tacitus lib. I. Hiſtor. de Sarmatarum armaturâ: *Tegmen ferreis laminis, aut præduro corio conſertum, vt aduerſus ictus impe-*

impenetrabile, ita impetu hostium prouolutis inhabile ad resurgendum. Et lib. III. de Gallis, quos Crupellarios vocat: *Inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles.* Immobilis est Persarum (equus) *cataphractus, si ductore careat*, ait Heliodorus lib. IX. Æthiopicorum. & Vegetius lib. III. cap. XXIII. *Cataphracti equites, propter munimina quæ gerunt, à vulneribus quidem tuti, sed propter impedimentum & pondus armorum, capi eos facile est.*

Iam de ornatu, imò luxu phalerarum. Phaleræ indumentis adiectæ sunt ad exercitûs splendorem, ad terrorem hostium. Iuuenalis Satyrâ XI.

Artificum fregit magnorum pocula miles,
Vt phaleris splenderet equus. ——

Liuius lib. IX. *Samnites, præter ceteros belli apparatus, vt acies sua fulgeret nouis armorum insignibus, fecerunt. Duo exercitus erant, scuta alterius auro, alterius argento cælauerunt*, &c. *galeæ cristatæ, quæ speciem magnitudini corporum adderent.* In eumdem sensum de cristis Polyb. lib. VI. in Castrametatione: *Præter hæc omnia ornantur apice plumeo* (rectè ornantur, non armantur) *pennisq; tribus puniceis aut nigris erectis, longitudinis fermè cubitali, quæ cùm in summo vertice ceteris armis addiderint, vir quidem apparet duplò maior quàm sit; eius verò aspectus pulcher, hostibusq; terribilis.* Pueris terriculamenta obijcis, Polybi; nam quis viro & militi terror ab erectis cristis? Credo equidem, si ceruorum exercitus foret,

Qui cincti trepidæ fugiunt formidine pennæ.

At cristæ non faciunt vulnera, vt sapienter Papyrius apud Liuium lib. X. Aut vis credi Geryones esse omnes & tricipites, qui triplicem cristam gerunt? Hinc natam quidem Geryonis fabulam Suidas refert. Sed quis nunc historiam esse putet? Malim arma bona esse, & equos probos. id nempe summi Duces curabant. *Hannibali*, ait Liuius lib. XXI. *vestitus nihil inter æquales excellens, arma atque equi conspiciebantur.* Meritò: *non enim vestium nitor*, ait Veget. lib. I. cap. XIII. *vel auri, argenti, gemmarumq; copia, hostes aut ad reuerentiam nostram, aut*

ad gratiam inclinant, sed solo terrore subiguntur armorum. Contrà, certè hostem inuites spe prædæ potiùs quàm luxu. Ita Antiochum phaleris quàm armis superbiorem cauillatus est Pœnus Hannibal. Gellius narrat lib. v. cap. v. *Ostendebat Hannibali Antiochus*, inquit, *in campo copias ingentes, quas bellum populo Romano facturus comparauerat, conuertebatq; exercitum insignibus argenteis & aureis florentem; equitatum, frenis, ephippijs, monilibus, phaleris præfulgentem. Atque ibi Rex, contemplatione tanti actam ornati exercitûs gloriabundus, Hannibalem adspicit, &, Putásne, inquit, conferri posse, ac satis esse credis Romanis hæc omnia? Tum Pœnus eludens ignauiam imbelliámque militum eius pretiosè armatorum; Satis planè, inquit, satis esse credo Romanis hæc omnia, etsi auarissimi sint. Nihil prorsus neque tam lepidè, neque tam acerbè dici potest. Rex de numero exercitûs sui ac de æquiparatione æstimandâ quæsierat, respondit Hannibal de prædâ.* Nolim ergo equiti nostro commendare phaleras. phaleræ sunt; nec aliud militi, quàm feminis suus fucus. si in hoste videat, rideat; speretque prædam, non metuat fulgorem. *Docti à Ducibus Romani erant*, ait Liuius lib. ix. *horridum militem esse debere, non cælatum auro argentóque, sed ferro & animis fretum; quippe illa prædam verius quàm arma esse; nitentia ante rem, deformia inter sanguinem & vulnera.* Sed tamen quid sint, expendamus. Φάλαραι ἀπὸ τῦ φαλῶ, quod *illustre* significat. Sunt igitur quælibet equitum equorumque ornamenta. De equis Plutarchus confirmat in Pompeio: Χρυσῷ κεκοσμημένον καὶ φαλάρῳ ἀναπλέων. *Equum auro ornatum & phaleris plenum.* Si plenus erat, igitur phaleræ quælibet equorum ornamenta sunt. nam quî alioqui plenus esset? *Ita sentirem*, inquit Aldus lib. i. de Quæsitis per ep. cap. vltimo, *nisi Plinius à frontalibus, Gellius à monilibus phaleras diuersas faceret.* Paruus mihi scrupulus videtur; ad libros prouoco. Plinius dicit lib. xxxix. cap. xii. *Quondam tantæ magnitudinis gemmas fecêre, vt equis Regum in Oriente frontalia, atque pro phaleris pensilia facerent.* Gellius lib. v. cap. v. *Equitatum frenis, ephippijs, monilibus, phaleris præfulgentem.* Hîc certè non tam diuersum mihi,

mihi, quàm amplum facere videntur nomen phalerarum, nempe vt genus omne ornamenti complectantur. At equitum ornamenta phaleras vocari, quo probem Auctore? Nam Seruius in IX. Æneidos ait, *equorum esse ornamenta.* Et Suidas, docens quid sint phaleræ, *Frontis ornamenta*, inquit, *scutulæ; id quo frons equorum exornatur.* Apud Herodotum verò, *circa maxillas tegumenta.* De la Cerda noster Commentarijs in IX. Æneid. cùm negasset equitum ornamenta phaleras dici posse, tandem concedit fuisse saltem inter ornamenta galearum. Et probant, Carolus Paschal. libro de Coronis, cap. XIX. qui phaleras constituit inter ornamenta capitis & militares cristas: Prudentius lib. II. in Symmach. qui *vittarum phaleras* appellat. Fulgentius in Mytholog.

Phaleratum exoticis diadema carbunculis.

Addo & Iuuenalis versum Satyræ vltimæ:

Vt lati phaleris omnes, & torquibus omnes.

vbi de equitibus loquitur. Et Silius lib. XV. qui phaleras dimittit in pectus ipsorum equitum:

—— *Phaleris hic pectora fulget,*
Hic torque aurato circumdat bellica colla.

Nam, quòd la Cerda dicat Silio se nihil credere, nec esse inter classicos Latij Principes, non me mouet; cùm & Silij versum videam sustentari Virgilij auctoritate IX. Æneid.

Euryalus phaleras Rhamnetis, & aurea bullis
Cingula, &c. ——
Hæc rapit, atque humeris nequidquam fortibus aptat.
Tum galeam Messapi habilem, cristisq; decoram
Induit. ——

Vbi Virgilius cingula & phaleras Rhamnetis ait aptata humeris Euryali, hoc est, non imposita (vt ridiculè Donatus) sed induta & circumiecta. Cingula autem esse hîc baltheos, non verò equinam cingulam, vt Cerda contendit, clarè in hunc locum docet Seruius. *Cingulum hominum*, inquit, *est generis neutri. nam animalium, genere feminino dicimus has cingulas.* Igitur, cùm hîc cingula dicantur neutro genere, hominum

num ſunt, non equorum. Iam inter equinas phaleras Virgilius VII. Æneidos addit monilia pectori, &c.

Inſtratos oſtro alipedes, pictiſq; tapetis,
Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent:
Tecti auro fuluum mandunt ſub dentibus aurum.

Liuius lib. XXXVII. criſtas iungit: *Ingentes elephanti erant: addebant ſpeciem frontalia & criſtæ.* Ouid. VI. Metamorph. reliquum adijcit, ſtragulorum ornatum:

Conſcendunt in equos, Tyrioq; rubentia ſucco
Terga premunt. ——

Item VIII. Metamorph.

Purpureuſq; albi ſtratis inſignia pictis
Terga premebat equi. ——

Claudian. in Epigramm. de equo Honorij, frena etiam in luxum phalerarum trahit:

—— *Spumis perfunde ſmaragdos,*
Luxurient tumido gemmata monilia collo.
Nobilis auratos iam purpura veſtiat armos,
Et medium te Zona liget, variata colorum
Floribus, & caſtæ manibus ſudata Serenæ:
Perſarum gentile decus. ——

Apuleius lib. x. *Phaleris aureis, fucatis ephippijs, purpureis tapetis, frenis argenteis, pictilibus baltheis, tintinnabulis perargutis exornatum equum.* Euripides denique de equis Rhœſi: *Præter ceterum cultum, multis cum tintinnabulis terribilem ſonitum edebant.* Hæ phaleræ Duces ſolos aut victores in triumpho decent. Non tamen damnem, pugnæ tempore, in Imperatoribus, Regibus, Conſulibus; quibus etſi auctoritas pro ornatu, tamen phaleræ ſunt pro maieſtate, vt veſtes virum faciunt. Nempe ad populum phaleræ. Ornandi ergo phaleris Duces; equuſq; Imperatorius, & Regius, & Conſularis, Imperatorijs, Regijs, Conſularibuſque phaleris inſtruendus. Ducum ſplendida paſſim arma & ornamenta apud Hiſtoricos & Poëtas. De equis quædam referenda particulatim: ac primùm de Imperatorio. Plutarchus in Graccho: *Equus ex*

Impe-

Imperatorijs insigniter ornatus. Petrus Diaconus lib. XVII. *Imperatoris equus, qui aureo erat circumdatus ornatu.* De Regio equo Plinius lib. VIII. cap. XLII. *Neminem Bucephalus alium, quàm Alexandrum, Regio instratus ornatu, recepit.* Claudianus in Epigramm. de Honorij equo:

O felix sonipes, tanti cui frena mereri
Numinis, & sacris licuit seruire lupatis!
Accipe Regales cultus. ——

Item de zonâ equi Arcadij:

Dumq; auro phaleræ, gemmis dum frena renident,
Hac vterum zonâ cinge frementis equi:
Stamine resplendens, & mirâ textilis arte,
Baltheus alipedis Regia terga ligat.

Dionys. lib. x. Antiquit. *Luc. Quinctio Dictatori equos phaleris decorè ornatos adduxerunt, & secures cum fascibus, vestesq; purpureas, & alia insignia, quibus olim Regium imperium decoratum erat, obtulerunt.* Hîc causſam habes, cur Dictatorum & Consulum equi Regios paratus admisêre. Gregoras lib. IX. *Regios equos cum ephippijs purpureis.* De Consulari Tacitus lib. XVIII. *Turbatus equus, qui insignia Consularia gestabat.* & Plutarchus in Crasſo: *Equus Consularibus insignibus splendidè ornatus, per vim abripiens sessorem.* Nec vnum Imperatori equum permitto, sed plures; in vsum, in liberalitatem. Equos enim phaleratos dare, Imperatorum est; & phaleræ, equitum præmia. Ne succense, miles, si nuper tibi dissuasi phalerarum vsum; nunc reddo, quando dantur benemerito. Virgilius v. Æneid.

Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Primus equum phaleris insignem victor habeto.

Liuius lib. XXXIX. *Pro concione postero die laudati, donatique à Calpurnio equites phaleris.* Et ingenti quidem numero. Virgilius VII. Æneid.

Hæc effatus, equos numero Pater eligit omni:
Stabant tercentum nitidi in præsepibus altis.
Omnibus extemplo Teucris iubet ordine duci

Instratos ostro alipedes, pictisque tapetis.

Cyrus ducentos, *qui habebant frena aurea, amiculisque virgatis erant strati*, lib. VIII. de Pædiâ Cyri. Probo hunc splendorem Imperatorum ac Ducum, modò non nimis phaleratum; modò simul stipendia castris suppetant, nec esuriat miles, quod equus Ducis mordet & calcat. Quis alioqui ferat, frenos aureos mandi, spumis smaragdos vexari, si militum dentes agant esuriales ferias? Quis aureas Poppææ soleas, quis Neronis argenteas, si auri argentique exiguum sit in ærario? Quis equorum cultum, *ad luxuriam magis quàm ad magnificentiam exactum?* vt Curtius loquitur lib. v. Ne argentum quidem stanno infusum Plinij censura tolerauit in ornamentis equorum. *Argentum*, inquit lib. XXXIV. cap. XVII. *stanno incoquere simili modo cœpêre, equorum maximè ornamentis: quæq; in scyphis cerni prodigium erat, hæc in vehiculis atteri, cultus vocatur.* Et legis præsidio luxus excludendus fuit, Cod. lib. XI. tit. XII. *nulli licere in frenis, equestribus sellis, & baltheis margaritas, & smaragdos, & hyacinthos aptare.* Ego certè suadeam Darijs omnibus, quod Charidemus lib. III. Curtij suasit Dario exultanti exercitûs sui splendore: *Argentum illud atque aurum ad conducendum militem mitte.* O quantò militiæ salubrius consilium!

CAPVT IV.

Equitum arma, armorúmque cura: Vexilla, ceteráque signa.

Gallo-Græci nudi ex equo pugnant. Galli olim supra vmbilicum nudi. Numidæ & Romani equites inermes. Romani deinde corporum tegumenta à Græcis didicêre. Leuis armatura è lino, lanâ, spongiâ, ligno, funibus, pellibus struthionum, corio, bracteâ. Grauis, ex ære ferroque densiore. Romani item tela Græcorum imitati. Discrimen clypei & scuti. Quid parma, sarissa & contus. Gladius equiti aliquando suspensus è dextro. Hippotoxotæ, & Hippacontistæ, & Arquites, ijdem qui sagittarij. Equites ferentarij & iaculatores qui. Restiferi equites & Laqueatores, inter quos feminæ. Lancea

qualis

qualis vox. Gesum. Phalarica, Bidens, Framea, Cetra. Arma militiæ hodiernæ recentia. Gladius equiti ligandus, ne in cursu excidat, quorundam infelici exemplo. Veterum nitor in curandis armis. Vexilla & dracones equitum. Tuba, buccina, lituus, cornu, classicum.

ARMA distinguo cum Isidoro, in tegumenta & tela. De tegumentis primùm, mox de telis dicam. *Gallo-Græci nudi pugnant*, ait Liuius lib. XXXVIII. *& sunt fusa & candida corpora, vt quæ numquam nisi in pugnâ nudentur. Galli supra vmbilicum nudi*, apud eumdem lib. XXII. *Numidæ discincti & inermis eques*, eodem auctore lib. XXXV. *Romani equites antiquitus thoraces non habebant*, ait Polybius in Castrametatione (interprete Iano Lascari) *sed in subligaculis periclitabantur; vnde ad descendendum ex equis, celeritérque insiliendum, habiles erant aptíque: sed in prælio minùs tuti versabantur, quòd inermes periclitarentur.* Non credit Lipsius lib. III. de Militiâ, Dial. VII. *in subligaculis pugnasse*, etiamsi περίζωμα id quoque significet. Putat eos *veste saltem fuisse tectos. nam nudos in solis subligaculis quis credat?* inquit. nec ego credo, Lipsi, sed nec id Polybius dicit: *inermes fuisse* scribit, non autem nudos. Et cur minùs Polybio credatur de Romanis, quàm Liuio de Gallis & Numidis? Deinde, periculis docti *Romani, mutauerunt, acceperuntq; Græcam armorum structuram*, ait idem Polybius. At, quæ illa Græcorum equitum armatura quam imitati Romani? Iosephus docet lib. III. Excidij Ierosolym. *Galeas & loricas omnes habent, vti pedites.* Hîc distinguendum aliquid arbitror, duplicis nempe generis fuisse horum equitum armaturam, leuem vnam, alteram grauiorem. Ita Ælianus docet libello de Instruendis aciebus. *Equestres copiæ*, inquit, *modo armaturæ inter se distant: pars enim armis tota obsepta est, & hinc cataphracti; pars non tota armis tegitur. Cataphractos igitur eos intelligi volo, qui non solum sua corpora, sed etiam equos loricâ vndique muniunt.* Sic apud Græcos & Persas. Leo Imperator Tact. cap. VI. §. XXX. *Apud Antiquos, equestrem aciem duabus diuersis armaturis muniebant; alteram vocabant cataphractum seu loricatum, alteram non cataphractum.* §. XXXI. *Armabant*

mabant autem cataphractum, tum equitem ipsum vndique, tum equum etiam, loricijs, id est galeis; clibanijs, id est thoracibus; parameris, id est machæris, &c. Apud Romanos leuis grauisque equitum armatus, sed nusquam munimenta equorum. At cuius materiæ hæc equitum tegumenta? Variæ, nisi fallor, vt peditum. Leuis armaturæ, è lino, ligno, spongiâ, funibus, lanâ, corio, struthionum pellibus, ære leui, aut ferro tenui & bracteato. De lino Plin. lib. XIX. cap. I. *Honos lino etiam Troiano bello*, &c. *Thoracibus lineis paucos tamen pugnasse, testis est Homerus.* Ergo vetustissimus mos apud Græcos. Aliarum gentium vsum Lipsius copiosè congerit lib. III. de Mil. Dial. VI. E ligno Indorum equitum tegumenta nominantur apud Herodotum lib. VII. De spongiâ Liuius lib. IX. extremo: (*Samnitibus*) *spongia pectori tegumentum.* E funiculis seu licijs fuisse, vel indicio est, quòd bilices & trilices loricæ dictæ, qualem Amasis Ægyptij Regis Plinius describit loco mox allato: *Cuius singula fila tercentis sexaginta quinque filis constabant.* Herodotus in Thaliâ demit de numero fila tantùm quinque. E lanâ fuêre, quæ Cæsar lib. III. Ciuilium vocat *subcoacta. Omnes ferè milites aut ex subcoactis, aut ex centonibus tunicas aut tegmenta fecerant, quibus tela vitarent.* Suidas appellat θώρακας πολητὰς, *thoraces coactiles.* Plinius lib. VIII. cap. XLVIII. *Lanæ per se coactæ vestem faciunt; & si addatur acetum, etiam ferro resistunt.* E corio apud Varronem: *De corio crudo pectoralia faciebant.* & Pæni equites apud Herodotum lib. VII. *Corio armati. Struthionum pellibus vtebantur Arabes, thoracum & scutorum vice*, ait Pollux lib. I. cap. X. De ære Polyb. lib. VI. *Plerique capientes æream laminam, quæ sit palmi maioris, siue duodecim digitorum vndique, nec ampliùs, eam pectori apponunt, & vocant corduuum.* vt Lascaris, *pectorale*, vt vertit elegantiùs Lipsius. De ferro Silius lib. VIII.

—— *Ferro circumdare pectus.*

Hæc, inquam, leuis armatura. Grauis armatura duplici loricâ æreâ aut ferreâ constabat, quæ pectus & tergum tegebat. Pausanias lib. I. *Duæ erant æreæ partes; illa quidem pectori, & ijs quæ*

quæ circa ventrem, apta; hæc, vt dorſo tegmen eſſet. Hanc ipſam, in graui armaturâ, Vegetius *cataphractam* vocat libro II. cap. XIV. Modus formaque armaturæ grauioris indicatus eſt ferè Capite præcedenti, vbi de equis & equite cataphractis. Xenophon lib. III. videtur diſtinctum facere equeſtrem thoracem à pedeſtri, vt obſeruat Sixtus Arcerius Notis ad Ælianum. Supereſt de equitum telis dicere, nam hucuſque de indumentis. Polyb. lib. VI. Romanis dat *ſcutum & haſtam*, quæ cùm initiò illis eſſent valdè infirma, poſteà mutauêre in *ſtructuram Græcorum*, quorum haſta firma ac craſſa, non tremula & gracilis, cuſpide item præmunita: ſcutum non è ſolo corio, quod pluuiâ reſolueretur (vt Afrorum & Maurorum parma) ſed ligno fartum, pelle intextâ veſtitum. Nota, idem eſſe parmam & ſcutum; clypeum pede vno longiorem, pede vno item arctiorem; & peditum tegmen eſſe, auctor Polybius lib. VI. ſcutum verò equitum, docente Seruio IX. Æneid. (vnde *equites ſcutati*, in Notitiâ Imperij.) Scuti formam quoque rotundam, clypei oblongam eſſe. Equitibus Græcis (quos & Romani ſecuti, auctore Polybio) Ioſephus lib. III. Excidij dat *gladium oblongum à dextris ſuſpenſum. Contum item longum in manu, & in pharetrâ tria quatuórve iacula, cuſpide latâ, etiam haſtis magnitudine cedentia.* Contrà ergo olim equiti, quàm pediti gladius appenſus: equiti dexter, ſiniſter pediti. Rideamus nunc, ſi quem ſic gladio videamus alligatum: quamquam & variaſſe apud Romanos, doctè oſtendit Lipſius in Militiâ Romanâ; & ſubinde dextrum, ſubinde ſiniſtrum illis gladium pependiſſe. Præterea equeſtres olim gladij longi, nunc breuiores pedeſtribus. Addit Ioſephus *contum*, qui, Lipſio iudice, eſt haſta curſoria. Iacula, haſtæ miſſiles, quales fortè Veterum lanceæ nonnullæ, quas iactas à Romano equite Dionyſius ſcribit lib. VIII. Mutarunt ergo arma Romani, imitatione Græcorum; ſicut & Achæorum *equitum Magiſter Philopœmenes armatura apud Achæos vitia correxit*, auctore Plutarcho in eius Vitâ. *Scuta enim habebant ex tenuitate expeditiora & reſtrictiora, quàm vt*

tegere possent corpora: lanceas longè sarissis breuiores, vnde ob leuitatem ad eminus petendum strenui erant & bellaces, cominus non perinde valebant. Induxit ergo eos, vt pro scuto & lanceâ sumerent clypeum & sarissam, simul vt galeis, & loricis ocreisq; tecti, loco cursoriæ & velitaris pugnæ, stataria meditarentur & firmam. Leo Tact. cap. VI. §. XXXII. *Cataphractorum alij habebant contaria, id est hastas, quas nunc menaula, olim lonchas nominabant: hiq; cominus cum hoste conserebant. Alij eminus iaculantes vocabantur Acroboliſtæ velitares,* &c. *Alij thureos, id est scuta oblonga habebant: alij sine scutis, solis hastis præliabantur.* §. XXXIII. *Equites Acroboliſtæ alij rhictarijs, id est iaculis vtebantur, alij arcubus: & alij ex illis hastas eminus iaciebant, alij directè procedentes, alij circumcursantes, quos Hippacontistas vocabant, Arquites verò Hippotoxotas. Horum quidam velitaribus iaculis cùm semel atque iterum pugnarunt, de cetero confligunt vel hastis, vel expeditis iaculis, vel spathis, erantq; velites. Quidam ex illis ferebant paruas secures. Et equestrem quidem aciem sic armabant Antiqui.* Alia equiti arma apud alias gentes. Cetra, seu breue scutum, Hispanis in vsu, vt Lucanus lib. I. vnde Cetrati equites in Notitiâ, quales & Curtius lib. III. facit Barcanos. Arcus & sagittæ apud plurimos. vnde Hippotoxotæ, id est equites sagittarij, Curtio lib. VII. quos eodem modo Cæsar nominat lib. III. de Bello ciuili, & Hirtius de Bello Africano. Meminêre quoque Herodotus lib. IX. & Thucyd. lib. II. sed Arrianus vocat Hippacontistas. Romani veteres vocabant *Arquites*, auctore Festo. Iacula non apud pauciores. vnde apud Liuium *iaculatores equites*. lib. VII. Decad. IV. & *Ferentarij equites, qui iaculis pugnant*, apud Ælianum lib. de Instruendis aciebus. Adeoque de *equestri iaculatione* Plinius librum se scripsisse refert lib. VIII. cap. XLII. *Laqueis* vsi equites Parthi, auctore Suidâ: Σειροφόροι, inquit, *restiferi, genus Parthorum pugnantium ex equis, qui cominus aggressi hostes, laqueis iniectis, & equis vi retractis, illos impetu equorum vel viuentes vel mortuos abstrahunt.* Paria de Sagartijs Herodotus adfert lib. VII. *Sunt quidam*, inquit, *Nomades, qui*

Sagar-

Sagartij vocantur, & gente & voce Persæ, &c. *qui attulêre equitatum octo millium, equitum armaturam neque aheneam neque ferream assueti ferre, præter pugiones; vtentes veste è loris consertâ, quâ freti in prælium eunt. Est autem prælium illorum virorum huiusmodi: Vbi cum hoste congressi sunt, iniiciunt eis restes, in summo laqueos habentes: qui laqueus cùm aut equum aut hominem adeptus est, eum ad se trahunt; ita illi illaqueati conficiuntur.* Gemina his armis arma Sarmatarum describit Pausanias lib. 1. *Laqueos iniiciunt in quemcumque hostium possunt; equos deinde auertentes, deijciunt, euertuntq; implicitos & illaqueatos.* De Anchatibus quoque Valerius Flaccus lib. VI.

Doctus & Anchates patulo vaga vincula gyro
Spargere, & extremas laqueis adducere turmas.

Idem verò pugnæ genus Mela lib. 1. cap. XXI. tribuit feminis Iaxamatharum. *Apud hos,* ait, *viri pedibus inhærent, illæ equestre prælium ineunt. Nec ferro dimicant, sed, quos laqueis intercepêre, conficiunt.* Diodorus lib. XVII. assignat eum morem Tyrijs, qui Macedones oppugnatores sic illaqueabant, tractosque in terram deijciebant. Iosephus Scythis Alanis, libro VII. Excidij, vt & Hegesippus lib. V. cap. 1. tribuunt. *Lanceæ* Senonibus Gallis à Liuio dantur lib. X. *Nec antè fama eius cladis perlata, quàm in conspectu fuêre Gallorum equites, pectoribus equorum suspensa gerentes capita, & lanceis infixa.* Diodorus lib. VI. vult lanceam Gallicum esse vocabulum. Gellius Hispanicum esse contendit. Isidorus, quòd *æquâ lance libretur.* Festus deriuat à Græco λόγχη. Duplex autem lancea, iaculum, & non iaculum. De lanceâ iaculo Curtius lib. IX. *Macedo, haud dubius eminus interfici posse, lanceam emisit.* Lancea non iaculum, eadem erat quæ hasta seu contus. ita Vegetius lib. III. cap. XIV. *Lancearios priùs vocari solitos hastatos* scribit. Brodæus lib. III. Miscell. cap. XVI. contum ait sarissam esse, quam hodie Piquam appellamus. *Gesum* item Gallorum equitum telum, *graue iaculum* ait Festus. De Viridumaro eorum Rege Propertius:

Nobilis è tectis fundere gesa rotis.

Sicut

Sicut Phalarica, quam *ex elephantium phalis ſeu turribus milites impoſiti iaculabantur*, auctore Iſidoro. Bidentibus Cimbrum equitem Plutarchus inſtruit in Mario : *Cimbrorum equites* XV. *millia numero, ſplendidis armis prouehebantur, & telum ſingulis bidens.* Apud Germanos *eques ſcuto frameaq; contentus eſt*, ait Tacitus lib. de Moribus German. quo loco quid framea ſit, conſulendus Lipſius. Leo Tact. cap. VI. §. XI. *Omnino autem equitem habere oportet tzicurem ancipitem, vnâ acie inſtar cuſpidis haſtæ longam & acutam, in ſellâ cum thecâ coriaceâ pendentem.*

Hucuſque de vetere equorum equitumque armaturâ. Equorum arma prorſus nunc exoleuêre, quia oneri eſſe viſa & impedimento. Equitum Lancearij ſoli, & Loricati ſeu Cuiraſſarij (vt vocari in Galliâ cœptos ſcribit Melzus) nunc cataphracti ſunt; ceteri pro tegumentis nihil præter galeam & loricam habent: pro telis omnes gladium & fiſtulam è chalybe vnam pluréſve; haſtas & lanceas, pauci. ſed inter fiſtulas diſcrimen eſt. Minimæ ſunt, quas Piſtolas ſeu ſclopos vocant. Harum duas Loricati gerunt, vnicam ſaltem Lancearij, quâ ſe tueantur, dum fracta eſt lancea. Bombardæ rotatæ, ſeu Arcabuſij (ſic dicti, quòd fiſtulam ſeu tubum pro arcu habeant) medij ſunt: Carabinos vocarunt Pedemontani, apud quos inuenti feruntur. His vtuntur equites Bombardarij, qui in Sagittariorum locum adlecti, appellantur Arcabuſarij & Bandularij, quia bombardam cinctu ſcorteo gerunt. Muſquetum denique tormentum eſt maiuſculum, fiſtulâ grauiore, quæ maiorem admittit glandem, ignemque concipit non ſilicis rotæque percuſſu, ſed attactu funis accenſi. Id de pedibus explodunt equites, bifurcato ſuſtentatum ſcipione, propter grauitatem. Sunt etiam muſqueta rotata minora nuper adinuenta (Muſquetones appellant) fiſtulâ breuiore, ſed quæ pari magnitudine pilam æqualiter excutit. His iam armare incipiunt Muſquetarios Franquos. Hos Flaminius lib. I. cap. XXIX. munit ſagulis bubalinis, ſuperinductâ loricâ ferreâ tenui, brachiali coriaceo ſiniſtro; inſtruit-

ſtruitque prætereà ſclopis breuioribus duobus. Porrò vt fiſtulæ omnes locum arcuum inuaſêre, ita puluis pyrius fiſtulæ pro neruo eſt, glans pro ſagittâ. Sed ne difficilem haberent adminiſtrationem tot ſimul inſtrumenta, ſingulos in ictus adhibenda; celeritati conſultum eſt vario genere inuenti. Primùm, phialæ quædam ligneæ ferreæve, è cinctu ſuſpenſæ, balthei inſtar circumijciuntur iaculatoribus; earumque ſingulis tantum admenſi ineſt pulueris, quanto opus eſt ad vnicam iaculationem, nec amplius: vt quælibet nempe phiala iuſtam contineat menſuram. Nimirum hoc modo fiſtulam celeriùs onerant, nec tum metiendi eſt cura, cùm potiùs eſt iaculandum. Alterum commentum plus etiam habet celeritatis. Pulueris certum numerum, ſingulis iaculationibus iuſtè admenſum, ſingulis inuoluunt cucullis papyraceis (Formatas vocant.) Iis cucullis, (inſtar cylindri longis, craſſiſque ad magnitudinem foraminis fiſtulæ, in quod immittendi ſunt) ſupernè ſupra puluerem pila adiungitur paris craſſitudinis; vt ſimul nempe, vnâ eademque operâ, puluis & pila ori fiſtularum inijciantur. Id, præterquam quòd celerrimè fiat, iaculatorem inſuper liberat curâ moraque, puluerem glandemque piſtillo ſeu malleolo intra fiſtulam tundendi; planè vt ſilicis ſolius attritu, rotæque contentione, excitandus ſit ignis. Hos cucullos, ſeu formatas (vt iaculantibus præſtò ſint) alij peris quibuſdam quadratis è collo ſuſpendũt; alij ſcloporum inuolucris (quæ vtrimque ex equinâ dependẽt ſellâ) ſupernè æreas ferreáſve pyxides foraminibus multis diſtinctas alligant, ijſque cucullos hoſce diſtribuunt. Redeo ad Veterum mores, eorumque inſignem pro armis curam, quæ vt olim illis longè maxima diligentiſſimaque fuit, ita nobis profectò non leuis habenda eſt. *Nam, quis militem credat eſſe bellicoſum*, ait Vegetius lib. II. cap. XIV. *cuius diſſimulatione arma ſitu ac rubigine fœdantur?* Xenophon ſanè dictitabat, *decorũ fore ſibi in bello morienti, ſi pulchris nitidiſq; in armis occubuiſſet*, apud Ælianum lib. III. Var. hiſt. Decori verò huius ſeruandi ſtudio, vt arma nitida eſſent, ſcuta etiam inuolucris tecta aduerſus

iniurias pluuiarum gerebantur, teſte Cæſare lib. II. Bell. Gall. *Scutis tegumenta*, inquit, *detrahendi tempus defuit*. Plautus item Bacchidibus:

Nequam eſſe oportet ſcutum, integumentum improbum eſt.

Ea cautio Decurionis erat, ne impolitiam eques, armorum neglectu, admitteret. Vegetius lib. II. cap. XIV. *Sicut* Centurio (inter pedites) *eligendus eſt, qui cogat, vt arma omnium defricentur, ac ſplendeant; ſimiliter eligendus eſt Decurio, qui turmæ equitum præponatur, poſſitq; turmales ſuos cogere, loricas vel cataphractos, contos & caſſides frequenter tergere & curare. Plurimum enim terroris hoſtibus armorum ſplendor importat.* Alexander milites ſuos Argyraſpides fecit, hoc eſt, vt Pollux explicat lib. I. argenteis clypeis inſtruxit. Iuſtinus lib. XII. *Alexander, vt gloriæ ſuæ etiam ornamenta exercitûs conuenirent, phaleras equorum & arma militum argento induxit, exercitumq; ſuum ab argenteis clypeis Argyraſpides appellauit.* Iulius Cæſar apud Sueton. cap. LXVII. *Milites habebat tam cultos, vt argento & auro politis armis ornaret, ſimul & ad ſpeciem, & quò tenaciores eorum eſſent in prælio, metu damni.* Ea quidem nitoris cura eſt; ſed maior quædam equiti habenda, ne fortè dum vno armorum genere vtitur, alterum, quo mox vtendum erit, per curſum amittat.

Gladius igitur ita accingendus eſt, ne aut vaginâ excidat, aut iactatione adeò poſt tergum auertatur, vt capi manu, nudariq́ue ab equite non queat. *Catoni*, ait Valerius lib. III. cap. II. *cùm ab hoſte in acie vehementi periculo premeretur, è vaginâ gladius elapſus decidit; quem ſubiectum præliantium globo, & vndique hoſtilibus pedibus circumdatum poſtquam abeſſe ſibi animaduertit, adeò conſtanti animo in ſuam poteſtatem redegit, vt illum non periculo oppreſſus rapere, ſed metu vacuus ſumere videretur.* Equitanti Catoni id cõtigiſſe, Iuſtinus expreſſit lib. XXXIII. *In eâ pugnâ*, inquit, *M. Cato, Catonis Oratoris filius, dum inter confertiſſimos hoſtes inſigniter dimicat, equo delapſus, pedeſtre prælium aggreditur.* Sed quod addit, *Dum procerum quemdam petit, gladius ei è manu elapſus in mediam cohortem hoſtium decidit*; præterquam

terquam quòd Valerio & Plutarcho repugnet, colorem non habet, & Catoni fortissimo militi probrosum est. E vaginâ ergo elapsus, ipsius Catonis cursu, lapsu aut descensu: eaque re tam fortiter recuperatus, vt pro amissi casu maiorem benè vindicati laudem mereretur. Ita Cæsar aliàs narrat euenisse T. Pulfioni lib. v. belli Gallici: *Verutum*, ait, *in balteo eius defigitur: auertit hic casus vaginam, & gladium educere conantis dextram moratur manum, impeditumq; hostes circumsistunt.* Ego scripsi, obsidione nuperâ Bredanâ quid Ioanni Comiti Nassauio socioque eius acciderit in velitatiunculâ quadam cum Briautæo: *Nostri paulatim sese recipientes, dum angustiùs equitando inuicem premunt, eorum vnus Nassauium prateruectus, habenas ei capulo gladij sui implexas è manibus extorquet, & gladium ipse habenis retentum vaginaq; eductum amittit.* Meminit verò Flaminius lib. 1. cap. v. Baxij cuiusdam apud Hollandos Nobilis, qui cùm lanceam fregisset, gladium amisit cursu, neque tueri se potuit, quin caperetur; pugnâ alioqui non segniter functus, anno M. D. LXXXV.

Venio denique ad signa. Duplicis generis ea facit Ælianus libello de Aciebus. *Alia enim percipiuntur visu, alia auditu.* Quæ visu percipiuntur, inter pedites propriè *signa*, inter equites *vexilla* (pannuli quadrati hastis affixi) sic dicta quasi velilla, vt à malâ maxilla, pro malilla. Auditu accipiuntur, tubæ, cornua, litui, buccinæ, tympana, quæ olim promiscuè pediti iuxtà atque equiti seruiebant. Salustius de Mario: *Cohortium, turmarum, legionum tubicines.* Nunc tubæ equiti soli dantur, tympana etiam apud Germanos & Afros. Præcipuus vexillorum vsus est ad contrahendas turmas, ne permisceantur. Leo Imperat. Tact. XII. §. CXII. *Miles, si quâ ratione contingat à bando suæ cohortis abesse, omnibus modis eò reuocandus est, ne acies confundatur. Antiqui*, ait Vegetius lib. II. cap. III. *qui sciebant in acie commisso bello celeriter ordines aciesq; turbari atque confundi, ne hoc posset accidere, cohortes in centurias diuiserunt, & singulis centurijs singula vexilla constituerunt, ita vt ex quâ cohorte, vel quotâ essent centuriâ, in illo vexillo literis esset adscriptum,*

quod intuentes vel legentes milites, in quantouis tumultu à contubernalibus ſuis aberrare non poſſent. Quod idem credendum de vexillis ſingularum turmarum. Leo Imper. Tact. cap. XII. §. CIX. *Inſigne Turmarchæ longè diuerſum diſtinctumq́, formâ ſit à bandis ceterorum Præfectorum, vt facilè ab omnibus ſigniferis agnoſcatur.* Porrò vt ſingulæ legiones vnicam pro ſigno habebant Aquilam, ita præter turmalia vexilla, exiſtimo alæ cuiuſque fuiſſe aliquod ſingulare vexillum. vnde alioqui alæ fuiſſent appellatæ vexillationes? Vegetij verba ſunt lib. II. cap. I. *Alæ nunc vexillationes vocantur, quia velis, hoc eſt flamulis vtuntur.* Sermonem autem eſſe de equeſtribus alis, ex Cedreno conſtare poteſt, qui clarè affirmat, *vexillationes eſſe Romanorum equites*; additq́ue (fortè æuo ſuo) *vexilla eſſe vela ſeu pannos è purpurâ & auro in quadratam formam effecta.* Leo Imperat. Tact. cap. VI. §. XVIII. *Mandamus, vt phlamoula vniuſcuiuſque turmæ & vniuſcuiuſque drungi, vnius quoque coloris ſint.* §. XIX. *Vt verò vnaquæque cohors ſuum bandum facilè agnoſcat, oportet alia quædam priuata ſigna capitibus adiungere, vt ex illis tum per turmas, tum per drungos, tum per banda cognoſci poſſint.* §. XX. *Omnia autem Turmarcharum ſigna tum diuerſa eſſe oportet, tum manifeſta, vt longo interuallo cognoſci poſſint.* & cap. VII. §. XIV. *Aſſuefacies eos præterea, vt aſpectu & nomine ſeſe familiariter inuicem norint, & ſub quo Præfecto quiſque miles ſit,* &c. His autem alarijs turmalibuſq́ue vexillis & ſignis cohortium, fortè inſcriptum ſubinde Principum nomen, quod ex Suetonio obſeruo, Veſpaſiani cap. VI. *Aſſensère cuncti, nomenq́, eius vexillis omnibus ſine morâ inſcripſere.* Quò reſpectum à Senecâ in Thebaïde:

—— Aureâ clarum notâ
Nomen Ducum, vexilla præſcriptum gerunt.

Ampliùs etiam affirmo auctoritate Seruij, fuiſſe nempe vexillum aliquod ſingulare, totiq́ue equitatui commune, ad quod ſeorſim eques à pedite aduolabat. Verba Seruij ſunt VIII. Æneid. ad illum verſum,

Vt belli ſignum Laurenti Turnus ab arce.

Qui

Qui erat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium, & exinde proferens duo vexilla, vnum roſeum, quod pedites euocabat; & *vnum cæruleum, quod erat equitum* (nam cæruleus color eſt maris, à cuius Deo equum conſtat inuentum) dicebat: *Qui ſaluam vult eſſe Rempublicam, me ſequatur.* Vexillis ſucceſſêre Dracones, quamquam Iſidorus lib. XVII. ab ipſo Apolline ſcribat eos militiæ datos poſt cæſum ab eo draconem. Inde tamen dracones in Græciam volaſſe, non credit Iſidoro Lipſius. *Nam quis*, inquit, *Scriptor vmquã Græcis dracones tribuit?* Suidas Scythis eos familiares in bellis ſcribit, alibi etiam Indis (Sindis mallet Lipſius) qui Scytharum ſunt populi. Eorum formam ſic Suidas expreſſit: *Sindi, gens barbara, quibus in bello erant ſigna, in quoſque mille equites, draco extenſus in perticâ: eius caput ex argento factum; reliquum corpus ſericeo textu, longitudine, craſſitie, & varietate coloris in verum draconem.* Hinc ergo tandem dracones in equitatu Romano; quos ita eleganter deſcripſêre Claudianus & Sidonius, vt ambiguam ſibi faciant palmam. Claudianus in VI. Conſulatu Honorij:

—— *Quid fixa draconum*
Ora velint; fluitent ventis? an vera minentur
Sibila, ſuſpenſum rapturi dentibus hoſtem?

Sidonius in Paneg. Maioriani:

—— *Iam textilis anguis*
Diſcurrit per vtramque aciem, cui guttur adactis
Turgeſcit zephyris, patulo mentitur hiatu
Iratam pictura famem, pannoq; furorem
Aura facit, quoties craſſatur vectile tergum
Flatibus, & nimium iam non capit aluus inane.

Quibus deſcriptionibus ſatis indicant, dracones fuiſſe corpora inania è panno ſerico formata. Fuiſſe tamen ſubinde etiam in vexillis pictos, nec aliud quàm vulgaria vexilla, indicant Suidas alibi & Curopalates, qui vela & vexilla draconum vocant, vt & Prudentius Hymno I. Periſt. *Ventoſa pallia.* Septemtrionales ferè omiſeram, quorum equeſtria ſigna ſunt vulpinæ caudæ contis lanceiſve alligatæ, vt Olaus refert

lib. VIII. cap. XXIII. Hæc porrò vexilla sacra sunt, hæc nefas deserere. Hæc inter Antesignanos & Postsignanos in acie collocata. Hinc noua equiti virtutis exercendæ caussa: dum nempe sub vexillis procedit, venerationem, modestiam cultumque præstare admonetur Duci, contubernalibus, militiæ ipsi, cui sacramentum dixit. Nostrorum vexillorum, inter equites, nullum iam discrimen ab antiquis illis quadratis. Turmæ tamen equitum, quos in Belgio vocamus *Bandes d'Ordonnance*, vexilla habent oblonga & angusta, desinentia in caudam diffissam, lanceis affixa. Arcabusariorum nostratium turmæ vexillum non habent, quod miratur vehementer Flaminius à Cruce, contenditque rationibus multis, non minùs quàm ceteras vexillis ornari debere, lib. I. cap. XXXV. Caussa, inquit, nulla afferri præter consuetudinem potest. Nam id eò fieri dicere, quòd Arcabusarij numquam ferè nisi per paruas turmulas diuisim pugnant, caussa esse non potest, cùm & Lancearij (qui tamen vexillum habent) non aliter pugnare possint. Cetera omnia suadent, æquè Arcabusarijs atque alijs vexilla concedenda, æquandaque stipendia; cùm plus habeant in bello vtilitatis, laboris verò periculique longè plurimum. Igitur quod naui clauus, quod temo currui, id vexillum, inquit, est equestri turmæ. Et quo alio indicio distinguetur Arcabusariorum turma à turmâ Præfecti latrunculatorum? Venio ad vocalia equitum signa. Tuba, Tyrrhenorum inuentum est, Diodoro Siculo teste lib. V. (atque ab ijs *Tyrrhenam* vocari) vel Tyrrheni filij Herculis, si maior Hygino fides, fabulâ CCLXXIV. Hinc tubicines dicti. Et, *quoties ad aliquod opus exituri sunt soli milites, tubicines canunt*, ait Vegetius lib. II. cap. XXII. *Cornua*, inquit Varro, *quòd ea, quæ nunc sunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu* (inde cornicines.) & hęc eadem Buccinę, κέρατα βόεια Dionysio; vnde buccinatores. Origo eorum à pastoribus conuocantibus pecus. *Cornicines*, ait Vegetius lib. II. cap. XXII. *quoties canunt, non milites, sed signa mouentur*. Lituus medius inter tubam & cornu. Tuba, recta est; cornu, incuruum; lituus, leniter inflexus;

dictus,

dictus, quòd litis sit testis, auctore Festo: genus tubæ minoris, & hinc liticen, inquit Charisius. Vniuersa, communi voce *æra* dicta: qui ea inflabant, *æneatores:* omnium simul sonitus, *classicum*, à calando seu conuocando, quasi calassicum, vt Isidoro visum. Aliter Vegetius lib. II. cap. XXII. *Classicum*, inquit, *appellatur, quod buccinatores per cornu dicunt. Hoc insigne videtur Imperij, quia classicum canitur Imperatore præsente, vel cùm in militem capitaliter animaduertitur. Bellicum* nonnulli pro *classico* dixêre. Vegetius autem lib. II. cap. XXII. *Quoties pugnatur, & tubicines*, inquit, *& cornicines pariter canunt.* Buccinâ vigiliæ distinguebantur, non tubâ, vt accuratè Lipsius lib. IV. Milit. Rom. Dial. X. vbi tympanorum originem à Bacchi triumpho in militiam Indorum tractam, venisse tandem ad nos, feliciter auguratur. Germanorum Afrorumque tympana, quæ illi quoque adhibent ad equestrem vsum, scitè expressit Apollodorus lib. I. Biblioth. *Salmoneus*, inquit, *pelles detractas, in curru cum æneis lebetibus agitans, dicebat se tonare.* Faciunt hæc signa, partem vulgandis Ducum imperijs; partem equis equitibusque excitandis; quo de munere sub finem Libri quinti.

CAPVT V.

Qualis equitum prisca recensio.

Græcorum Archontes, Romanorum Reges, Consules, Censores denique, censum Equitum exercuêre. Probatio equitum qualis Græcis. Qualis Transuectio. Recensio apud Romanos variè habita. Primò viritim, deinde tributim, denique Græcorum more per Probationem & Transuectionem. Probatio quale examen equitum. Transuectio qualis pompa. Quoties & quando vtraque habita. Fraus tamen olim in falso equitum numero deferendo deprehensa. Caueri difficilè posse, sed cauere conati Xerxes & Darius.

EQVES ab equo armisque instructus demum censebatur. Id munus apud Athenienses obibant Archontes seu Iudices. Apud Romanos censebant initiò Reges, deinde Con-

Consules, denique Censores, huius solius rei caussâ creati. Græcorum equitum recensio δοκιμασία seu probatio dicta, quâ item Magistratus ceteri explorantur, vt ex Æschine & Lysiâ obseruat Sigonius lib. 11. Reipublicæ Athenienſ. capp. 1. & v. Vsi sunt & transuectione, quemadmodum in Philopœmene Plutarchus ostendit, & Xenophon in Hipparcho. Romanorum recensio varia. Antiquissima, Regum tempore, viritim facta, equite cum reliquo populo permixto. Altera tributim, & pro habitu pecuniarum, non viritim, sub Seruio Tullio: quod vtrumque Liuius indicat lib. 1. *Censum instituit* (Seruius) inquit, *ex quo belli pacisq; munia non viritim, vt antè, sed pro habitu pecuniarum fierent.* Tertia & quarta fuit probatio, & transuectio à Græcis sumpta, quam Romanæ consuetudini tribuunt Valerius lib. 11. cap. 11. & Suetonius in Augusto, adeoque ex Græcis ipsis Plutarchus. Prima Romanorum recensio quoties fieri solita, non constat. Altera initiò quinquennijs singulis, deinde post annum & semestre, quando nempe censura ex quinquennali in annuam & semestrem est redacta. Sic Liuius lib. 1 v. capp. v 111. & x x 1 v. Probatio ante transuectionem ad Romanos venit. Id Valerius indicat lib. 11. cap. 11. cùm scribit, transuectionem fieri solitam die *probationis equitum.* Erat igitur iam tum probatio ante transuectionem. Probationem quis primus Romæ intulerit, in obscuro est. Transuectionem Q. Fabius Rullianus, cognomento Maximus, inuexit. Probatio quotannis semel habita, Idibus Iulijs. Transuectio bis, die Lupercalium (qui erat x v. Calend. Martias) & die ipso probationis equitum, Idibus Iulijs. Ita Valerius loco dicto: *Equestris ordinis iuuentus, omnibus annis bis Vrbem spectaculo sui sub magnis auctoribus celebrabat, die Lupercalium, & equitum probatione.* Antiquissima primaque recensio erat tantùm numeratio capitum. Census Seruianus erat classium pecuniarumque distinctio. Probatio erat equitum seuerum quoddam examen. Transuectio, publica equitatio & pompa. Iam probatio, quale examen fuerit, Græcorum primùm, Latinorum deinde testi-

monijs

monijs ostendam. Æschines Oratione de Ementitâ legatione: *Iubet lex omnes qui tractant aliquid ciuitatis*, &c. *probatos in foro, & rationem atque δίφθερας apud Scribam & Logistas deponere.* In quem locum Sigonius lib. 11. Reipublicæ Athen. cap. v. *Nemo*, inquit, *equo merere potuit, nisi, qui δοκιμασίᾳ antè excussus fuisset, an instructum ornatumq; equum haberet; vsque adeò, vt infamiâ notaretur, qui ad equestrem militiam sine probatione accederet, aut equum inter armatos ascenderet. Nam habuisse eos equum, quem πολεμιστήριον appellarunt, ex Oratione ad Phœnippum elicitur. Vnde illud est Lysiæ in Oratione de Ordine deserto: Ego vos Alcibiadi propterea iustè succensere censeo, quia iubente lege, si quis non probatus equitem agat, infamem esse, hic ausus est sine probatione equitem agere.* Plutarchus in Pompeij Vitâ probationis institutæ formam explicat accuratè: *Iucundissimum populo spectaculum Pompeius exhibuit, cùm rei in militiâ gestæ rationes edidit. Mos est, vt equites Romani, postquam legitimum militandi spatium absoluerunt, equum in forum ad Censores ducant, enumeratisq; ibi quæ, sub quibus Imperatoribus atque Ducibus stipendia fecerint, eorumq; ratione expositâ, absoluantur. Honor quoque aut ignominia vnicuique pro meritis vitæ confertur. Ita tum Gellio & Lentulo Censoribus, in foro pro dignitate suâ sedentibus, & equitibus inspiciendos sese præbentibus, conspectus est Pompeius supernè in forum descendens, Consularia insignia gestans, atque ipse equum suâ manu adducens. Postquam propè ad Censores peruenit, dimoueri à lictoribus turbam iussit, equumq; ad tribunal adduxit, obticuitq; præ admiratione populus, & Censores gaudio simul verecundiáque eo aspectu perfusi sunt: & cùm senior eorum ita interrogasset, Quæro ex te, Pompei Magne, militiámne toties, quoties leges iubent, obieris; altâ voce Pompeius, Defunctus sum, inquit, omnibus, idq; me ipso Imperatore.* Hîc locum in primis habes, forum, & in foro tribunal. Rem habes, quæ erat probanda, An stipendia impleſſent, & quibus Ducibus. Item morem habes, quo dabant sese inspiciendos; quo pedites ibant, equumque manu ducebant perinde explorandum. Atque hoc postremum de equo, vt ad Latinos veniam,

O cla-

clarum facit Sabini Maſurij narratio apud Gellium lib. IV. cap. XX. *Cenſores*, inquit, *Pub. Naſica, & M. Popillius, cùm equitum cenſum agerent, equum nimis ſtrigoſum & malè habitum, ſed equitem eius vberrimum & habitiſsimum viderunt: Et cur, inquiunt, ita eſt, vt tu ſis quàm equus tuus curatior? Quoniam, inquit, ego me curo, equum Statius meus ſeruus.* Quibus in verbis obſeruo, probationem vocari ſingillatim *Cenſum equitum*; quia nempe iam extra generalem populi cenſum ſoli equites ſeorſim probarentur. Nec iniuriâ probationem dixêre, cùm ſeuerè admodum eques moreſque eius excuterentur; probarentur boni, improbarentur mali. Refert Gellius lib. VII. cap. XXII. *Nimis pinguì homini & corpulento Cenſores equum adimere ſolitos*, &c. *Nam id profectò exiſtimandum eſt, non omnino inculpatum, neque indefidem viſum eſſe, cui corpus in tam immodicum luxuriaſſet, exuberaſſétque.* Ampliùs Suetonius capp. XXXVIII. & XXXIX. Auguſti, vbi ſimul de tranſuectione: *Equitum turmas* (Auguſtus) *frequenter recognouit, poſt longam intercapedinem reducto more tranſuectionis. Sed neque detrahi quemquam in tranſuehendo ab accuſatore paſſus eſt; quod fieri ſolebat. & ſenio vel aliquâ corporis labe inſignibus permiſit, præmiſſo in ordine equo, ad reſpondendum quoties citarentur, pedibus venire. Mox reddendi gratiam fecit eis, qui maiores annorum quinque & triginta, retinere eum nollent. Impetratíſque à Senatoribus decem adiutoribus, vnumquemque equitum rationem vitæ reddere coëgit, atque ex improbatis alios pœnâ, alios ignominiâ notauit, plures admonitione, ſed variâ. Leuiſsimum genus admonitionis fuit, traditio coràm pugillarium, quos taciti & ibidem ſtatim legerent. Notauítque alios, quòd pecunias leuioribus vſuris mutuati, grauiori fœnore collocaſſent.* Ad probationem manifeſtè ſpectant *recognitio, reddita vitæ ratio, ignominia, pœna, admonitio.* adeoque verbo ipſo *improbatos* appellauit. De eadem Xiphilinus: *Nero annuam recognitionem equitum habuit.* Suetonius iterùm Caligulæ cap. XVI. *Equites Romanos ſeuerè curioſéque, nec ſine moderatione recognouit, palàm adempto equo, quibus aut probri aut ignominiæ aliquid ineſſet.* Tandem huic annuæ probationi

bationi Romani quoque addiderunt geminam transuectionem, imitatione Græcorum, apud quos frequentem eam fuisse, indicat Xenophon libello de Hipparcho. *Curare*, inquit, *debet equitum Magister, vt pompas in festis spectatu dignas exhibeat*, &c. *Ac pompas quidem & Dijs & spectatoribus gratissimas fore arbitror, si ab ijs initio ducto, quorum templa & simulacra sunt in foro, ac Mercurij statuis, in orbem circum forum templaq; perequitabunt, Deos venerantes*, &c. *Rursus postquam statuas Mercurij obequitarint, illud mihi spectatu iucundum videtur, vt tributim ad celerem decursionem laxent equis habenas, Eleusinen vsque.* Plutarchus verò testatur, Philopœmenem equitum Magistrum frequenti huiusmodi transuectionum exercitatione, Achæorum collapsam labefactamque disciplinam inter equites erexisse. *Nam, cùm equites*, inquit, *accepisset, quorum praui & exiles subitarijq; essent equi, instante expeditione arrepti; atque ipsi ferè militiam defugerent, aliosq; delegarent vicarios: esset etiam singularis omnium cum ignauiâ inertia, eaq; vitia Magistratus anteà dissimulassent (quia inter Achæos plurimùm equites pollerent, ac præcipuè arbitrium haberent honorum & pœnarum) ipse non submisit animum, neque elanguit. sed, cùm oppida lustrando, tum equitando, iuuenes singulos ad laudem, & castigando ignauos, exercitationibus & transuectionibus, atque mutuis inter ipsos concertationibus, vbi spectandi à plurimis essent, miros neruos breui alacritatémque impressit cunctis; &, quod in disciplinâ militari erat caput, agiles reddidit atque expeditos.* Arbitror duplici hoc testimonio satis liquere, quem ob finem transuectiones hæ institutæ sint; nimirum *ordinis illius recognoscendi & probandi causâ*, vt scribit Auctor de Viris illustrib. cap. XXXII. Addo etiam, ob religionem in Deos, quorum cultum mox Xenophon commendauit. Sed hæc clariùs longè intelligentur, vbi ritum vniuersum formamque transuectionis Romanæ exposuero verbis Dionysij Halycarn. lib. VI. Antiq. cap. II. *Pompa ducitur ab ijs qui equum publicum habent, qui tributim centuriatimque distincti equis vehuntur, quasi è pugnâ redeant, coronati fronde oleaginâ, & togis purpureis, & pu-*

nicei coloris materiam prætextam habentibus, induti, quas vocant trabeas, initium pompæ facientes à quodam templo Martis extra vrbem, prætereuntes deinde ædem Castoris & Pollucis in foro, interdum numero quinquies mille homines, qui ferunt quæcumque fortitudinis suæ præmia in prælijs à Ducibus acceperunt; egregium certè dignúmque amplitudine Imperij illius spectaculum. Vides hîc ordinem, splendorem, honorem, religionem, numerum, quorum pleraque Latinorum quoque Scriptorum auctoritatibus confirmantur. De oleaginis coronis Plinius libro xv. cap. iv. *Oleæ honorem magnum Romana maiestas tribuit, equitum turmas Idibus Iulijs ex eâ coronando.* De trabeis Valerius lib. ii. cap. ii. *Trabeatos equites Idibus Iulijs Qu. Fabius transuehi instituit.* Diuersa ergo longè sunt probatio & transuectio, vt Lipsius demum aduertit suis in Tacitum Notis, contrà quàm scripserat lib. i. Milit. Dial. v. vbi transuectionem Fabij eamdem esse dixerat cum Valerij probatione. *Aliud*, inquit Commentarijs in lib. ii. Tacit. *est transuectio equitum, aliud recognitio, siue censio, siue probatio; & caue ea confundas.* Certè longè aliud: nam probatio semel tantùm quotannis fiebat, transuectio bis fiebat. Probatio prior transuectione apud Romanos fuit; nam eius die, Idibus nempe Iulijs, transuectio edi primùm cœpta est. Probatione eques pedibus ibat, equumque manu ducebat: transuectione equo vehebatur, nisi Augusti priuilegio equum pro se mitteret in ordine, quia mutilus esset aut deformis. Probatione miles examinabatur; trãsuectione tantùm in pompam ibat. Probatione nominatim equites è tabellâ vocabantur, adeoque Ordinis Principes dicebantur, quorum nomen primùm exibat, vt Valerius lib. ii. cap. ix. exẽplo vi. transuectione verò nihil simile fieri solitum. Probatio quoddam velut examen erat, transuectio pompa religiosa, instar supplicationis ad puluinaria censebatur. Fateor tamen aliquid fuisse transuectioni cõmune cum probatione. Primùm enim, stimuli cuiusdã instar, adhibebatur retinendæ disciplinæ splendorique equitatus; sed gloriæ quidam stimulus erat, vt contrà, probatio, terror pœnæ. Deinde, vt probatio certiùs

certiùs honeſtiuſque exerceretur, tranſuectio in eumdē cum illâ diem coniecta eſt, vt non immeritò cenſio quædam Rauardo, Manutio, Sigonio, Lipſio, eſſe viſa ſit, præſertim cùm & Ouidius diſticho vno iunxerit libro 11. Triſt. Eleg. 11.

At memini, vitámque meam moréſque probabas,
Illo quem dederas prætereuntis equo.

Hæc tanta ſeruandi numerandique equitatûs cautio, tot recenſionibus, tot probationibus, tot tranſuectionibus ſepta, ſubinde tamen eluſa eſt dolo malo quorumdam Præfectorum: vt intelligatur, eò cautiùs nunc etiam cauendum eſſe, quò plures hoc tempore fraudes, falſo equitum numero deferendo, manifeſtum eſt exerceri. Refertur inſignis illa ſycophantia lib. 111. Bell. ciuil. *Erant apud Cæſarem ex equitum numero Allobroges duo fratres, Roſcillus & Ægus, ſingulari virtute homines, quorum operâ Cæſar, omnibus Gallicis bellis, optimâ fortiſſimáque erat vſus. His domi ob has cauſſas ampliſſimos Magiſtratus commendauerat, atque eos extra ordinem in Senatum legendos curauerat, agróſque in Galliâ ex hoſtibus captos, præmiáque rei pecuniariæ magna tribuerat. Sed freti amicitiâ Cæſaris, & ſtultâ ac barbarâ arrogantiâ elati, decipiebant ſuos, ſtipendiúmque equitum fraudabant, & prædam omnem domum auertebant. Quibus illi rebus moti, vniuerſi Cæſarem adierunt, palámque de eorum iniuriis ſunt queſti: & ad cetera addiderunt, falſum ab eis equitum numerum deferri, quorum ſtipendium auerterent. Cæſar neque tempus illud animaduerſionis eſſe exiſtimans, & multa virtuti eorum concedens, rem diſtulit totam; illos ſecretò caſtigauit, quòd quæſtui equites haberent per fraudem.* Quid de moribus noſtris dicam? Et multa hoc tempore multorum virtuti (neſcio an fraudi) conceduntur; & cùm rara procedant ſtipendia, non eſſe animaduerſionis hoc tempus exiſtimatur. Res tota differtur. An autem ſecretò caſtigentur, hoc ſcire non licet. Cauendum, cauendum eſſe faciliùs clamem, quàm dicam quo modo ſit cauendum. Finiam Plautino dicto:

Qui cauet ne decipiatur, vix cauet quom etiam cauet:
Etiam quom cauiſſe ratus eſt, ſæpè is cautor captus eſt.

Si cui tamen Xerxis cautela bona videatur, quam Darius probauit, indicabo Herodoti verbis lib. VII. *Copiarum numerum hoc modo inierunt. Contraxerunt vnum in locum myriadem hominum (quæ sunt decem millia) quâ coarctatâ quàm maximè poterant, circulum extrinsecus descripserunt loco circumscripto, emissaq; hinc myriade, sepem circumdederunt, eatenus excitantes, vt vmbilico tenus pertingeret. Eam vbi fecêre, aliam subinde atque aliam myriadem introduxerunt, donec omnes connumerassent. numeratos autem nominatim digesserunt.* Hanc Dario probatam refert Curtius lib. III. cap. IV. *Darius, circumdato vallo (quod decem millium armatorum multitudinem caperet) Xerxis exemplo, numerum copiarum inijt.*

CAPVT VI.

Equestre stipendium & Annona.

Græcorum & Romanorum equitum initiò nullum stipendium, præter æs ad emendum equum. Romanis annonæ aliquid, ac demum diurna stipendia. Quanta eorum summa. quoties aucta. quoties numerata. quantò maiora Præfectorum æra, quàm gregariorum. Stipendij solutione equestres seditiones optimè compescuntur. Annona equiti & equo qualis & quanta. Qualis potio militaris. Pecuniæ militaris parandæ modi Veterum varij; nouus vnus alterve adiunctus.

STIPENDIIS fuisse alitos Græcorum milites, & commune æris militaris nomen, & singulare equestris stipendij vocabulum docent. Æra enim militaria τροφιμικὰ, & equestre stipendium κατάσασιν appellarunt. Hoc equiti ex ærario, ad emendum armandumque equum, Arpocratiò scribit fuisse numeratum; solitumque Phylarchis reddi, cùm militiâ defungerentur, Lysias indicat in defensione Mantithei, vt obseruat Sigonius lib. IV. Reipublicæ Athenienſis cap. V. Quid præterea stipendij diurni menstruíve Græcia equitibus erogarit, obscurum est. Romani initiò equitem suum nihilo habuêre liberaliùs. Equum singulis attribuêre è publico: viduas præter-

prætereà assignauêre, quæ equis alendis annonam suppeditarent: nihil prætereà conferebant stipendij, tantillo pretio militiam bellaque administrabant. Felicia tempora! Sed fabulosa videantur, nisi testes grauissimi affirmarent, Festus Pompeius & Liuius. *Priuato sumptu*, ait Festus, *se alebant milites Romani pæne ad id tempus, quo Roma est capta à Gallis.* Et triennio quidem diutiùs eques quàm pedes: hic enim stipendia facere cœpit Anxure capto, anno vrbis conditæ CCCXLVII. vt Liuius lib. IV. *Ante id tempus*, ait, *de suo quisque functus eo munere erat. Equiti autem*, ait lib. V. *certus numerus æris est assignatus* (in obsidione Veientium) *& tum primùm equis merere cœperunt.* Quid ergo anteà equiti datum? Nihil, nisi quod Liuius scribit lib. I. *Ad equos emendos dena millia æris ex publico data, & quibus equos alerent vidua attributæ, quæ bina millia æris in annos singulos penderent.* At quo præsidio vitam militiæ tolerabant? Annonâ solâ viuebant, quæ equiti iuxtà atque equo præbebatur ante stipendiorum vsum. Ita Lipsius notauit ex Dionysij Halycarn. lib. V. & IX. Bello enim cum Sabinis collationes in milites viritim factæ; & Veientes cùm pacem peterent, duorum mensium frumentum exercitui obtulêre. Eumdem fuisse Barbaris morem, cùm ex Herodoto ac Marcellino constat, tum Curtij verbis insinuatur. Herodotus alibi: *Neque enim milite stipendiario seu mercede conducto vtuntur Barbari, quemadmodum Romani.* de Romanis æui sui loquitur; nam priores quoque sine stipendio militabant. Marcellinus lib. XXIII. *Pedites in speciem mirmillonum contecti, iussa faciunt vt calones; sequiturq; semper hæc turba tamquam perenni addicta seruitio, nec stipendijs aliquando fulta nec donis.* Curtius lib. III. cap. IV. de exercitu Darij, *His*, inquit, *copijs triginta millia Græcorum mercede conducta adiecta sunt.* Igitur reliquum Persarum, Medorum, Hyrcanorum, Armeniorum agmen, non erat mercede aut stipendio conductum: aut quorsum de solis id Græcis expressisset? At inquies, Quâ re vitam tolerabant? Rapto & spolijs hostilibus, indicat Herodotus. Iam modum summamque stipendiorum veterem Polybius indicat

cat lib. VI. *Stipendium*, inquit, *pedites accipiunt in diem duos obulos; ductores ordinum duplum, equites dragmam, id est triplum.* De triplo equitis Liuius asseuerat lib. V. *Cn. Cornelius Tribunus militum triplex stipendium equitibus dederat.* anno nempe Vrbis cond. CCCLIV. At quid dragma? Dissentiunt Contarenus & Lipsius. Cum vtroque & contra vtrumque ait se sentire Erycius Puteanus libello sanè accuratissimo de Stipendio militari Romanorum. *Res*, ait cap. VI. *à denario exigenda est. Denarius primâ institutione denis permutabatur: tandem anno Vrbis* IↃXXXVI. *senis-denis permutari cœpit, Q. Fabio Dictatore, ait Plinius.* Pergit cap. VII. *Dragma siue denarius in senos obulos diuisa erat. Denarius igitur, (qui Polybij æuo sexdecim assibus permutabatur) stipendium trium dierum; quemadmodum anteà, quinque; quâ ratione duo obuli, quini propemodum asses sunt. propemodum, inquam; duo enim obuli ter sumpti dragmam constituunt; at tres asses quinquies, denarium & præterea assem.* Sic porrò Puteanus stipendia ad calculos vocat cap. VI. *Stipendium diurnum (asses diurni hi si computentur) denarij menstrui quini, assesq; deni sunt: annui; sexageni septeni, asses octoni.* Et meritò tenuitatem excusat: *Nam angusta eo tempore res Romana erat, & Tribuni Senatûs libertatem coërcebant. At creuit stipendium vrgente Italiam Hannibale, tamquam maiore præmio defendi Resp. debuerit, cùm discrimen immineret.* Tres ergo asses initiò peditis stipendium; mox ad quinque deductum; tandem à Iulio Cæsare duplicatum, ait Sueton. cap. XXVI. *Legionibus stipendium in perpetuum duplicauit*, in asses nempe denos, qui menstrui erant denarij octodecim, assesque duodecim, annui verò denarij, ducenti viginti quinque, siue aurei nouem. Id exile tamen visum Pannonicis legionibus apud Tacit. lib. I. Annal. vbi Percennius fax seditionis sic obmurmurat, *denis in diem assibus animam & corpus æstimari. Denis nempe Julianis.* volebant nimirum denarium sexdecim assium. quod Tacitus exprimit, *vt denarius diurnum stipendium foret, nam tanti tunc denarius erat.* Equitis verò stipendium in triplum. Lipsius putat auctum hoc Iulianum stipendium

ab

ab Augusto: Puteanus clarè ostendit modum stipendij ab eo non fuisse mutatum, sed *formulam certam stipendiorum præmiorumq; præscriptam, definitis pro gradu cuiusque & temporibus militiæ & commodis missionum*, vt ipse Suetonius se explicat cap. XLIX. *modo stipendij non mutato.* quod reuerà illis verbis apparet. Domitianus denos Iulianos asses auxit assibus tribus & triente. Suetonius id testatur cap. VII. *Addidit & quartum stipendium militi aureos ternos.* Eum locum verissimè sic explicat Erycius Puteanus cap. XI. *Stipendium antiquitus annuum, & sic vnum fuit, quod & solidum dicebatur. Semestre, & sic duplex. quadrimestre, & sic triplex. An & trimestre? certè quadruplex.* De annuo Liuius lib. v. *Annua æra habes, annuam operam ede. An tu æquum censes, militiâ semestri solidum te stipendium accipere?* Lib. item XLII. *Bis, quæ annua merebant legiones stipendia, feci.* De semestri Varro lib. III. de Vitâ populi Romani apud Nonium: *Stipendium dicebatur æs, quod militi semestre aut annuum dabatur; cui datum non sit propter ignominiam, ære dirutus est.* De trimestri & quadrimestri ita colligit Puteanus cap. XI. & XII. ex Domitiano Suetonij: *Si quartum stipendium militi addidit Domitianus*, erat igitur iam anteà tertium seu trimestre stipendium. Addidit Domitianus quartum, aureos tres; ad alia nempe trimestria tria singula, aureorum item trium; qui erant annui aurei nouem. vt *sic demum sub Domitiano aureus vnus menstruus militis stipendium factus sit. non quatuor, frustrà à Lipsio per incerta collecti, & in annuos quadraginta octo extensi; vt computatione nostrâ, quot menses annus, tot quoque aureos habuerit. Vnde quantum à mensium numero quadraginta octo distant, tantum à vero Lipsij animaduersio aberrauit. Vnus autem aureus menstruus, asses in diem tredenos cum triente cõstituit, in mensem quadrigenos, siue denarios vicenos quinos. In quadrimestre, asses millenos sexcentenos, siue denarios centenos. Atque hæc certa sunt, non arbitraria, etiam consensu quodam temporum comprobata.* Equiti fuissent ad hunc calculum aurei annui XXXVI. mensibus nempe singulis tres; triplum, quàm pediti dari consueuit, testimonio Polybij. & hæc ordi-

naria equiti ſumma. At, qui eques duplici merebat equo, is duplo quoque donabatur ſtipendio. Feſtus prodidit: *Parium as appellabatur id, quod equitibus duplex pro binis equis dabatur.* Iam ductoribus ordinum duplum dabatur quàm gregarijs. Turmarum ergo equeſtrium Præfectis ac Propræfectis, ſeu Optionibus, fortè & Signiferis, alijſque benemeritis, in menſem aurei ſex. Quid? quòd equitibus turmæ Prætoriæ ſexquiplex ſtipendium datum à Scipione. Feſtus ſcribit: *Cohors Prætoria (ſic dicta, quod à Prætore non diſcederet.) Scipio enim Africanus* (Numantinum iure ſubſtituit Lipſius) *primus fortiſſimum quemque delegit, qui ab eo in bello non diſcederent, & cetero militiæ munere vacarent, & ſexquiplex ſtipendium acciperent.* Inuidioſa ſumma equiti, fateor; eoque vt minueretur ſubinde petitum. Liuius lib. VII. *Poſtulatum fuit, vt de ſtipendio equitum* (merebant autem eâ tempeſtate triplex) *æra demerentur.* Sed in Tribunis quid fuit? quærit Lipſius. *Magna*, inquit, *eorum ſalaria*; ſic celebrantur à Iuuenale:

—— *Alter enim, quantum in legione Tribuni*
Accipiunt, donat Caluinæ vel Catienæ.

à Plinio lib. XXXIV. cap. III. *Nec pudet Tribunorum militarium ſalarijs emere.* Quanta igitur? Appiani locus eſt, niſi erro, qui certiores nos eius faciat; iſte, de Cæſare: *Diuiſit deditq; militi ſuper quinque mille drachmas; Ductori ordinum eius duplum, Tribuno militum & Præfecto equitum iterùm eius duplum.* Concludit Lipſius pro equite: *Ergo Præfectus alæ quadruplum vulgaris ſtipendij habuit.*

Ne illud etiam de ſtipendio omittam: narrat Xiphilinus, non equites modò, ſed equos victores quoque à Nerone fuiſſe ſtipendijs donatos; nempe vt annona anſeribus Capitolinis præbita eſt. Hæc œconomia Romanis. Quæ Barbaris? Curtius de Macedonibus indicat lib. V. cap. VI. *Ex pecuniâ Babyloniæ Macedonibus equitibus ſexceni denarij tributi; peregrinus eques quingenos accepit; duceni pedeſtrium ſtipendium menſum.* Ergo eques quintuplâ portione ſtipendij peditem excedebat. Sortem equeſtris huius pecuniæ ita conſtituit Raderus:

Facia-

Faciamus Macedonum equitum fuisse tria millia quingentos, totidem quoque peregrinorum. (Censa namque in hoc Alexandri exercitu septem equitum millia.) Singulis Macedonibus cedebant LXXX. aurei, qui ducti in tria millia quingentos, efficiunt viginti octo millia. Peregrinis singulis cedebant LXV. qui in sortem excrescunt ad XVII. millia quingentos. Summa equitibus data, aureorum millia XLV. quingenti. Nihil egero, nisi illud monuero, in quo summa vertitur militiæ fideique equestris, stipendia equiti promptè numeranda esse, aut metuendas grauissimarum seditionum turbas. Peditis inopia haud ita metuenda est, neque adeò certè periculosa: eques quippe equusque famelici sæuissimam in rabiem vertuntur, comprimique æquè ac pedites nequeunt. Momento circumuolitant equites, omniaque latè incendijs miscent: pedites aut includi aut concidi faciliùs possunt. Sed quis peditatus equite destitutus equitatum furentem vagantemque inuadat aut compescat? Miserrimum seditionis genus cùm insanire eques incipit. Id nempe cauit prudentissimè Marchio Balbasius Ambrosius Spinola, quamdiu Belgicas Hispani Regis copias summi Ducis loco administrauit. Nam cùm aliàs sæpè equestrium seditionum tumultus erumperent, Prouinciasque incendijs ac latrocinijs vexarent, ipse stipendijs in tempore numeratis omnem in posterum equitum coniurationem auertit; dignus eodem quo Viriatum Appianus laudauit elogio: *Quod est difficillimum, quodq; in hunc vsque diem non facilè alteri continget Duci, eius exercitus per tot annos sine seditione semper ei obsequentissimus perseuerauit.* Nunc ad annonam. Quanta ea equiti pro se, pro equo? Polybius definit lib. VI. *Equites Romani septem medimnos hordei in mensem, frumenti duos,* &c. *Socij equites verò, frumenti medimnum vnum & trientem; hordei quinque:* nisi loco hordei subinde daretur æs, quod *hordearium* Festus ait fuisse appellatum. Atque hæc ad certum diem militi, ne esuriret, demensa. Cæsar I. Bell. Gall. *Diem instare, quo die militibus frumentum metiri oporteret.* VII. Gallic. *Post diem septimum se reuer-*

ſurum confirmat, quam ad diem frumentum deberi ſciebat. Neque vendere militi licebat ſine probro & pœnâ. Suetonius Galbæ cap. VII. *Militi, qui per expeditionem annonâ arctiſsimâ, reſiduum cibariorum tritici medimnum, centum denarijs vendidiſſe arguebatur, vetuit, ſimulatque cibo indigere cœpiſſet, à quoquam opem ferri; atque is fame extabuit.* Sed quantum frumenti hordeíve in medimno? Suidas ponit in medimno modios ſex. Igitur in menſem eques Romanus habebat frumenti modios XII. hordei XLII. Socius eques tantò minus, quia minori dignitate, famulitio, fortè & numero equorum. Nam equites Romani fere amphippi in bellis erant, vt ex Feſto alijſque dicetur, & iumenta prætereà pabulatoria habebant, præter equos militares. Imò duplum ſubinde datum annonæ ob virtutem. Varro lib. IV. de Ling. Lat. *Duplicarij, quibus ob virtutem duplicia cibaria vt darentur, inſtitutum.* Quales illi apud Liuium lib. VII. *qui duplici frumento in perpetuum, in præſentiâ ſingulis bobus donati.* quales apud Vegetium libro II. cap. VII. *Armaturæ duplares, quæ binas conſequuntur annonas.* Quærit Lipſius, An præter frumentum & hordeum, nihil obſoniorum, aut alîus alimenti? Addit ſalem, legumina, & ſuillam ſalſam. De ſale Plutarchus in Craſſo: *Simul euenit, vt poſt tranſitum fluminis, cùm emetirentur neceſſaria exercitui, primùm omnium darent lentem & ſalem.* Et ſanè vix ambigi de ſale poteſt, ſine quo vita non eſt. Leguminum & ſuillæ Syneſius meminit, loquens de Caro Imperatore: *Cœna erat è piſis pulmentum, & in ipſo fruſta aliquot ſalitæ ſuillæ carnis.* Atque hi nempe caſtrenſes illi ſeu militares cibi, de quibus Spartianus in Hadriano: *Cibis etiam caſtrenſibus in propatulo libenter vtens, larido, caſeo, & poſcâ.* In Peſcennio: *Militarem cibum ſumpſit ante papilionem.* Lampridius in Alexandro: *Apertis papilionibus prandit, cùm militarem cibum, cunctis videntibus atque gaudentibus, ſumeret.* At frumentum ſi dabatur, quis molebat? quis panem pinſebat? an eques? an pedes? ſanè molitores in caſtris omnes, omnes fuêre piſtores. *Scio me omnia mira loqui,* inquit Lipſius; *ſed quid faciam, ſi in tantum mores noſtri & priſci*

diuer-

diuertunt? Suâ manu coquebant illi ingenui, illi ciues. Quid? imò ipse aliquis Imperator, nec ex Curijs aut Fabricijs, sed nouitijs Antoninis. Herodianus nobis auctor de Antonino Caracallâ: *Triticum suâ manu molens, quod ipsi satis esset, massamq; ex eo conficiens, & in carbonibus coquens, eo vescebatur.* Ampliùs, si mola deesset aut focus, pultes è frumento suo faciebant. Pultiphagi illi (vt Romanos vocauit Plautus) nec gregarij modò, sed & Duces. De Iuliano Imperatore Ammianus lib. XXV. *Imperatori non cupedia ciborum ex Regio more, sed pultis portio parabatur exigua, etiam munifici fastidiosa gregario.* Pultis vsum omnino Romanis fuisse vulgarem, Valerius ostendit lib. II. cap. V. *Frequentior*, ait, *apud eos pultis vsus quàm panis.* Abundè de cibo. Quid de potione? Aqua fuit aut posca, hoc est acetum aquâ dilutum. *Pescennius, militi vinum petenti, Nilum, inquit, habetis, & vinum quæritis?* scribit de eo Spartianus. Et: *Iussit vinum in expeditione neminem bibere, sed aceto vniuersos esse contentos.* Quid nunc? *Si milites nostros ire in expeditionem quandoque oporteat, sagmarij eorum non ferro, sed vino; non lanceis, sed caseis; non ensibus, sed vtribus; non hastis, sed verubus onerantur*, ait Petrus Blesensis Epist. XCIV. At hæc omnia, an equiti data supra stipendij summam? *Socijs*, ait Polybius, *muneri datur; Romanis verò & frumenti, & vestium, & si quibus armis egeant, omnium horum nomine, Quæstor certam definitamq; pecuniam de stipendio deducit.* Heus! quantillum ergo militi de stipendio superabat, post annonæ, armorum & vestis pretia detracta! sat lautum; quia non ingens aliquod pro arbitratu, sed *certum definitumq; pretium deducebatur. Arbitror*, ait Lipsius, *militem vix diei vnius stipendium in menstruum stipendium impendisse.* Tamen illud vel tantillum Gracchanâ etiam lege mollitum; decretumque, vt *de publico militi daretur vestis, nihilq; hoc nomine de stipendio militantium deduceretur.* Sed breui quoque antiquata ea gratia. & iam miles apud Tacitum I. Annal. queritur, *stipendio vestem, arma, tentoria redimi.* Miserabilis sanè querela; haberi durè adeò militem post tam dura vitæ discrimina. Hæc scire, non iniucun-

dum quidem; sed scire, quo modo & annona & stipendium nunc parari possint, vtilius longè est, quàm qualis annona, quantum stipendium Romanis aut Græcis fuerit, vestigare. Suggeram igitur quæ apud Veteres reperi; quorum fortè nonnulla etiamnum salubria Reipublicæ esse possunt; addam & nouè excogitata. Apud Athenienses erant duplicis generis collationes in pecuniam militarem; quædam ordinariæ, quædam extraordinariæ. Ordinariæ à quaternis populi classibus conferebantur, quas Solon instituerat, quinquemodialium, equitum, Zeugitarum & Theticorum. Horum singuli, pro fortunarum suarum censu, pecuniam in stipendia tribuebant: adeoque nemo erat oneris huius publici immunis, vt ex Demosthenis accusatione in Leptinem probat Sigonius lib. IV. cap. IV. *Collationum in bellum*, inquit, *& salutem ciuitatis ex veteribus legibus nemo est immunis, ne posteri quidem Hermonij & Aristogitonis.* Qui ergo fortunarum suarum tenuitatem caussabantur, vt immunes essent, ad ἀντίδοσιν adigebantur, quâ Solon nempe iusserat bonorum omnium cum alio fieri permutationem. Extraordinarias collationes Thucydides εἰσφορὰς appellat, atque exactas scribit bello Peloponn. cùm Mitylenæ ab Athenienſibus obsidebantur. Argentea tamen supellex, cùm εἰσφοραὶ exigebantur, non veniebat in æstimationem censûs, vt constat ex Oratione Demosthenis ad Phœnippum. Arist. lib. II. Oeconom. aliud quidpiam de Athenienſibus commemorat: *Cùm pecunijs*, inquit, *indigerent ad parandum bellum, instituerunt, vt omnium facultates describerentur, quæ apud vnumquemque in populo confusæ inordinataq; erant, sed & quo in loco vnaquæque possessio erat, vt pauperes possent erogare: cui autem possessio deerat, corpus condemnabatur: itaq; ab illis, quod descriptum erat, vnusquisque ciuitati saluum afferebat. Chij verò debita omnia priuatorum publicè descripta exegerunt in patria necessitate, creditoribusq; fenus, quousque sortem redderent, exsoluerunt.* Facetum est Lacedæmonum consilium, quod ibidem adfert; qui *Samijs militibus pecuniam in reditum poscentibus, decreuerunt, die vno se, seruos & animalia*

sua

ſua ieiunatura, vt quantum eâ inediâ lucrifeciſſent, Samijs numerarent. Quid verò lepidius inuento illo Ariſtotelis Rhodij Phoceæ Principis, qui forenſium bellorum, rixarum inquam mulctis bellum publicum ſuſtentauit, non minore tamen togæ fauore quàm ſagi? *Conſpiciens namque*, ait Stagyrites Ariſtoteles, *ciues multas inter ſe agitare cauſſas, magnaſq; longo ex tempore iniurias, quæ per bellum illis obtigerant; iudicium ſtatuens, edixit: Quicumque definito tempore non eſſent ſententiam aſſecuti, legem abs ſe eſſe latam, Non vlteriùs fore præteritorum delictorum iudicia. Tunc autem à multis offerentibus pecuniam propter breuitatem temporis, & obtinendam iuſtitiam, multis etiam multa offerentibus vt proferret tempus; à ſingulis ſuſcipiens, immodicam congeſſit pecuniam.* Sponſorum ſponſarumque ſibi odia conciliet, qui exigat Condauli Ducis aut Epheſiorum tributum. *Condaulus, Mauſoli Regis Polemarchus, intuens Lycios procos cæſariem alere, dixit epiſtolas veniſſe à Rege, quæ iuberent mittendas eſſe comas ad proſcomia: igitur iniunctum ſibi eſſe à Mauſolo, vt detonderet eos. Verumtamen ſi vellent capitatim taxam aliquam dare, ſe à Græciâ comas tranſmiſſurum: qui lubenter dederunt, ſicq; plurima pecunia à numeroſâ turbâ collecta eſt. Epheſij autem, cum pecuniâ indigerent, legem tulêre, vt mulieres aurum non geſtarent, quantum verò inpræſentiarum haberent, mutuum darent ciuitati.* Quantò hæc clementiùs luxui libidiniſque cincinnatorum iuuenum expreſſa, quàm famelicis egentium ventribus extorta per vectigalium aſperitatem? Profectò Romanis (ne id committeretur) cordi fuiſſe, docet Liuius lib. 1. Adeoque equos è publico emptos; viduas, quæ eos nutrirent, equitibus attributas; *atque hæc omnia in dites à pauperibus inclinata onera.* Quid verò nunc? Quæ eſurienti militi debentur ſtipendia, hauriunt ſubinde mortuorum viduæ: & niſi infantes defunctorum fruantur beneficijs, putatur parentum obliterata memoria. Sed quàm prudenter nunc his malis mederi cœpit ſapientia Regis noſtri! Simul memor præteritorum obſequiorum, præſenti militum neceſſitati ſuccurrere decreuit, militem frui ſtipendio voluit; mortuorum poſteros exſpectare.

ſpectare. Addam, quæ nuperâ Bredæ obſidione Ambroſio Spinolæ ſuggeſta fuiſſe ſcripſi, cùm anguſtijs ærarij ingentibus premeretur. *Pecuniam vectigalium inſequentis anni mutuam à publicanis omnibus præcipere: vectigalia publica vrbibus in mutui pignus dare: paciſci cum militaribus Tribunis, vt ſinguli in menſem vnum alterúmve legionum ſuarum Centurionibus, aut militibus, aut vtriſque ſtipendia abs Rege ſoluerent; ſi id graue foret, ipſi ſaltem Tribuni ſuiq; Centuriones, qui priuatis opibus pollerent, nullis ſtipendijs per bimeſtre contenti, ea ſinerent gregarijs procedere.* Hæ ferè ſubitis in caſibus artes cogendi æris. Sed Condauli ſingularis induſtria & ærario, & equitum præſtando numero conducit. *Is, ſi quis militum moriebatur, elationem corporis dragmâ vendebat; ſic nempe pecuniam conquirebat, ſimulq; prouidebat, ne falſus à Ducibus numerus deferretur, mortuis viuorum loco numeratis.* Suggerit opportunum ſuſtentandi equitatûs ſubſidium Velleius lib. II. allato Auguſti exemplo: *qui cùm contra Marcomannos haberet delectum, reuocati vndique omnes veterani; viri feminæq; ex cenſu coacti libertinum dare.* Atque huc fortè reſpexit Leo Imperat. Tact. cap. XX. §. CCV. *Vbi armaturâ eges, præcipe diuitibus qui in prælio non ſunt, vt ſi nolint ad arma venire, virum pro ſe equumq; mittant.* Quod inuētum etiamſi certum, graue tamen, temperat mollitque ſapienter Carolus Scribanius lib. I. Polit. cap. XLII. partitis non capitatim Prouincijs, ſed oppidatim & pagatim: oſtenditque, ſi oppida ſingula, pagique ſinguli, quotannis vel vnius equitis annuum aut ſemeſtre ſaltem ſubminiſtrarent ſtipendium, tam facili paratoque impendio ingentem ali poſſe equitatum. Auctor Theſauri Politici Apoteleſmate VIII. meo quidem iudicio vtiliſſimam ſuggerit equitis alēdi rationem, hoſtili ſumptu & ſolo. *Turcæ*, inquit, *equitatum ſuſtentant Timarrorum ſubſidio. Timarra vocant agros hoſti ereptos*, datoſque benemeritis militibus, eâ conditione, vt equos aliquot in bellum paratos alant. Hinc dicere ſolent Turcæ, vbi Sultani equus pedem figit, ibi nullam deinceps creſcere herbam. Prædictis Timarris CCL. millia equitum aluntur, qui armis

armis probè instructi, eò proficiscuntur quò Princeps iusserit, absque omni eius sumptu. Tantus alioqui equitatus ceteroqui vix XIV. auri millionibus nutriri posset. Ac tantò magis mirum, quòd qui Turcarum reditus cum Christianorum Principum reditibus conferunt, huius tanti Ottomannicarum opum membri ne quidem faciant mentionem. Certè in eo bello, quod Turca superiori tempore cum Persis gessit, tantum terræ Imperio suo adiecisse fertur, vt XL. Timarrorum millia erexerit, nouumque gazophylacium Taurisij instituerit, vnde decies centena aureorum millia quotannis percipit. Mira & laudanda haud dubiè videbitur multis equestris hæc œconomia Turcarum: mihi certè admirabilior etiam visa est Hannibalis prudentia aut felicitas, quam optandam quidem non sperandam censeo. *Is Hannibal* (si Liuio fides lib. XXVIII.) *in hostium terrâ per annos tredecim, tam procul ab domo, variâ fortunâ bellum gessit, vt nulla nec inter ipsos nec aduersus Ducem seditio extiterit; cùm & pecunia sæpè in stipendium & commeatus in hostium agro deessent.* Sed paruæ eius copiæ, inquies, paruo contentæ erant. Quid paruæ? Cannensi prælio numerauit peditum millia quadraginta, equitum decem. Et paruæ hæ copiæ? ecquando nostræ vmquam tantæ!

LIBER III.

DE INSTITVTIONE MILITIAE EQVESTRIS.

Argumentum Libri.

EQVITIS *institutio præceptis atque exercitatione perficitur. Eques igitur docendus pietatem & artem suam: instituendus item equus, imò & curandus. Res variæ discrimen equitum fecêre. Vexillationes, Alæ, Drungi, Turmæ, Centuriæ, Decuriæ, equitatum diuidunt. Figuræ turmarum diuersæ multiplicem in acie vsum habent.*

CAPVT I.

Eques quibus virtutum rudimentorumq; militarium exercitijs instituendus.

NVMINIS *Præfectorumque cultum ac fidem equiti in primis esse necessaria, etiam ab Ethnicis iudicatum. Equitatio apud multos à pueritiâ tradita. Hinc* Troiani ludi, *quos* Torneamenta *dicimus. Salitio in equos, armorumque tractatio, ab Hippodidascalis per equestres scholas docta. Ordinum seruandorum vocabula & præcepta. Non modò equites singuli, sed totæ simul turmæ exercendæ. Natatio & ambulatio equestris. Recentium de exercendo equitatu documenta cum Veterum præceptis collata.*

XENOPHON, homo quamuis religione Ethnicus, non malus tamen morum Magister, cùm solito frequentiùs in Hipparcho suo *diuinæ opis fiduciam* equitibus commendasset, libellumque suum his verbis propè absoluisset, *Hæc omnia Dijs approbantibus fieri debe-*

debebunt; demum eximendæ admirationis cauſſà hanc facti ſui rationem reddit: *Quòd ſi quis miratur, ſæpè à me illud ſcriptum eſſe,* FAVENTE DEO AGENDVM; *is ſciat, ſi in periculis ſæpè verſabitur, ſe minùs miraturum: ac ſi ſecum reputabit, hoſtes tempore belli alios alijs inſidias ſtruere, rarò autem vbi lateant & abſtruſæ ſint, ſciri poſſe; quodq; in iſtis nemo ſic conſilio valet, vt rationem deprehendendi oſtendere poſsit, præter Deos, qui omnia ſciunt, & præſignificant tum hoſtijs, tum augurijs, tum rumoribus, tum ſomnijs. Credibile eſt autem, Deos hac in re magis conſulturos ijs, qui non ſolùm, cùm ipſi egent, oracula petunt (vt quid ſit faciendum ſciant) ſed etiam rebus proſperis eos venerantur & colunt.* Ita ſanè res habet; adeoque ob periculorum frequentiam magnitudinemque, quibus perpetuò eques præpedite obiectatur, monent mandantque, quotquot è Recentioribus de re equeſtri ſcripſêre (viri tametſi non ſacri) vt eques religionem pietatemque in Deum ac Præſides militares præcipuè colat. Adferam trium Auctorum verba, vt ab equeſtribus Magiſtris ſuis eques virtutem lubentiùs, quàm à me homine togato, diſcat.

Georgius Baſta, qui ſummus mandatorum curator in Belgico Regis exercitu, Cæſariarum deinde copiarum Ductor ſummo cum imperio fuit, initio libri ſui primi cap. 1. *Inter ornamenta*, inquit, *facultateſq; omnes, quibus equeſtris Præfectus inſtructus eſſe creditur, fundamentum quoddam atque origo perfectionis vniuerſæ eſſe debet, Timor Dei; cùm certum indubitatumq; ſit, nihil æquè veræ fortitudini aduerſari, quàm conſcientiam ſcelerum admiſſorum.* Confirmare poſſum exemplo recenti veram Baſtæ ſententiam. Adferam quod ab oculato teſte accepi. Contigiſſe ego ipſe memini; nam id temporis puer eram. Cohortis vnius Dux (nomen teneo, & conſultò taceo) antemiſſus vnà cum Præfectis alijs duobus, portam vrbis cuiuſdam tormento effractam inuadere, cùm vnus altérve anguſto foramine ingredi iuſſus, ab excubitoribus intra portam interimeretur, ipſe ſibi lethalis culpæ conſcius, perfractæ portæ conſpectu non ſecùs ac tartareæ ianuæ horrore perculſus,

ſus, aditum tentare extimuit. Affirmant, ſi intraſſet (quod haud difficile benè armato, vt erat, iudicatum) vrbem futuram fuiſſe in noſtrâ poteſtate. Ergo metu reſtitit. reſtitêre & ceteri, reque infectâ domum redîêre. Hominem ad ſe euocatum, ignauiæque conuictum, belli Imperator ſecuri ſubiecit. Ille priuſquam ſupplicium ceruice exciperet, pronuntiauit ingemiſcens, ſe, cùm vrbis porta inuadenda ſibi eſſet, admonitum ſubitò ſceleris quo nondum animum expiarat; eoque metu deterritum fuiſſe, ne ingreſſus vitam fortè animamque amitteret. En quantis obſtet ſucceſſibus mens impia, quamque infeſtis vocibus reclamet vel vnius ſceleris conſcientia. O eques, purum animum ad bellum affer, & audacia tibi pro muro erit, adibiſque hanc metam ſine metu. Sed iam Ludouicus Melzus Pro Magiſtro equitum Præfectus, miles Gallicis Belgiciſque armis exercitatus, interpellat. *Equiti*, inquit lib. 1. cap. 11. *communia ſunt cum pedite ſanitas, membrorum integritas, ætas, diſcendi voluntas, proficiendi ſtudium, Superiorum legumq; militarium obſeruantia, præ ceteris verò Timor Dei, (dux certus moderatorque humanarum actionum) qui docet nimirum vnam ſibi ad inſtar ſcopi proponere virtutem, vitiáque defugere, crapulæ potiſſimùm atque libidinis, quæ vel fortiſſimorum virorum corpora animoſque effeminant & corrumpunt.* Hiſce gemina adfert Flaminius à Cruce, quadraginta ſtipendiorum veteranus eques, Inſubrum Nobilitate clarus, lib. 1. Equeſtris militiæ cap. 11. *Perſuaſum*, inquit, *eques habeat, vitanda ſibi vitia eſſe omnia; concuſſiones maximè, vim, profanationes templorum, atque execrationes. Timorem verò Dei inprimis proponat; neque putet remittenda frena eſſe appetitibus, aut ſoluendam conſcientiam: quin potiùs arctiſſimum ſe in ordinem ingredi, auſteriſſimum iuxtà ac periculoſiſſimum præ omnibus ordinum reliquorum conditionibus.* Reuerà ſic habet; neque molles decet eſſe equitum animos in tantis tam quotidianis diſcriminibus ſalutis. Si animarum ſimul pericula æſtimarent, aliter profectò ſecum ſtatuerent. Soli ferè aut pauci quotidie exploratum, cognitum, excubitumque proximè hoſtem mittuntur: primi

in

in hoſtem impreſſionem dant; vltimi prælio excedunt, ſemper telis mortique obiecti. An hos non decet animo ſemper ad honeſtam ſanctamque mortem eſſe comparatos? Quàm multi tamen ſunt, qui per diem laſciuiunt, veſperi apud inferos cœnaturi? Verè in eos quadrare videtur exprobratio illa Dauidis Regis: *Dormitauerunt omnes qui aſcenderunt equos.* Grauis enim lethaliſque eſt ſomnus, nec admoneri, nec excitari tantorum periculorum ſonitu circumſtrepente. Miſeris ſanè hiſce nihil aliud expectandum eſt, atque illud à Zachariâ prædictum cap. XII. *In illâ die, dicit Dominus, percutiam omnem equum in ſtuporem, & aſcenſorem eius in amentiam.* Triſtem profectò amentiam! ſopitos præcipitari in tartara, quibus equi ſui & quadrigæ poterant fuiſſe ſaluatio, ſi bonis probiſque eſſe lubuiſſet. Quibus equi poterant fuiſſe vectores in cælum, perinde vt equi igněi Eliam eò ſubuexêre, ſi charitatis igne arſiſſent; iam rapi, prô dolor!

Inferni Rectoris equis. —— illuc, heu!
Illuc, vnde negant redire quemquam.

Iam de fide obſeruantiaque in Præfectos. Apud Romanos olim ſolebant ſolùm ſacramento rogari milites à Tribunis; at Flacco & Varrone Conſulibus, iureiurando milites fieri cœpêre. Ita Liuius lib. XXII. *Milites tunc (quod numquam antèà factum erat) iureiurando à Tribunis militum adacti, iuſſu Conſulum conuenturos, neque iniuſſu abituros (nam ad eam diem nihil præter ſacramentum fuerat) & vbi ad Decuriatum aut Centuriatum conueniſſent, ſuâ voluntate ipſi inter ſe equites decuriati, centuriati pedites coniurabant:* SESE FVGAE ATQVE FORMIDINIS ERGO NON ABITVROS, NEQVE EX ORDINE RECESSVROS, NISI TELI PETENDI, AVT SVMENDI, AVT HOSTIS FERIENDI, AVT CIVIS SERVANDI CAVSSA. *Id ex voluntario inter ipſos fœdere, à Tribunis ad legitimam iuriſiurandi adactionem tranſlatum.* Aqua hîc hæret viris doctis; neque ſatis explicant quid interſit inter ſacramentum & iuſiurādum. Glareanus obſeruat, à Liuio lib. x. vocari etiam iuſiurandum Samnitium, quod per ſacra fiebat. Sigonius

nius ait à Seruio lib. VIII. Æneidos idem discrimen poni inter coniurationem & sacramentum. at certè non sunt idem coniuratio & iusiurandum ; sed contrà, coniuratio potiùs idem est cum sacramento: nam Liuius ait, coniurasse tum milites, quando sacramentum dabant inter se. Malim igitur sacramentum esse voluntarium, iusiurandum verò necessarium, eoque distingui. Longè grauiorem litem Liuio infert Modius, quâ ego certè Liuium liberare non queo. Quid enim? Dionysius Halycarnassæus lib. x. & Liuius ipse lib. III. scribit, quo tempore P. Valerius ad recipiendum Capitolium arma plebi dedit, omnes in hæc verba iurasse: *Conuenturos se iussu Consulis, nec iniussu abituros.* Quomodo igitur Varronis primùm & Flacci Consulatu iusiurandum adacti sunt, cùm tot antè annis iureiurando se obligarint? At è foro & litibus ad equestris militiæ fidem redeo. Illustre eius exemplum prodidit Cæsar lib. VII. Belli Gallici, de equitibus Gallis fidissimis Vercingetorigi Duci suo. *Conclamant*, inquit, *equites, sanctissimo iureiurando confirmari oportere, ne tecto recipiatur, ne ad liberos, ne ad parentes, ne ad vxorem aditum habeat, qui non bis per hostium agmen perequitasset. Probatâ re, atque omnibus iusiurandum adactis, postero die in tres partes distributo equitatu, duæ se acies à duobus lateribus ostendunt.* Non inferioris animi facinus Marcellinus tribuit equitibus Procopij lib. XXVI. *Sub execrationibus diris in verba iurauêre Procopij, hanc polliciti pertinaciam, quòd eum suis armis defensabunt.* Sed longè excellentissima illius equitis fides, qui perire ipse maluit, quàm Regem suum non seruare. Id narrat Liuius lib. I. Decad. IV. *Rex* (Philippus Macedo) *quoque in periculo fuit. nam ruente saucio equo, præceps ad terram datus, haud multum abfuit, quin iacens opprimeretur. Saluti fuit eques, qui raptim ipse desiluit, pauidumq; Regem in equum subiecit. Ipse cùm pedes æquare cursu fugientes equites non posset, ab hostibus ad casum Regis concitatis confossus periit.* Cneij quoque Lentuli Tribuni militum quàm fidum Consuli suo Paulo pectus? Hunc enim Cannensi pugnâ, *cùm præteruehens equo, sedentem in saxo cruore oppletum vidisset*, inquit

quit Liuius lib. XXII. *L. Æmyli, ait, cape hunc equum dum tibi virium aliquid superest; comes ego te tollere possum ac protegere.* Credo mutuâ ipsorum Ducum fide, sic equitum militumque animos fuisse subinde confirmatos. Scipionem namque, referente Liuio, sic audio suorum sibi studium obligasse, lib. XXII. *Vt ego Rempublicam non deseram, neque vllum ciuem Romanum deserere patiar: Si sciens fallo ex animi mei sententiâ, tum me Iupiter optime maxime, domum, familiam, remq; meam pessimo letho afficias.* Fabio verò nolenti pugnæ signum dare, nisi iurasset miles victorem se rediturum, apud Liuium lib. II. *Mar. Flauoleius inter primores pugnæ flagitator, Victor, inquit, M. Fabi reuertar ex acie. si fallat, Iouem Patrem gradiuúmque Martem, alióque iratos inuocat Deos. Idem deinceps omnis exercitus in se quisque iurat.* Haud absimili iureiurando vsus apud Cæsarem Labienus lib. III. Belli ciuil. *Iurat se exercitum non deserturum, eumdémque casum subiturum, quemcumque ei fortuna tribuisset*, &c. *atque idem omnis exercitus iurat.* Et sanè qui equites Rempublicam, Præfectos aut socios deseruêre, plerumque turpi fato animas ignobiliter proiecêre, quas impendere suorum saluti propriæque gloriæ recusarunt. Ita de Volumnio (aut Valâ Numonio) Vari Legato Velleius Paterc. testatur lib. II. *Volumnius*, inquit, *legatus Vari, diri auctor exempli, spoliatum equite peditem relinquens, fugâ cum alis Rhenum petere ingressus est; quod factum eius fortuna vlta est. Non enim desertis superfuit, sed desertor ipse occidit.* Quos verò fortuna seruauerat Cannensi pugnâ, Censoria seueritas asperiùs castigauit, Valerio teste lib. II. cap. IX. *Marcus enim Attilius Regulus & P. Furius Philus Luc. Metellum Quæstorem, complureſq; equites Romanos, qui post commissam infeliciter Cannensem pugnam cum eo abituros se Italiâ iurauerant, direptis equis publicis inter æraríos referendos curauerunt.* Iam obseruantia veneratioque equitum aduersus Duces & Præfectos huiusmodi exigitur ab Flaminio Crucio, vt neget ad Præfectum ocreatos eos venire posse, qui proficiscendi aliquò rogaturi sunt facultatem, ne vel tantillum sibi sumere videantur aduersus

uersus promptissimam illam obediendi rationem. Transeo ad institutionem militarem. *Post quanta enim volueris stipendia, inexercitatus miles semper est tiro,* ait verè Vegetius lib. II. cap. XXIII. Id equitem maximè spectat, qui nempe duplicem præ pedite curam habet, sui & equi. Equidem scio, subinde, cùm necessitas subegit, è seruis agrestibusque conscriptum fuisse equitem rudem atque inexercitatum. Pompeius namque Belli ciuilis lib. I. *Seruos, pastores armat, atque his equos attribuit, ex ijs circiter* CCC. *equites conficit.* Memini Cæsarem lib. I. Bell. Gallic. cùm diffideret Gallis, *equis omnibus Gallis equitibus detractis, legionarios milites legionis decimæ (cui quàm maximè confidebat) imposuisse, vt præsidium quàm amicissimum, si quid opus facto esset, haberet.* Verùm etiamsi necessitas eò Pompeium Cæsaremque impulerit; non tamen eâ re Pompeius excultum è seruis pastoribusque, Cæsar peritum è peditibus equitatum præstitit. Scipio certè, cùm apud Liuium lib. XXIX. trecentis adolescentibus Siculis, equestris militiæ imperitis, missionem eâ lege repræsentasset, vt singuli Vicarium è Romanis adolescentibus vnum sibi substituerent; *eorum docendorum atque instruendorum curam sine publicâ impensâ Siculis reliquit,* dum & ipsi etiam tum rudes atque indocti ad equestrem militiam ritè erudirentur. *Quam alam,* inquit, *egregiam euasisse ferunt.* Non ergo sat est, in equum semel insilijsse, vt equestrem profiteare militiam. Decorum quoddam in conscensu, in salitione, in equitatione, in flexu, in cursu tenendum est. Ars magna est, ordinem inter suos seruare in acie & pugnâ. Singularis omnino scientia, equi simul armorumque ritè tractandorum; quibus ferè rebus vniuersa equitis exercitatio continetur. Leo Imperator Tact. cap. VII. §. XXVIII. *Vbi,* inquit, *vnumquemque tum equitem tum peditem seorsim instruxeris, vnamquamque etiam turmam & cohortem separatim exercebis.* §. XXIX. *Cohorte equitum ex contubernijs ordinatè constitutâ, narrabit illis Mandator imperata hoc modo.* §. XXX. *Nullus anticipet in conflictatione, nullus tardet,* &c. *Si extra cõspectum frontis exercitûs iueris, intuere in cohortem; per-*

sequere

sequere non quasi ignauus miles, neque vllius exhortationis gratiâ, aliáve de caussá cesses. Custodi miles stationem tuam. Obserua tu signifer, vti hostem iam expugnatum persequaris, &c. Neque hæc innata homini sunt, sed vsu inseruntur. Exordiar igitur ab equitatione, quæ ante militiam apud plerosque iuuentuti tradi solita per lusum. Persarum pueros scribit Herodotus lib. 1. *à quinto ætatis anno in vigesimum doceri equos ascendere, ferociâ exultantes domare, flectere, & ex ingenti curriculo exiguum in gyrum compellere, ex equis denique pugnare.* Eumdem morem Tencteris assignat Tacitus libello de Moribus Germanorum. *Tencteri,* inquit, *super solitum bellorum decus, equestris disciplinæ arte præcellunt. Nec maior apud Cattos peditum laus, quàm Tencteros equitum. Sic instituêre maiores, posteri imitantur. Hi lusus infantium, hæc iuuenum æmulatio; perseuerant senes. Inter familiam, & penates, & iura successionum equi traduntur. Excipit filius non vt cetera maximus natu, sed prout ferox bello & melior.* Sic *Atheniensibus,* ait Pausanias lib. 1. *erat equester ludus, quem dixêre Hippobaton, quo Phocionis filius sæpissimè lusit, & victor fuit.* Virgilius certè antiquissimè sic institutam Troianam iuuentutem per equestrem lusum testatur lib. Æneidos v. vt iam inde à pueritiâ assueseeret equestri dimicatione.

At pater Æneas nondum certamine misso,
Custodem ad sese, comitemq; impubis Iuli
Epitydem vocat, & fidam sic fatur ad aurem:
Vade age, & Ascanio, si iam puerile paratum
Agmen habet secum, cursusq; instruxit equorum,
Ducat auo turmas, & sese ostendat in armis,
Dic, ait. Ipse omnem lato decedere circo
Infusum populum, & campos iubet esse patentes.
Incedunt pueri, pariterq; ante ora parentum
Frenatis lucent in equis, &c.
Postquam omnem lati consessum, oculosq; suorum
Lustrauêre in equis; signum clamore paratis
Epitydes longè dedit, insonuitq; flagello.
Olli discurrêre pares, atque agmina terni

Diductis soluêre choris, rursusq; vocati
Conuertêre vias, infestáque tela tulêre.
Inde alios ineunt cursus, aliósque recursus
Aduersis spatijs, alternósque orbibus orbes
Impediunt, pugnaq; cient simulachra sub armis.

Iucundũ profectò spectaculũ, vtiliusque rudimentũ, quàm

Ludere par impar, equitare in arundine longâ.

Hic lusus *Troia* dictus. Ita Suetonius Iulio Cęsare cap. xxxix. *Troiam lusit turma duplex maiorum minorúmque puerorum.* Apud eumdem, Augusto cap. xliii. *Troiæ ludum edidit frequentissimè, magnorum minorúmque puerorum delectu.* Tiberio cap. vi. *Præsedit Troianis Circensibus ductor turmæ puerorum maiorum.* Nerone cap. vii. *Tener adhuc, necdum maturâ pueritiâ, Circensibus ludis Troiam constantissimè fauorabilitérque lusit.* Venisse hunc vsum ab Ascanio in Italiam, idem Virgilius mox refert lib. v. Æneid.

Hunc morem cursus, atque hæc certamina primus
Ascanius, longam muris cùm cingeret Albam,
Rettulit, & priscos docuit celebrare Latinos.

His enim, vt idem auctor est lib. ix.

Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.

Ac deinde,

Albani docuêre suos. hinc maxima porrò
Accepit Roma. ———

Verè hæc Maro: nec accepit modo Roma, sed tenuit etiam constanter. Quod vt notissimo confirmem indicio, testatur in C. Iulio Plutarchus, *à puero ita facile ei fuisse equitare, vt assuesset etiam manus retrò inuertens, & dorso suo implicans, totis viribus equum admittere.* Tacitus lib. xiii. Ann. de Nerone: *Puerilibus statim annis, &c. regimen equorum exercere.* quod de eodem confirmat Suetonius cap. xxii. *Equorum studio vel præcipuè ab ineunte ætate flagrauit.* Quinimò probris notatos Romanorum adolescentes, equitandi imperitos, Horatius indicat lib. iii. Odâ xxiv.

—— *Nescit equo rudis*

Hære-

Hærere ingenuus puer,
Venaríque timet, ludere doctior.

Ars ardua profectò atque vtilis, sed pueris subinde periculosa. *In hoc enim ludicro*, ait Suetonius Augusti cap. XLIII. *C. Nonius Asprenas lapsu debilitatus est.* Quid mirum, cùm & viri hac exercitatione non rarò in discrimen adducti? *Titus Manlius Consul, cùm exerceretur inter equites*, ait Liuius lib. x. *ab rapido cursu circumagendo equo effusus, extemplò propè expirauit.* Prudentiùs igitur Græci Nobilitati suæ consuluêre; quam, cùm ad equitandum à pueris informabant, ne ex alto scilicet delaberentur, arietibus imponebant, vt ex Homero adnotauit Petrus Victorius lib. VIII. Variar. cap. IX. Vestigium lusûs huiusmodi hodieque apparet in equestribus nostris, quos *Torneamenta* vocamus; inuersè, quasi *Troiamenta*, seu lusus Troianos. At, non modò Nobilium Romanorum pueri, sed reliqua iuuentus omnis priùs equestribus rudimentis instruebatur, quàm ad equum rescriberetur; adeò equestris institutio necessaria ducebatur. Vegetium auctorem laudare possum lib. I. cap. XVIII. *Non tantum*, inquit, *à tironibus, sed etiam à stipendiosis militibus districtè salitio equorum semper est exacta.* Veterani sunt, quos hîc *stipendiosos* appellat. *Tirones verò dicti, qui, antequam sacramento probati fuerint, milites non sunt*, ait Isidorus lib. IX. cap. III. Salitio ergo in equos ante militiam tironibus imperata, à veteranis etiam exacta post multorum annorum stipendia. At, quod equestris rudimenti genus hæc salitio in equos? Vegetius explicat loco dicto: *Equi lignei hieme sub tecto, æstate in campo ponebantur: super hos, iuniores primò inermes; dum consuetudine proficerent, demum armati cogebantur ascendere.* Nec temerè, nec sine arte aut gratiâ eam fieri vult Xenophon libello de Re equestri. *Postquam*, inquit, *se alleuarit ad conscensionem, tum sinistrâ librato corpus, dextrâ verò intensâ subleuet ipse sese. Huiusmodi conscensio etiam à tergo omnem deformitatis aspectum excluserit. Conscendet autem crure incuruato, neque genu dorso equi impinget, sed in latus dextrum tibiam traijciet. Quòd si fortè eques sinistrâ manu ducet*

equum, cùm gestet dextrâ hastam, equidem censeo vtile esse, vsum ille sibi vt paret etiam à sinistro latere conscendendi. Ecce vtilitatem, quæ subitis in casibus maior occurrit. Pergit Vegetius: *Tanta cura erat, vt non solùm à dextris, sed etiàm à sinistris insilire & desilire condiscerent, euaginatos etiam gladios vel contos tenentes.* An vera hæc? an fieri potuêre? Certè historiæ Vegetium tuentur. Suidas *Massiam* (Masinissam diuinat Lipsius) scribit *senem sine scansorio fulcro solitum in equum insilire.* Plutarchus *Pompeium senem* narrat *se exercuisse inter milites, & in equo visum, trahentem atque educentem gladium sine difficultate, equo incitato & currente, iterumq; facillimè reposuisse.* Firmicus lib. VIII. cap. VI. *Erit qui dorso stans equorum, mirificâ se moderatione sustentet, atque apprimè vectus equo armaturas exerceat.* Sed armatos insiluisse quis credat? Liuius de P. Decio patre affirmat lib. VIII. *Ipse incinctus cinctu Gabino, armatus in equum insiluit, ac se in medios hostes immisit.* Mira hæc, imò non mira. *Assiduâ enim meditatione faciebant, vt in tumultu prælij sine morâ ascenderent, qui tam studiosè exercebantur in pace,* ait Vegetius loco dicto. Quid? quòd equestribus in academijs & gymnasijs docebantur, ne discerent sine magistro. O singularem equestris militiæ disciplinam! Lubétne videre, qualis equitum academia? qualis schola? qui equitandi magistri? Audi Xenophontem in Hipparcho. *Cùm autem in academiæ circo equitandum erit, ne excutiantur ab equis, vt supinantes sese & reflectentes cursum ineant, admonitos velim.* Audi Vegetium lib. II. c. XXIII. *Tempore hiemis,* inquit, *de tegulis, vel scindulis, quæ si deessent, certè de cannis, vluâ vel culmo porticus tegebãtur ad equites; & quædam velut basilicæ ad pedites, in quibus, tempestate vel ventis aëre turbato, sub tecto armis erudiebatur exercitus.* Hęc equitum academia, hæc schola. Imò plures fuisse id genus hippodromos, equestresque scholas, pro multitudine equitum, vt credam, adducor auctoritatibus Xenophontis, Vegetij, Cassiodori, Ammiani. Xenophon in Hipparcho: *Iam illa curare debet Magister equitum, vt quàm magnificentissima efficiat & præstet, tum quæ in academiâ, tum quæ in lyceio, tum quæ*

in

in curriculo edi consueuerunt. Veget. lib. II. cap. XIX. *In legionibus*, inquit, *plures scholæ sunt.* Iterùm cap. XXI. *Per diuersas scholas milites promouentur.* Cassiodorus lib. V. Variarum, epist. pænultimâ Theodorici Regis ad Abundantium: *Ostentent iuuenes nostri bellis, quid in gymnasio didicêre virtutis. Schola Martia mittit examina. Pugnaturus est ludo, qui se exercere consueuit in otio.* Ammianus initio lib. XXVI. & scholam nominat, & *Tribunum scholæ primæ scutariorum.* mox, *Valentianum agentem scholam secundam scutariorum.* Hi nempe Doctores Magistríve dicti. Glossarium vetus. *Campi-doctor*, ὁπλοδιδάκτης. *Armi-doctor*, ὁπλοδιδάσκαλος. Ac de equitum Doctore Xenophon in Hipparcho: *Iuuenes vt in equos assilire discant, persuadendi sunt; si verò magistrum adhibueris qui eos instituat, iure laudem consequêre non vulgarem.* Vegetius apertè lib. I. cap. XV. *Doctores ad hanc rem artifices eligendi sunt, vt tirones siue in equo siue in terrâ rectùm sagittare doceant.* Placétne insignis Doctoris audire documenta ad regendum equum? Audi ex Statio:

Tum rector genero Polynici indulget habendum,
Multa monens; vbi feruor equo, quâ suetus ab arte
Mulceri, nec saua manus, nec liber habenis
Impetus; Vrge alios, inquit, stimulisq; minisq;.
Ille ibit, minùs ipse voles. ——

Hæc tria ergo inter gymnasia equites docebantur, in equos cum armis insilire, equosque atque arma ipsa velut in pugnâ tractare. Quin hoc consilio, *Armorum tractandorum meditatio*, ait Valerius lib. II. cap. III. *à Publ. Rutil. Cons. Cn. Mallij collegâ militibus tradita est. Is enim nullius antè Imperatoris exemplum secutus, doctoribus gladiatorum accersitis, vitandi atque inferendi ictûs subtiliorem rationem legibus ingenerauit.* Sed extra gymnasia, in campo explicatis turmis, vniuersus simul eques ad reliquam equestrem disciplinam instituebatur; ad incommoda nempe loca equitatione superanda, ad ordines seruandos, ad obeundam ritè pugnam, denique etiam ad natandum atque ambulandum. Quibus omnibus rudimentis

præibant equitem ipſi Imperatores ac Duces, quò præſtantiorem haberent equitatum. Documenta ſingula expediam, ne dictis locupletior credar quàm factis. De vmbratico prælio in apertis campis Onoſander cap. IX. Strategici: *Equitum quoque exercitationes erunt, aut certatim pugnando, aut curſim inſequendo, aut mixtim præliando, aut tumultuariè velitando, in campis ſcilicet patentibus & planis; ac etiam circa collium radices, quantum per arduas aſperitates licebit, attingere. Neque enim debent per inacceſſa iuga, aut per præruptos deſcenſus equitare.* Saluberrimum documentum; extrema tamen cautela de prærupto aſcenſu & deſcenſu explicanda. Nam de aſperitate quoque locorum experiundâ Vegetius lib. III. cap. II. *Equites*, inquit, *non ſolùm in planis, ſed etiam in abruptis & foſſarum hiatu difficillimis ſemitis, ſéque & equos ſuos aſſiduè exercere inſſerunt; vt nihil ys in neceſſitate præliy accidere poſſet incognitum.* Leo Imp. Tact. cap. VII. §. XXIII. *Hæc faciant in locis planis & campeſtribus, & ad montium pedes, & ad aſpera quoque loca, quantum poſſunt, accedant.* §. XXIV. *Non modò autem mihi, ſed & Maioribus noſtris neceſſarium viſum eſt, vt cùm in planis locis exerceantur equi, tum etiam in editis, & condenſis aſperiſq́; vt hæc loca agmine facto tranſeant, atque etiam ad decliuia ſimiliter ſe præparent. Ad quem modum ſi aſſuefacti fuerint, neque vectores, neque equos vllus offendere poterit aut lædere.* §. XXVII. *Quicumque ſuis equis parentes, huiuſmodi exercitationibus abſtinent, hi, quantum in ſe eſt, ſuam ipſorum ſalutem produnt.* Cuius ſcientiæ non ignarus Damis, apud Philoſtratum lib. II. Apollonio interroganti, *Ecquod boni equitis munus eſſe cenſeret*; reſpondit: *Equo rectè conſidere, atque illi fortiter dominari, & frenis in quamcumque voluerit partem circumducere, & in decliuem locum aſcendenti frena remittere, in præcipitem eunti frena non remittere. Harum rerum imperiti*, ait in Hipparcho Xenophon, *ſeu equi, ſeu equites, iure optimo quaſi mulieres cum viris decertare videbuntur. At inſtituti & aſſuefacti tranſiliendis foſſis, munitionibus ſuperandis, & locis præruptis ſcandendis, quiq́; ex altis & præruptis ſe dimittere & librare aſſuefacti ſunt, & per*

decli-

decliuia celeriter vectari; hi verò tantò præstant inexercitatis & horum imperitis, quantum aëria & pennigera animantia terrestribus. Atque hanc artem Britannis exploratissimam fuisse, Cæsar obseruauit lib. IV. Bell. Gall. *Tantum*, ait, *vsu quotidiano & exercitatione efficiunt, vt decliui ac præcipiti loco incitatos equos sustinere, & breui moderari & flectere possint.* Periculosum reuerà institutum, cui cautelam hanc prudenter admouet Xenophon libello de Re equestri: *In flexibus sistendi equi sunt; neque enim facile est, neque periculo caret, equum concitatum statim circumagere, præsertim loco salebroso ac lubrico. At si equum sistere non placuerit, tum, quàm maximè poterit, tam se quàm equum frenis obliquabit; sin aliter fecerit, sciat leuissimâ de caussâ fieri posse, vt vnà cum equo corruat. Verùm, vbi iam post flexum directè prospiciet equus, ibi ad celeritatem instigandus erit.* En, vt nihil minutum atque exile duxerunt in equitatu instruendo summi viri; quod vel maximè, exigendâ ordinum accuratissimâ obseruatione, ostenderunt cùm in acie, tum in pugnâ, quò iam flecto sermonem. Et res ipsa postulat in equitatu, ordines longè teneri exactiùs quàm in peditatu. Quas enim turbas non excitent equi, animalia aut ardore ferocia, aut consternatione pauida, dum vulnerantur, dum sternuntur, dum semineces humi voluuntur tractationis impatientes? Propone tibi faciem equestris pugnæ Æneid. XI.

Implicuêre inter se acies, legitq́; virum vir.
Tum verò & gemitus morientum, & sanguine in alto
Armaq́; corporáque, & permisti cæde virorum
Semianimes voluuntur equi: pugna aspera surgit.
Orsilochus Remuli (quando ipsum horrebat adire)
Hastam intorsit equo, ferrumq́; sub aure reliquit;
Quo sonipes ictu furit arduus, altaq́; iactat,
Vulneris impatiens, arrecto pectore crura.
Voluitur ille excussus humi. ——

Ergo ordo seruandus, aut certa ab equis pernicies.

A vocabulis seu formulis equestris ordinationis incipiam,

quæ

quæ vtile erit in præceptis explicasse, ait Ælianus libello de Aciebus, *vt iam pridem milites, quid quodque significet, certiores, facilè quæ per aciem imperantur, intelligere possint & facere*. Hæc autem adfert Ælianus: *Declinationẽ aut in hastam aut in scutum*, (antè dixit *in hastam aut habenam*) id est, in dextram, quâ gestatur hasta; aut sinistram, quâ tenetur habena & scutum. *Immutationem, conuersionem, reuersionem, & inflexionem. Ad hæc, versare, iugare, reddere in arrectum, euoluere, duplicare*. Addo, *inductionem, dextram deductionem, lævam deductionem. Phalangem transuersam, phalangem arrectam, phalangem obliquam. Intercalationem, præpositionem, suppositionem, postpositionem, appositionem*. Denique concludit: *Assuefaciendæ sunt copiæ, tam pedestres quàm equestres, partim voce, partim signis quæ visu percipi valeant, vt rem aptè ac opportunè, quam quisque exigat vsus, possint expedire*. Libello tandem extremo, ea quæ voce mandantur (quibus haud dubiè eques assuefaciendus est) velut è formulâ recitat in hæc verba: *Age ad arma, assiste ad arma; impedimenta à phalange secedant. Miles attendat præceptis, Suscipe, Recipe, Dicta, Erige spiculum, Versa, Iuga, Respice præcedentem. Decuriam suam dirigat tergi ductor. Constituta interualla conserua. Ad hastam declina, Collige. Ita consiste. Altitudinem duplica, Restitue. Laconicam euolue, Restitue. Macedonicam euolue, Restitue. Choreum euolue, Restitue. Ad hastam conuerte, Restitue. Ad hastam inflecte, Restitue*. Quæ omnia quid velint, cùm pleraque per se clara sint, multa verò iam exolerint; pauca tantùm, quæ in re equestri vsum etiamnum habent, Æliani verbis explicabo. *Decuriare*, inquit, *est decurias instituere. Decuria autem est numerus hominum octo, vel duodecim, vel sexdecim, à Duce vno positione simplici ductus. Numerus enim decuriæ variè ad hunc modum à diuersis Auctoribus datur*. (nunc Squadras vocamus eas turmulas; earumque Præfectos Cabos de esquadra, & Caporales seu Capita.) *Optimus cuiusque decuriæ præponi, & ductor ceterorum omnium esse debet, qui & Decurio, & Decanus, & Dux, & Primus, & Præstes nuncupatur. Nam qui proximè Decu-*

rionem

rionem postponitur, Substes dicitur; qui verò hunc sequitur, Præstes. Item Substes, qui proximè ab hoc Præstite est; ac deinceps in hunc modum Præstes Substeſq; collocantur, vt ordo totus ex Præstitibus & Substitibus positis alternatim conficiatur. Vnde meritò Decuriam ita quoque definiunt, vt Versus sit ex primis secundisq; pro virtute institutis, atque vni Decurioni obtemperantibus. Condecuriare, est primæ decuriæ secundam ita apponere, vt lateri Decurionis primi Versûs, Decurio secundi Versûs respondeat, & lateri Substitis primi Decurionis, Substes primus secundæ Decuriæ, ac deinceps ad hunc modum. Astes verò is dicitur, qui ita lateri appositus. v. g. Decurionis primæ decuriæ Astes, est Decurio secundæ decuriæ. Astes Substitis primæ, est Substes secundæ. itáque deinceps. Quoties igitur post secundam decuriam tertia, & quarta, & reliqua deinceps adjiciuntur, talis constructio Condecuriatio dicitur; totáque coagmentatio Phalanx: cuius longitudo prima Decurionum ordinatio est; quæ & Frons, & Acies, & Facies, & Os, & Iugum, & Duces, & Præstites, & Primi decuriarum vocari solita est. Quantùm verò phalangis ponie frontem ad tergi vsque Ductores porrigitur, id Altitudo nominatur. Stare per directum in longum Astites, Jugare dicitur. Stare per directum in latum Præstites Substitésque, Versare vocabulum accipit. At cur vocatur Versus, linea quæ directò à fronte in tergum pertinet, cùm nunc in scribendo versum vocemus lineam, quâ manum ducimus à siniſtrâ in dextram? Quia olim, ait Sixtus Arserius in Notis Æliani, scribebatur à summo in imo, non verò vt nunc.

Iam hæc militiæ vocabula etiamsi clara sint, ne tamen molesta sit tironi festinanti lectio, tabulâ subiectâ explicabo.

A. Quatuor Præſtites quatuor decuriarum, quorum ſecundus eſt Aſtes primi, tertius ſecundi, & quartus tertij. id vocatur Iugum.

B. Subſtites ſingulorum Præſtitum, qui item Aſtites ſunt ſuorum collateronum.

C. Præſtites.

D. Subſtites; atque ita deinceps alternatim. Ea linea à fronte in tergum, eſt Verſus.

Ad rem ipſam venio ordineſque ſeruandos; quod genus diſciplinæ Æneas apud Ælianum definit *ſcientiam bellicæ motionis. Nam illud maius quoddam eſt*, ait Vegetius libro II. cap. XXIII. *quòd ordines ſeruare diſcunt, & vexillum ipſum in tantis permixtionibus comitantur; nec inter doctos aliquis error exiſtit, cùm multitudinis ſit tanta confuſio.* Sanè maius aliquid eſt, nec niſi longâ aſſiduaque exercitatione diſcendum. Adeoque fatentur Scriptores rei equeſtris omnes, in primiſque Vegetius ipſe lib. I. cap. XXVI. *Nihil magis prodeſſe in pugnâ, quàm*

quàm vt aſsiduo exercitio milites in acie diſpoſitos ordines ſeruent; necubi, contrà quàm expedit, aut conglobent agmen, aut laxent. Nam, vt conſtipati perdunt ſpatia pugnandi, & ſibi inuicem impedimento ſunt; ita rariores atque interlucentes aditum perrumpendi hoſtibus dabunt. Neceſſe eſt autem ſtatim metu vniuerſa confundi, ſi interciſa acie ad dimicantium terga hoſtis acceſſerit. Illud ergo præcipuè ſummi Duces ſtuduêre. Quod vt exemplis demonſtrem, *Scipioni aduerſus Hannibalem prudens ordinatio non dubiè cauſſa victoriæ fuit*, auctore Frontino libro II. cap. II. Siquidem *nec continuas conſtruxit cohortes, ſed manipulis inter ſe diſtantibus ſpatium dedit, per quod elephanti ab hoſtibus acti, facilè tranſmitti ſine perturbatione ordinum poſſent: eaq; ipſa interualla expeditis velitibus impleuit, ne interluceret acies; dato præcepto, vt ad impetum elephantorum vel retrò, vel ad latera concederent.* Quo loco idem Frontinus ita Cæſaris ordinationem aduerſus Pompeium commendat, vt tandem addat, *rem nullam ad victoriam eo die plus Cæſari contuliſſe.* Ac licet de peditum iuxtà atque equitum ordinibus iſta accipi poſſint; ſingulare tamen equiti id tribuit Ælianus lib. de Inſtruend. acieb. *Haud fieri poteſt*, inquit, *vt equitum poſteriorum multitudo eamdem præſtet vtilitatem, quam in pedeſtribus copijs, vbi ſcilicet ponè renitentes primorem continent altitudinem: equitum namque omnium numerus, corpus, ponduſq; vnum conſiſtit; itaq; fit, vt, ſi poſteriores prioribus iuncti renitantur, nihil ſuo impulſu proficiant, imò vnà cum alijs labantur; & perturbatis ordinibus, grauiùs ſuo errore, quàm virtute hoſtium, verſentur neceſſe ſit.* Quare eius quoque cautelæ certum præceptum adfert Polybius lib. XII. *Equitum in acie vt plurimum altitudo, ad verum vſum, octo equis vix amplius conſtat.* Leo Imper. Tact. cap. XII. §. XL. *Altitudo aciei equeſtris, quemadmodum Antiqui deſcripſerunt, ad quatuor ſolùm equitum altitudinem conſtitui debet; plures enim ſi fuerint, nullam vtilitatem apportabunt*, &c. §. XLI. *Haſtati enim, qui poſt quartum equitem conſiſtunt, haſtâ vti in anteriorem partem non poſſunt. Sagittarij autem ſurſum coguntur ſagittas iacere, propter eos qui ante ſe conſiſtunt.* Quantum verò

equiti cuilibet ſpatium aſſignet, nuſquam apertè indicat. Pediti certè ſuum tribuit. vnde & ſuum equiti proportione dare conabimur. *Differentia triplex eſt*, inquit, *interualli. Nam homo ordinatus, cubita quatuor occupat; denſatus, duo; conſtipatus, vnum.* Liceat ad eumdem modum de equite nobis ratiocinari, vt *eques ordinatus* occupet, in longum & latum, longitudinem equorum quatuor; *denſatus*, duorum; *ſtipatus*, vnius, in longum & latum; vt ſe poſſit nempe equus in orbem circumagere. quod poſtremum ex Æliano oſtendemus hoc eodem Capite, ſub finem. Hæc ſpatia atque ordines vt miles accuratiſſimè teneret, præcipuè verò eques, ſuprà quàm credi poteſt Maiores procurarunt. Conſilium ſuggerit Vegetius lib. 1. cap. XXVI. *Producendi ſunt tirones ſemper ad campum, & ſecundùm matriculæ ordinem in aciem dirigendi, ita vt primò ſimplex extenſa ſit acies, ne quos ſinus, ne quas habeat curuaturas; vt æquali legitimoq; ſpatio miles diſtet à milite. Tunc præcipiendum, vt ſubitò duplicent aciem, ita vt in ipſo impetu, is, ad quem reſpondere ſolent, ordo ſeruetur. Tertiò præcipiendum, vt quadratam aciem repentè conſtituant; quo facto, in trigonum, quem Cuneum vocant, acies ipſa vertenda eſt. Iubetur etiam, vt inſtruant orbes, quo genere, cùm vis hoſtium interruperit aciem, reſiſti ab exercitatis militibus conſueuit, ne omnis multitudo fundatur in fugam, & graue diſcrimen immineat. Hæc ſi iuniores aſſiduâ meditatione perceperint, facilius in ipſâ dimicatione ſeruabunt.* O bonum, ô ſalubre conſilium! *Sæpè enim magnas copias inordinatas, à paucis militibus ordinatis profligatas legimus*, ait de Aciebus inſtruendis Ælianus. Eâ re ſanè, neque ſummorum Imperatorum cura hunc ordinum ſeruandorum laborem ſubterfugit. Polyb. lib. x. *Erant*, inquit, *motiones, quas autumabat* (Scipio) *quouis tempore conuenire, quibuſq; aſſueſcere oportebat equites, hæ: Inclinatio ſingulorum equorum in habenas, & rurſus in haſtam; ad hæc reuerſio, immutatio, conuerſio cuiuſque turmæ, inflexio & circumflexio. His adde eductiones per decurias cum celeritate ab vtroque cornu, quandoque etiam à mediâ acie. Rurſum reductiones, ſeruato ordine, cuiuſque turmæ ad hipparchias. Inſuper ordi-*

ordinationes in vtroque cornu, aut per interiectionem aut adductionem eorum qui caudam ducunt. Cæsar quoque, auctore Belli Africani Hirtio, *cùm hostium equitatui, leuiq; armaturæ, nullo modo par esse posset equitatu suo, non vt Imperator exercitum veteranum victorémque maximis rebus gestis, sed vt lanista tirones gladiatores condocefacere: quo pede se reciperent ab hoste, & quemadmodum obuersi aduersarijs, & in quantulo spatio resisterent; modò procurrerent, modò recederent, comminarentúrque impetum, ac propè quo loco, & quemadmodum tela mitterent, præcipit. Mirificè enim hostium leuis armatura anxium exercitum nostrum atque sollicitum habebat; quia equites deterrebat prælium inire, propter equorum interitum, quòd eos iaculis interficiebat.* Neque remissiùs Cæsare id egit Philopœmen, insignis equitum Magister, auctore Plutarcho. *Is* enim *turmatim in latus conuertere, & in terga obuertere aciem & flectere docuit, & assuefecit; vt totius circumagendi globi dexteritas vnum corpus repræsentaret, suo se contorquens nutu. Scipio* verò ex Siciliâ petens Africam, ait Valer. lib. VII. cap. III. *cùm ex fortissimis peditibus Romanis trecentorum equitum numerum complere vellet, neque tam subitò posset eos instruere; quod temporum angustiæ negabant, sagacitate consilij assecutus est. Namque ex ijs iuuenibus, quos secum ex totâ Siciliâ nobilissimos & ditissimos, sed inermes, habebat, trecentos speciosa arma & electos equos quàm celerrimè expedire iussit, velut eos continuò secum ad oppugnandam Carthaginem auecturus. Qui cum imperio vt celeriter ita sollicitè paruissent; remittere se Scipio illam expeditionem, si arma & equos militibus suis traderent, edixit. Rapuit conditionem imbellis & timida iuuentus, instrumentóque suo cupidè nostris cessit.* Addit historiæ huic Liuius initio lib. XXIX. quod iam dictum, *egregiam hanc alam equitum euasisse, multisque prælijs Rempub. adiuuisse.* Noluerat alioqui Scipio eos militare, nisi priùs Siculi *impensâ suâ eorum docendorum atque instruendorum curam habuissent.* Nimirum Scipio exercitatum equis armisque equitem quærebat, non molles imperitosque Siciliæ adolescentulos: viros, inquam, non mulierculas. Sanè enim *ex legionum exercita-*

tione, ex cursu, ex clamore existit ille animus paratus ad vulnera, ait Tullius quæst. 1. Tusculanâ. *Adduc etiam pari animo militem inexercitatum, mulier videbitur.* Imò ne mulier quidem: nam Amazones saltem equestri gloriâ celebrantur; & Semiramidi, agminum ductrici, equestris statua dicata est. At illi laruæ profectò, hermæque ridiculę veriùs quàm equites sunt, qui equo pugnare audeant inexercitati. Et eccum tibi, vt spleni aliquantum indulgeas, nobile insignis ἀφιππίας exemplum. Ranimirus, Sanctij Maioris filius nothus, susceptâ in Saracenos expeditione, equo impositus (an alligatus?) cùm lanceam dexterâ, scutum sinistrâ teneret, dubius, quâ tertia manu habenas arriperet; Ecqui possim, interrogat, nisi fortè dentibus teneam? cum dicto risum Proceribus, regnum Alphonso VII. reliquit, ad suos reuersus. Ita Collenutius narrat lib. 1. Historiæ Neapolitanæ. Neque disparem laudem aphippo cuidam lanceario tribuit Flaminius à Cruce lib. 1. cap. v. Vidisse se ait bellis hisce Belgicis lancearium, qui cùm haud procul hoste distaret, Præfectum turmæ hac interrogatione appellauit: Cùm lanceam vnâ, frenum alterâ, capite galeam geram, quo iubes præterea modo me hostem capere? an dentibus? Digni centimano Briareo magistro discipuli, qui manus eis supernumerarias commodet. Et ecce, qui ex tantâ imperitiâ casus existere possint. *Fugaci equo, nudo & infreno, calonum quidam insidens, ne labi posset, ex more habenam, quâ ductabatur, sinistrâ manu arctiùs illigauit, moxq; decussus, vinculi nodum abrumpere nequiens, per auia saltúsque membratim discerptus; iumentum exhaustum cursu pondere cadaueris desinebat.* Marcellin. lib. XIX. cap. XVII. Certè si sub Romanis vixissent Censoribus, *pro frumento hordeum accipere fuissent coacti: neque antè eis in tritico reddita fuisset annona, quàm sub præsentiâ legionis, Tribunorum vel Principum experimentis datis, ostendissent se omnia, quæ erant in militari arte, complesse*, vt priscis moribus solitum scribit Vegetius lib. 1. cap. XIII. Sed apage hæc Martis nostri dedecora. Non equitandi modò, aut ordines seruandi, sed & tractandorum quoque armorum scien-

scientiam eques habeat necesse est. Hanc sui vt condiscerent, non solùm per doctores, verùm etiam per Præfectos ipsos Romani procurabant. Præfecto legionis id munus adscribit Vegetius lib. II. cap. IX. *Arma*, inquit, *omnium militum*, item *equi*, &c. *ad curam eius pertinebant. Disciplina eius & seueritas, exercitatio non solùm peditum, sed etiam equitum legionariorum præcepto eius quotidie subdebatur.* Decurioni etiam turmæ id assignat cap. XIV. *Decurio turmæ equitum præponatur, qui turmales suos, id est, equites, sub curâ suâ positos erudire possit ad omnia quæ equestris cura deposcit.* Verùm, vt notam acceptamque semel artem retinerent, *Romanorum noui milites*, ait Vegetius lib. II. cap. XXIII. *manè, & post meridiem ad omne genus exercitabantur armorum. Veteres autem & eruditi sine intermissione semel in die exercebantur armis. Neque enim parua aut leuis ars est armorum* (eodem affirmante lib. I. cap. IV.) *siue equitem, siue peditem sagittarium velis instruere.* Leo Imperat. Tact. c. VII. §. IV. *Equites exercebis ad sagittas celeriter conijciendas.* §. IX. *Vt sagittas in omnes partes equo currente iaciant.* §. X. *Vt sagittas assiduè & contentè ex equo currente iaciant.* §. XII. *Vtile verò est in ipso itinere faciendo, vt quidam ex illis suis se locis exerceant, & conentur hæc ex equis facere. Hoc modo ipsum iter expeditum erit, & equi minùs atterentur.* §. XXII. *Similiter exercebis equites ad decertationes quasdam & dimicationes, insectationes, conflictationes, velitationes & sagittarum iaculationes.* §. XXXI. *Turmæ equitum exercitatio per se talis est, vt ordinatè se quasi in acie moueat, vel cursu ad aliquod signum contendat, & ibi consistat*, &c. §. XXXII. *Aliud genus est mouendi, vt æquabiliter procedant.* §. XXXIII. *Aliud genus est, vt ad latus idoneè densentur, & ad caudam*, &c. §. XXXIV. *Aliud genus est, quando in caudam densantur*, &c. *nam & ad altitudinem (non solùm in latus) densari acies debet.* §. XXXV. *Aliud genus est, vt post perfectam densationem in latus, sic densati ambulent; decanis & quintanis in anteriores partes inclinantibus, & sua ipsorum capita scutis suis atque equorum colla tegant, hastas tectas scuto humeris gestantes: tumq; procedant ordinatè, cum tripudio, id est mediocri*

quodam

quodam motu, qui κάλπα dicitur, &c. §. XXXVI. *Aliud genus est, vt incursione quasi interdum persequantur cursores, quos nunc Proclastas nominant; interdum ordinatè vt defensores, quos nunc Vindices appellamus.* §. XXXVII. *Aliud genus, vt retrocedant paululùm, & rursus conuertantur*, &c. *inter exercitandum hastas habeant sublatas directè.* §. XXXVIII. *Aliud genus est, vt ordinatè se in lauam aut dextram transferant.* §. XXXIX. *Aliud genus est, vt in quibus consistunt locis, in eisdem interdum se vertant, interdum frontem aciei commutent.* §. XLIX. *Istæ exercitationum formæ scripto tradendæ Turmarchis tuis sunt, reliquisq; cohortibus quæ seorsim exercentur.* §. L. *Ipso æstus squalloríque tempore, vtile est ad patientiam laborum exercere milites: nemo enim scit quo tempore bellandum erit, aut quid in bello ex vsu futurum sit.* §. LI. *Ita exercitatio instituenda, quasi bellum ipsum gereretur.* Credo, eo quoque consilio tot equestres ludos ab Romanis institutos, vt honesto iucundoque in speciem exercitio equestrem militiam quàm florentissimam conseruarent. Hinc Latinæ feriæ, hinc Circenses, hinc Equiria, alijque equestres ludi frequenter dati, de quibus Romani Scriptores. Ac Latinæ quidem feriæ etsi Latinis inuentoribus ortæ, Romanis tamen sunt receptæ, auctore Halycarnassæo lib. IV. quas his versibus Maro describit lib. VII. Æneidos:

Ante vrbem pueri & primæuo flore iuuentus
Exercentúr equis, domitántque in puluere currus:
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursúque ictúque lacessunt.

Acti mense Aprili in sacro Monte notantur Calendario Romano. Circenses variâ quidem diuersarum exercitationum pompâ, sed equestri præcipuè decursione celebrabantur, vt à Liuio descriptos legimus lib. XLIV. *Iuuenes quidam Romani, ludicro Circensi ad vsum belli verso, partem humillimam muri cœperunt*, &c. *Nec semel quadrigis, semel desultore misso, vix vnius horæ tempus vtrumque curriculum complebat. Inter cetera, sexageni fermè iuuenes, interdum plures, à paratoribus ludi armati inducebantur. Horum inductio in parte simulachrum decurrentis*

exer-

exercitûs erat, ex parte elegantioris exercitij quàm militaris artis, &c. Sic Suetonius quoque in Iulij Dictatoris Vitâ, desultorijs equis actos Circenses refert, vt notauimus Lib. II. Clariùs etiam in rebus Diocletiani: *Præter sollemnes bigarum quadrigarumq; cursus, prælium etiam duplex, equestre atque pedestre, commisit.*

Hinc ergo *missus equorum* passim apud Scriptores, quales centum Claudius & Diocletianus ludo vno dedisse, ab eodem prædicantur. Cuius ritûs haud immemor Claudianus, Manlio Theodoro Consuli creato Circenses instituturus, parari equos iubet, Panegyri Manlianâ:

Illustret Circum sonipes, quicumque superbo
Perstrepit hinnitu Bætim, qui splendida potat
Stagna Tagi, madidoq; iubas aspergitur auro.

Equiria quater quotannis celebrata, signat Calendarium Romanum, Ianuario, Februario, Martio & Aprili. *Equiria*, inquit Festus, *ludi, quos Romulus Marti instituit per equorum cursum.* Huc spectant illa Nasonis II. Fastorum extremo:

Ex vero positum permansit Equiria nomen,
Quæ Deus in Campo perspicit ipse suo.

& alibi rursus:

Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curuis in latus vrget aquis.
Qui tamen ejectâ si fortè tenebitur vndâ,
Cœlius accipiet puluerulentus equos.

Nunc ad reliqua equitum rudimenta. Supersunt Natatio & Ambulatio. *Natationis discendæ caussâ Romani Campum Martium vicinum Tiberi delegerunt. Quare non solùm pedites, sed equites, ipsosq; equos vel lixas, ad natandum exercere percommodum est; ne quid imperitis, cùm necessitas incumbit, eueniat*, ait Vegetius lib. I. cap. X. Morem confirmat Horatius lib. I. Odâ VIII.

Cur neque militaris
Inter æquales equitet? Gallica nec lupatis

Temperet ora frenis?
Cur timet flauum Tiberim tangere? ——

nempe post exercitium cursûs, in Campo Martio, quem alluit Tiberis. Iterùm lib. III. Ode VII.

Quamuis non alius flectere equum sciens
Æquè conspicitur gramine Martio:
Nec quisquam citus æquè
Tusco denatat alueo.

Cato sanè apud Plutarchum *filium suum docuit non solùm equitare, sed fluminum vorticosa natando transmittere.* Batauos equites hac laude donat Iunius historiæ suæ Batauicæ cap. VI. non paucis vetustatis testibus aduocatis; in quibus Tacitus, Iulij Agricolæ Vitâ: *Batauorum auxiliarium ope, Iulius Agricola tentatam anteà, sed infeliciter, Monam Britanniæ insulam in deditionem accepit, quando non classe aut nauibus insulam ingressi, sed patrio nandi vsu, quo se pariter & equos atque arma regũt, difficultatem omnem superauêre.* Hem, inquies, Batani equites! Eculeus Batauo equus est, & Martyrem vocamus equitem Batauum. Nunc quidem ita, sed olim insignis eorum fama, facta etiam nobiliora. Quin Germanorum nomine indicatos à Dione Batauos, vult Iunius, vt faciat Batauos natatores. *Immisit Germanos, quibus mos est etiam per rapidissimos fluuios leui de caussâ in armis transnatare.* Vides Lector, ait Iunius, hîc etiam Germanorum appellatione Batauos à Dione designari. Mox subiungit: Quid verò clarius illis Taciti verbis lib. XX. vbi initia Batani motûs. *Erat*, inquit, *domi delectus eques, præcipuo nandi studio, arma equosq; retinens, integris turmis Rhenum perrumpere.* Confirmat hoc ipsum Dion Nicæus de vniuerso Batauorum equitatu. ait enim, Hadrianum Imperatorem summam copiarum gessisse curam, vt diligenter exercerentur; *ita vt equites Batani Istrum seu Danubium armati transnarent.* Hunc eumdem fluuium anno M. D. XCIV. traiecêre Tartari, manu vnâ tenentes equorum caudas, alterâ gladios, ait Conzenius noster lib. X. c. XXXVI. At is mos exoleuisse Romanis aliquando videtur, nisi Tacitus

tus fallit. *Miles Romanus*, ait lib. II. Hiſtor. *armis grauis, & nandi pauidus. Germanos fluminibus ſuetos leuitas armorum & proceritas corporum ſuſtollit.* Non pauca alia adferentur exempla equeſtris natationis Lib. IV. Cap. I. vbi de equitum munere in fluuijs traijciendis ſermo inſtituetur. Equus alioqui generoſus naturâ ſuâ

—— & fluuios tentare minaces
Audet, & ignoto ſeſe committere ponto.

De ambulatione Vegetius lib. I. cap. XXVII. *Diui Auguſti*, inquit, *atque Hadriani conſtitutionibus præcauetur, vt ter in menſe tam equites quàm pedites educantur ambulatum: (hoc enim verbo hoc exercitij genus nominant:) & equites diuiſi per turmas, armatiq́ [decem millia paſſuum] peragebant, ita vt ad equeſtrem meditationem interdum ſequerentur, interdum cederent, & recurſu quodam repedarent.* Sed de hac infrà, vbi de equorum agetur curâ. Hæc igitur ſumma equeſtrium exercitationum, quas quidem apud Veteres reperio. Vtinam æuo noſtro vel paucæ florerent ſaltem, quæ neceſſariæ bello & pugnæ! Salitionis, equitationis, lanceariæ decurſionis ſeu Troiæ veſtigia adhuc pauca ſuperſunt apud Nobilitatem; at cetera equeſtris militiæ rudimenta vbinam vigent? ſcholæ equeſtres nullæ, Hippodidaſcali nulli, natatio nulla, ambulatio rara; armorum ex equis tractatio, ordinumque ſeruandorum exercitatio vix vlla. Nec noua hæc querela. Iam Vegetius æuo ſuo deplorabat lib. II. cap. XXIV. *Athleta, venator, auriga, præter exiguam mercedem, vel certè plebis fauorem, quotidianâ meditatione artes ſuas aut ſeruare aut augere conſueſcunt. Militem (cuius eſt manibus ſeruanda Reſpublica) ſtudioſius oportet ſcientiam dimicandi, vſumq́ rei bellicæ iugibus exercitijs cuſtodire*, &c. *Artifices ſcenici ab artificijs non recedunt pro laude vulgi. Miles ſacramento lectus, ab exercitijs armorum, vel nouellus, vel iam vetuſtus, ceſſare non debet, cui pugnandum eſt pro ſalute propriâ & libertate communi.* Recentiores, qui de re equeſtri ſcripſêre, vt ſplendorem militiæ veterem aliquatenus reuocarent, nonnulla ab antiquis ad militiam noſtram vtiliter ſanè tra-

duxêre, ignari fortè (vtpote militiæ magis quàm Antiquitatum periti) tam antiqua præcepta ſua eſſe; atque facilè conſtabit cuilibet, ea cum ijs, quæ hoc Capite à nobis ſunt allata, componenti. Depromam ſtrictim neceſſaria eorum præcepta, vt hanc quoque vtilitatem admiſceam voluptate Lectoris.

Ad inſcendendum cum armis equum, Flaminius à Cruce lib. 1. præcipit Lanceario, vt ſiniſtrâ habenas iubamque tenens, dextrâ lanceam, ſiniſtrum pedem imponat ſtapiæ, dextrumque ephippio traijciat. Cui geminum ferè monitum ſuprà allatum ex Xenophonte.

Arcabuſario aſcendenti & deſilienti, vt ſuſpenſam è torque fiſtulam tantiſper imponat humero dextro, ne, dum ea longiùs dependet ſub alâ dextrâ, dextrum conſcendentis deſcendentíſve crus impediat.

Intercapedines equitum inter ſe, Ioannes Iacobus VValhauſius lib. 11. admetitur varijs modis, laxando aciem, aut conſtipando. Laxatur, ait, interuallo quadruplici. Primum eſt quatuor paſſuum, ſecundum eſt octo, tertium eſt duodecim, quartum eſt ſedecim paſſuum in omnem partem. Conſtipatur verò acies tribus modis: ſemel, comprimendo ſimul Iuga & Verſus; iterùm, denſando Iuga ſola, diducendo Verſus; tertiùm, iungendo Verſus ſolos, & laxando Iuga. Adſpice, ſi fortè hæres.

, Iuga et Verſus compreſſa.

, Verſus compreſſi. Iuga laxa.

, Iuga compreſſa. Verſus diducti.

Veteres, quod sciam, equiti spatium non definierunt, nisi quod Ælianus lib. de Aciebus insinuet esse debere longitudinem equi ipsius. ait enim, ideò *equestres acies illas quadratas esse optimas, quæ duplicem numerum habent in longum, & simplicem in altum.* Verbi gratiâ, *equos octo in longum, quatuor in altum. Etenim longitudo equi à capite ad caudam, respectu suæ latitudinis, plus spatij in altum tenet; pluresq; equi per Iuga ordinantur quàm per Versus* eiusdem magnitudinis. Aspice:

Hîc ob longitudinem quaterni tantùm equi ordinantur in altum, à fronte ad tergum Versu quolibet, tamen octoni sunt in singulis Iugis ob latitudinem minorem. Sic acies, quoad figuram, quadrata est, etsi numerus Iugi duplex sit præ numero Versûs.

Monet præterea Walhausius, docendum esse equitem, quî inter eundum aut currendum è Versu faciat Iugum, & contrà è Iugo Versum, quî se euoluere debeat in dextram aut læuam. Quæ præscripta iam attulimus ex Æliano.

Flaminius à Cruce frequenter inculcat ordinum obseruationem,

tionem, cùm in progreſſu tum in curſu, ſed maximè in ipſo conflictu, quibus conſtanter ſeruatis, victoriam; turbatis, certiſſimum auguratur exitium, eoque hæc equiti tradit rudimenta lib. I. cap. VI.

I. Eques omnia claſſici ſigna diſtinctè internorit, ijſque exauditis, quàm celerrimè exequatur imperia, ſeu equi ſternendi, ſeu conſcendendi, ſeu ad principia decurrendi, ſeu progrediendi; caueatque eſſe poſtremus. Ita Ælianus quoque de Acieb. *Aſſuefaciendæ ſunt copiæ tam pedeſtres quàm equeſtres, partim voce partim ſignis, vt rem aptè ac opportunè, quam quiſque exigit vſus, poſſint expedire.*

II. Vt eques eâ parendi celeritate aſſueſcat, ait Ludouicus Melzus, Præfecti nonnumquam, dato exeundi ſigno, ſubitò cum Vexillifero inter primos ad principia adſint, ſtationeque euecti, mulctent indiligentes & teſtudineos moratores. Id Vegetius ſuggeſſit lib. III. cap. IX. *Dux ſæpiùs tentabit, quemadmodum ad ſignorum indicia, ad præcepta vel nutum ſuum, diligenter obtemperent.*

III. Præfecti nouitiarum turmarum, ait Flaminius, ſinguli turmam ſuam in quaternas decurias ſeu ſquadras diuidant. Decuriæ cuique Decurionem & Subdecurionem præponant (hos Cauos ſeu Caporales, eorumque Vicarios appellamus.) Decurio & Subdecurio quilibet ſuorum equitum nomina catalogo inſcripta habeant, eoſque noſcant. Paria Xenophon in Hipparcho, Ælianus de Inſtruend. aciebus adferunt, vbi de Decurione, Subdecurione, & Quincurione, & Condecuriatione.

IV. Dum ad principia ſub vexillum conueniendum erit, Decurio quilibet à tabernaculo Præfecti, vel Optionis, turmulam ſuam præcedat; Subdecurio ſequatur; vijſque angustis decuria incedat extenſa in Verſum; itinere lato, expanſa in Iuga tria quaternáve, pro numero equitantium. Eumdem incedendi ordinem latis anguſtiſque itineribus Xenophon præſcribit Hipparcho.

V. Dum ſe decuriæ iungunt ſeu condecuriant, prima & ſecun-

ſecunda per Iuga Verſuſque inuicem ſubiunctæ occupant dextram; tertia & quarta, item ſubiunctæ inuicem, læuam teneant; Præfectus, Præſtes eſto; Vexillifer, Subſtes. Decuriones quaterni Vexillifero hinc inde bini ſunto Adſtites; Subdecuriones quaterni ſunto Tergiductores ſeu ἐφεπταί. Præceptum id ex Æliano ſumptum, libello de Aciebus, vbi docet quid ſit Euolutio & Duplicatio.

VI. Si Præfectus turmam in duas diuidi iubeat, ipſe retentis primo & ſecundo Decurionibus, ac Vexillifero, duas dexteras decurias ducet: eius Optio duas ſiniſtras; comitantibus item Decurionibus tertio & quarto.

VII. Iuga ſingula Quiraſſariorum VValhauſius in vijs iubet eſſe non latiora equitibus quinis, in campo denis. Lanceariorum Iuga per vias, equitum quaternûm, per campos octonûm.

Hic ordo Flaminij ſanè ſplendorem mihi habere videtur, & inſignes præterea vtilitates. Splendorem quidem, cùm turma tota initiò diuiſa, concurrens ſubitò, non tumultuariè tamen, tanto ordine celeritateque coaleſcit, iterumque ſe deducit vel nutu vnico Præfecti, ſi aliquantum aſſueuerit eques. Vtilitates; quia nullo turmæ ordine perturbato, decuria quælibet cum Decurione, Subdecurione, certiſque equitibus ſuis, ſtatim ad Præfecti imperium educi, dimittique quaquà verſus poteſt: ſi verò in hoſtem, (quacumque is parte eam aſſultabit, ſeu fronte, ſeu tergo) decuria inſtar Amphiſibænæ vtrimque caput ſeu Ducem habet; planè vt ſimul, duabus ex partibus, hoſtem ſuſtinere poſſit; partim verſa cum Decurione in frontem, partim in tergum cum Subdecurione. Atque hæc turmæ inſtitutio ſanè expeditiſſima, à Xenophonte in Hipparcho deſcripta eſt, ne quis exiſtimet eſſe rem nouam. *Vt clandeſtinâ*, inquit, *imperandi ratione educatur equitatus, vtile erit Decuriones conſtitui, & cum Decurionibus Quincuriones, vt quàm pauciſſimis enuntient ſinguli; &, vt frontem efficiant largiorem ſine tumultu & confuſione ipſi Quincuriones; qui ab altitudine in longitudinem ordines porrò agant, poſtulante id occaſione.*

ſione. Redeo ad recentiorem armorum tractationem. Flaminius lib. 1. cap. VII. optat equites omnes priùs inter Arcabuſarios merere, quàm in Quiraſſarios aut Lancearios adſcribantur. Eam nempe primorum rudimentorum quaſi ſcholam quamdam eſſe arbitratur. Atque id ſanè iam à Vegetio monitum oſtendimus, qui *milites* ſcribit *olim per varias ſcholas promotos.* Iuſta Flaminij contentio videtur, ne citiùs ex Arcabuſarijs eques tranſcribatur, quàm artis eius ſit peritus; perinde, vt qui litteras diſcunt, non niſi poſt rudimenta ad altiores diſciplinas admittuntur. Arcabuſarium ergo vult de pedibus primùm inſtrui iaculandi arte; deinde ex equo, vt certiùs feriat; ſubinde etiam in ipſo curſu, ne à flammâ vultum metu auertat. Doceri deinde fiſtulam nitro implere in curſu, ipſoque receptu. *Cuius rei ſi tempus non ſuppetat,* inquit VValhauſius lib. II. cap. III. *gladio & ſclopo ſe defendet; ſciet q. auerſo equo, ipſe aduerſus, glande hoſtem petere, inſtar Parthi hippotoxotæ.* Quiraſſarium ijſdem propè legibus inſtruit VValhauſius lib. II. cap. II. aitque *præcipuè aſſuefaciendum geſtatione armorum, vtpote grauium: monendum verò, vt ſuccuſſatione in hoſtem eat, niſi curſu fortè inſequatur fugientem. tantillo autem interuallo ſclopum explodendum, vt flamma fumúſve hoſtem propinquum lambat. Munus eius ferè eſſe in hoſte ſuſtentando magis quàm aſſultando, niſi cum totâ ſimul incurrat turmâ, quando nempe iam acies hoſtilis fuerit perturbata; quo tempore gladijs cominus depugnabunt.* Lancearios VValhauſius lib. II. cap. I. iubet *obtinere (ſi poſſint) ſiniſtrum hoſtis latus, quò inde faciliùs eques equuſq. ſterni poſſint. Docet deinde, tres aduerſarij partes lanceâ peti poſſe; ſummam, mediam, imam. Equi pectus aut latus fodiendum eſſe, ſi eques fuerit cataphractus; equitis latus pectúſve, ſi fuerit inermis. Lanceas geri poſſe erectas, aut (ad fallendum hoſtem) procliues. Inclinationem fieri vel directam à dextro capitis equini, vel tranſuerſariam ſupra equi caput, iuxta aurem ſiniſtram. Sclopo gladióve non vtendum, niſi lancea ſit fracta, aut læſus caſúſve ſit equus. Tunc tutiſſimum fuerit ſclopo traijcere equi hoſtilis caput, aut ceruicem, aut armum; gladio hoſtem ipſum.* Addit

Flaminius lib.1.cap.XXIV. *ex re esse, vt Lancearius in hostem daturus impressionem, sinistrum stapiæ lorum habeat dextro breuius; cùm, vt in hostem fortiùs incurset ipsâ corporis proclinatione; tum ne, sui ipsius repercussu in sinistram actus, decidat, ephippijq; cingulas frangat. Summam verò victoriæ spem in eo ponit, si priùs in hostiles turmas Lancearij incurrant, quàm hostili incursu ipsi præuertantur. Cùm enim lancearum vis omnis ipso procursionis impetu imprimatur; si hostis anteuertat Lancearij cursum, statim omnis interit lancearum vsus, ob propinquitatem. Quod si eueniat, tum in longa se Iuga duplicata expandent, aut in orbem duplicem conuoluent, sclopisq; tuebuntur.* Mvsquetariorum (quos *Drageons* VValhausius appellat) eadem ferè rudimenta sunt quæ peditum, cùm non nisi de pedibus pugnent. Eorum verò, quos Flaminius Musquetarios franquos vocat, vix alia est disciplina atque Arcabusariorum, nisi cùm desiliunt ad pedes. Tum enim (vti Dragoniorum) singularis eorum ars versatur in dimittendis colligandisque equis, ne quid absentibus rectoribus turbent. Descripsit eam accuratissimis præceptis Flaminius lib. 1. cap. XXII.

I. Equites singuli hippodesmata seu habenas alteras habebunt conuolutas, suspensasque è freni equini sinistrâ parte. Decuriones Subdecurionesque singuli habebunt habenas duplices, ex vtraque parte vnas.

II. Singularum decuriarum equi Iugo vno duobúsve inuicem subiunctis pro numero colligabuntur. Interpono quod prudenter adfert Leo Imper. Tact. cap. IX. §. XLVIII. *Equitum (vbi descenderint) equos, si pedites vicini sint, longè ab illis separa: ne, si ex acie ad equos recurratur, perturbatio fiat.*

III. Vt ordine equi stent, Præfectus & Optio equos suos seruulis custodiendos dabunt. Decurio primus cum decuriâ suâ euehatur passibus ante turmam vicenis, Iugaque decuriæ suæ omnia explcabit in Iugum vnum; ibique cùm exscenderint, eques quilbet, celerrimè habenis è siniſtrâ freni sui explicatis, reuinciet frenum Adstitis sui dextri. quod idem facient decuriæ singulæ.

IV. Decurionum Subdecurionumque equi, latera Iugorum hinc inde claudent, eorumque habenas retinebunt equites cuiusque decuriæ duo; equosque ceteros sociorum vacuos custodient.

V. Hi equi vacui vectores suos, iam pedites factos, tegent à tergo.

VI. Hos equos inter & pedestrem turmam Vexillifer tutus consistet.

Hucusque de ordine ante pugnam. In conflictu verò ipso, vbi tantus animorum vel ardor vel timor, vbi concursus & præsens hostis; maximâ non solùm arte, sed & animi præsentiâ opus est ad rem benè gerendam, ordinesque seruando. Pro quo illud seriò constanterque tenendum est, non solùm, iniussu Ducis, neminem ad pugnam se mouere posse; sed etiam, non nisi aduersus eam hostilis exercitûs partem turmámve, quam Dux designarit (quæ ferè esse solet opposita ex aduerso) decertare debere. Polyb. lib. x. *Nihil esse iudicabat* (Scipio) *tum periculosius tum inutilius equitibus, qui solutis turmarum ordinibus discrimen prælij experiri sustinerent.* Ac tum etiam temperandum monuit Leo Imper. Tact. cap. XIV. §. LXXI. *Equitibus præcipies, ne nimis impetuosè ruant in hostes, neque à pedestri acie longius recedant, quamuis hostes profligentur.* Quâ lege soluendus est equitum impetus, cùm acies iam perfracta est, mandatque se hostis fugæ: tum enim probem, quod feciſſe Fabium Cæsar narrat lib. VIII. Belli Gallici: *Quantum equorum vires ad persequendum, dextræque ad cædendum valent, tantum eo prælio interficiunt.* Numquam alioqui, nisi admodum rarò, concurri collatis signis, seu acie totâ, sed

turmulis paruis in ſerram diuiſis, vt dicetur Libri ſequentis Cap. v. Nam aliàs certè vnico prælio, eoque infelici, bellum vniuerſum facilè perficeretur. Hîc iam mihi de ignauis aliquem acclamantem è turmâ turbáve audio. Ecquis hæc tam multa, tam minuta faciat? quis retineat? Bona verba, mi eques. Reſpõdebo tibi Xenophontis verbis ex Hipparcho: *Si quis autẽ eſt, qui multum ineſſe negotij exiſtimet, ſi iſtâ ratione ars equeſtris ſit exercenda, is cogitare debebit, qui ad gymnicos ludos exercentur, eos multò pluribus & moleſtioribus vrgeri moleſtijs, quàm qui ſummâ diligentiâ exercent equeſtrem diſciplinam. Illi enim ſe plurimo cum ſudore ad gymnaſticen exerent; in equeſtri autem exercitatione plurima ſunt plena voluptatis: nam, ſi quis optaret volucer fieri, nullum eſt ex humanis operibus quod volatui magis, quàm equitatus, ſimile eſſe videatur. Iam verò potiri victoriâ in bello, multò glorioſius eſt quàm in pugilatu.* Poſúmne & hoc addere pro arbitratu meo? Paucula viſum iri præcepta, quæque nec aduertens faciet, qui quotidie ſeſe equitando exercebit. Otioſo pauciſſima etiam plurima cenſebuntur, quia nulla habet per vſum conſuetudinemque pronpta. Tum demum dubitans cogitat, quâ ratione pugnandum ſit, cùm iam eſt pugnandum. Vtcumque ſit, repeto & commendo aureum Vegetij dictum lib. II. cap. XXIII. *Siue legio, ſiue auxilia fuerint, exerceantur aſſiduè. Nam quemadmodum bene exercitatus miles prælium cupit, ita formidat indoctus. Sciendumque eſt, in pugnâ vſum amplius prodeſſe, quàm vires.* Addit lib. III. cap. II. *Tantò ſtudioſius armorum artem docendus eſt exercitus, quòd ei laboris conſuetudo & in caſtris ſanitatem, & in conflictu poſſit præſtare victoriam.* Probo ſententiam Probi Imperatoris: *Militem non debere comedere annonam gratuitam.*

CA-

CAPVT II.

Equus militaris quomodo exercendus.

Equorum militarium ſcholæ & Magiſtri. Equi pœnis admonendi & laude. Equeſtres blanditiæ, clogmus, & poppyſmus. Xenophontis artibus vitia curabilia dedocendi ſunt meticuloſi, immorigeri, tortores, cruciantes, ſuccuſſores, ſuffoſſi, ſeu ceſpitatores. Deinde exercendi ſaltu & flexu. Equorum exercitatorum exempla. Equi diſtribuendi pro variâ equitum conditione.

NON *equites ſolùm, ſed ipſos etiam equos aſſiduo labore conuenit edomari*, ait Vegetius lib. II. cap. XIV. Artem primus oſtendit Bellerophon, auctore Plinio, quem arte ſuâ malè perijſſe Horatius refert libro IV. Odâ XI.

—— *Exemplum graue prabet ales*
Pegaſus, terrenum equitem grauatus
Bellerophontem.

Equus certè etiamſi naturâ bellicoſus ſit, arte tamen exercitioque percolendus eſt; militaris maximè ſeu bellicus (vt Veteres appellabant) qui equitem in bellum portat. Doſſuaria iumenta clitellarioſque caballos ad ſarcinas ablego; de ephippiatis illis ac bellatoribus mihi ſermo. His (vt olim equiti) ſcholæ etiam datæ & Magiſtri. Magiſtri, inquam: ſic namque Antiquis dicti equorum moderatores. Plato VII. Legum, Ἱππων διδάσκαλοι. Virgil. III. Georg.

—— *Blandis gaudere Magiſtri*
Laudibus. ——

Auſonius:

Quadrupedum genus impoſitis domitare Magiſtris.

Scholæ erant, hippodromus & campi. hîc primùm vitia dedocebantur, deinde docebantur bonos mores. Vitia dico, non illa quæ emendari exercitatione nequeunt (qualia ſenium & morbi, aliaque ſuperiùs enumerata) ſed vitia inceſſûs, ſaltûs, flexûs, curſûs, pauor ſubitus rerum nouarum. Hæc emendabantur admonitionibus, virtutes laude inſerebantur. Iſo-

machus apud Xenophontem in Oeconomico: *Equorum sobolem domitores obsequentem delinimento aliquo demulcent, reluctantem verò virgâ compellunt.* Admonitiones erant, vmbra virgæ, virga, calcaria, scutica, stimuli; habent enim similes labra lactucas. Et sic equi certè *admoneri* dicebantur, obseruante Ludouico nostro de la Cerdâ in Georgicis Maronianis; ac varij de eo genere variè locuti. Statius lib. VI. Thebaïd. de Arione equo generosissimo:

—— Vrge alios stimulisq; minisque,
Ille ibit, minùs ipse voles. ——

De calcari Plautus Asinariâ: *Calcari quadrupedem agitabo.* & Maro Æneid. VI.

Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.

Silius lib. VII.

Ferratam calcem. ——

Virgam alij adhibent. Valer. Max. lib. III. *Virgam, quâ ad regendum equum vsus, in oculum direxit.* Lucanus IV.

Ora leui flectit frenorum nescia virgâ.

Martialis lib. IX.

Et Massylæum virga gubernet equum.

Scuticam Ouidius Epistolâ IX.

—— Scutica tremefactus habenis.

Hæc omnia admonitionum genera Salomon flagelli vocabulo absoluit. *Flagellum equo,* inquit Prouerb. XXVI. sicut Virgilius verberum nomine III. Georg.

—— Prensiq; negabunt
Verbera lenta pati. ——

Sic ergo admonebantur equi: *Nam Dij quidem id cõcessêre hominibus, alios vt doceant orationem; at equum oratione instruxerit nemo. Sin quando ille sese ex animi tui sententiâ gesserit, vicissim ei gratificêre, in detrectantem verò imperio animaduertas; facilè didicerit facere quæ debeat, & facere ad arbitrium tuum,* ait Xenophon de Re equestri. Opus ergo pœnâ & laude. Laus adhibebatur voce & manu. *Equi namque non dubiè intellectum adhortationis & gloriæ fatentur,* ait Plinius lib. VIII. cap. XLII.

Voce

Voce fiunt clogmi & poppyſmi, auctore Xenophonte de Re equeſtri. Verba eius ſunt: *Neque hoc ignorandum, ποππυσμῷ videſt, quando labris compreſsis acutior quidam oris ſonus editur) quos mitigari; κλωγμῷ verò (qui ſonitus fuerit palati & gutturis) incitari. At ſi quis initiò equo offerat gratiora cum clogmo, contraria autem cum poppyſmo; citò ille didicerit incitari poppyſmo, mitigari verò clogmo.* Quamquam & poppyſmum pro plauſu manûs, ſeu *palpo*, vt Plautus loquitur, plures accepêre, ait Turnebus lib. IV. Aduerſ. cap. XV. *Palpo percutere apud Plautum, eſt blando manûs plauſu, & velut poppyſmo tangere.* de quo Maro Georg. III.

—— *Blandis gaudere Magiſtri*
Laudibus, & ſonitum plauſæ ceruicis amare.

Certè ad aſſentationem Iuuenalis retulit Sat. VI.

—— *Frontemq; manumq;*
Præbebit vati crebrum poppyſma roganti.

Et Plinius quemdam equi mulcatorem poppyzonta appellat lib. III. cap. X. Crebra eſt de hoc plauſu equino apud Poëtas mentio. Virgil. lib. XII. Æneid.

Circumſtant properi auriga, manibuſq; laceſſunt
Pectora plauſa cauis. ——

Silius lib. IV.

Tum ſtimulans grato plauſæ ceruicis honore,
Cornipedem alloquitur. ——

Prudentius Hymno II. Periſteph.

—— *Blandíve manu palpata Magiſtri,*
Imperiumq; equitis antè ſubacta pati.

His enim blanditijs equorum animi ad capiendas belli artes adducuntur, nec re aliâ magis

Fingit equum tenerâ docilem ceruice Magiſter
Ire viam, quà monſtrat eques. ——

Nobilis enim equus, ait Cobares apud Curtium lib. VII. *vmrâ quoque virgæ regitur.* Ordinem huius diſciplinæ placet à Marone audire. Is ita de equorum inſtitutione lib. III. Georg.

Sin ad bella magis ſtudium, turmaſq; feroces,

Pri-

Primus equi labor est, animos atque arma videre
Bellantum, lituosq; pati. ——
Atque hoc iam primò depulsus ab vbere matris
Audiat. ——
At, tribus exactis, vbi quarta accesserit ætas;
Carpere mox gyrum incipiat, gradibusq; sonare
Compositis, sinuétque alterna volumina crurum,
Sítque laboranti similis.

Sanè ita educatio instituenda est. *Nam vt pueris necessariò adiungitur pudor & laudis studium, ita equis addendum calcar & frenum*, ait Lycon Troadensis apud Laërtium. Quamquam nolim hac equitem distineri, dum equi nondum è pullis in adolescentiam euasêre. Domitoris id munus est. *Nam longè satius est*, ait Xenophon lib. de Re equestri, *perito iam equitandi sese exercere, quàm occupari in pullis domandis. Quare eques tradet pullum suum domitori, sic tamen, vt non secùs ac si filium Magistro erudiendum traderet, præscribat quomodo instructum reddi velit.* At post hanc quasi infantiam, eques ipse equum suum bello formabit ampliùs, eodem etiam ordine exercitationis. Primùm demet equo timores omnes vsu atque consuetudine. *Pauidum enim ad omnia animal equus*, vt Curtius lib. VIII. & Xenophon lib. de Re equestri: *Repentina omnia in equo pertiurbationes efficiunt.* quod de inexercitato atque insueto plus nimio verum esse, Statius lib. x. ostendit.

—— *Patulas saltu transmittere fossas*
Horror equis, hærent trepidi, atque immanè pauentes
Abruptum mirantur equi. ——

Quin vel re minimâ terreri, Horatius insinuat libro III. Odâ XXVII.

Rumpat & serpens iter institutum,
Si per obliquum similis sagittæ
Terruit mannos. ——

Imò Herodotus lib. VII. *Canis inter equi pedes intercursu equum improuisò deterritum, & erectum in pedes excussisse Pharnucem* narrat; vt nihil miri sit, sic pauefactos Hippolyti equos,

equos, apud Tragœdum, horribili monſtri aſpectu:

Tum verò pauidâ ſonipedes mente exciti
Imperia ſoluunt, ſeq́ luctantur iugo
Eripere. ————

Cùm igitur in bellis & gladiorum fulgor, & tormentorum fulmina ac fragor, cadauerum humanorum aſpectus, vel conſtantiſſimos viros perterrefacere poſſint, curandum ſeriò, ne equi tantarum rerum inſolentiâ perturbentur. Id Damis apud Philoſtratum lib. 11. ſuaſit, ſuo illo æuo, quo tamen quieta prælia, nec fulmen vllum igneum; ſed ſolus gladiorum galearumque nitor emicabat. *Equum*, ait, *aſſuefacere oportet, ne clypei ſonitum, aut fulgentis galeæ ſplendorem, néve pugnantium clamorem perhorreſcat; hæc enim omnia equeſtri ſapientiæ conueniunt.* Profectò igitur nunc longè conueniunt magis, cùm horrenda illa tonitrua fulminaque ænearum machinarum, cùm minorum fiſtularum propinqui ignes ſonituſque ſimul mugiunt ac lucent. Quare non reijciam Perſarum conſilium, qui, teſte Ælian Hiſt. lib. xvi. cap. xv. *Armata cadauerum ſimulacra fœno paleaq́ effarta equis ſubijciebant, vt cæſorum in bello conſpectum ferro conſueſcerent, ne rerum terribilium metu affecti, ad rem militarem inutiles eſſent.* Sanè, ni vſu aſſuêrint equi, ſuadeam eos omitti cum Xenophonte de Re equeſtri: *qui enim formidoloſi ſunt, non ſinunt à ſe malum dari hoſtibus, quin equitem ſæpè fruſtrati, in maximas conijciunt difficultates.* En exemplum à Liuio lib. x. *Eſſedis carríſque ſuperſtans armatus hoſtis, ingenti ſonitu equorum rotarúmque aduenit, & inſolitus eius tumultus Romanorum equos conterruit. Ita victorem equitatum velut lymphaticus pauor diſſipauit.* At opportunè Xenophon libello de Re equeſtri monet, non irâ, non vi, non flagris metum hunc dedoceri, ſed blanditijs potiùs ac morâ. *Equus*, inquit, *ſi, quid fortè mali ſuſpicatus, accedere aliquopiam nolet, demonſtrandum illi, quòd ea, quæ auerſatur, fugienda non ſint; hoc quidem equo animoſo: ſin erit timidior, illud ipſum, quod ei horribile videbitur, contrectabimus, & leniter eôdem ipſum adducemus. Qui verò verberibus adigunt, plus timoris incutiunt*

equis. Nam quia tum malè mulctantur, huius etiam, quæ ſuſpicione ſuâ refugiunt, cauſſam eſſe ſuſpicantur. & poſt pauca: *Si quid fortè perculerit equum, oſtendere oportebat, placando, non ſæuiendo, terribile non eſſe.* Tenuiſſe videtur id præceptum Alexander in domando Bucephalo, *quem* (vt Plutarchus in eius Vitâ) *animaduertens perturbari aſpectu vmbræ, quæ tremens & agitata ei appropinquabat; freno correptum aduerſus ſolem obuertit. Deinde, cùm paululum palpaſſet, manúque leniter ductâ demulſiſſet; vt irâ repletum vidit, ſenſim abiectâ chlamyde in eum ſe extulit, tutóque conſedit; leuitérque habenâ frenum adducens, abſque ictu vllo aut conuulſione compeſcuit. Vt minas eum poſuiſſe, & iam curſûs cupiditate æſtuare ſenſit, laxatâ habenâ, currentem aſperâ voce & pedum pulſu inſtigauit. Cùm, qui aderant, anxij primùm tacitíque ſpectaſſent, poſtquam exultans gaudio, ſaluus retroacto equo redyt, omnium acclamatione ſublatâ, Philippus præ lætitiâ etiam illacrymaſſe narratur, capútque filij (cùm equo deſcendiſſet) oſculatus dixiſſe: O fili, Regnum tibi par quære; Macedonia iam te non capit.* Porrò alia periculoſa quoque bello vitia detegit ibidem Xenophon, quæ carptim colligam, vt equis eximantur. I. *Sunt, qui recuſant cum equite ab alijs equis digredi.* II. *Reperiuntur, qui de malâ educatione, ex equitationibus recurrunt ad domeſticos receſſus.* III. *Qui extimulati non obtemperant. Equus autem immorigerus non ſolùm inutilis eſt, ſed ſæpenumerò proditoris vicem obtinet.* IV. *Detrectationes frenationum & conſcenſionum, & ſi qua alia renuat equus, poſt defatigationem melius comperiuntur.* V. *Duri oris equos prodit mutata ſubitò equitatio: nam plerique nolunt excurrere, niſi ita flexus eueniat, vt improbior maxilla domum & ad reditum conuertatur.* In vitioſis quoque Nonio cenſentur equi *tortores*, quos Plautus *cruciantes*, Lucillius *ſuccuſſatores* & *ſuccuſſarios* appellat. Alia, quæ prætereà à Scriptoribus notantur vitia, huiuſmodi ſunt, vt omnino emendari non queant, de quibus iam ſuprà Lib. II. Cap. I. Quàm optandum ergo, eſſent equi omnes, qualis ille Deuxippi equus, qui, auctore Suidâ in voce Ἵππος, *ita inſtitutus erat, vt & ſine habenis ocyſſimè ferretur, & illo pedetentim*

proce-

procedente placidißimè ſtaret; & declinante vt circuiret, atque in gyrum duceret, agillimè conuerteretur. Aut, ſi is pro militari tranquillior; quantò melior ille Mezentij Rhœbus Æneid. x.

—— Hoc decus illi,
Hoc ſolamen erat; bellis hoc victor abibat
Omnibus. ——

An non hunc talem ſic affari lubeat cum Marone:

Rhœbe diu (res ſi qua diu mortalibus vlla eſt)
Viximus: aut hodie ——
Victor eris mecum; aut (aperit ſi nulla viam vis)
Occumbes pariter: neque enim, fortißime, credo
Iuſſa aliena pati, & dominos dignabere Teucros?

Danda igitur opera (monet Hipparchum Xenophon) *vt commodos & faciles habeamus equos, cùm contumaces hoſtibus magis, quàm noſtris, ſint auxilio.* Quamquam Germanis olim nullam eius rei fuiſſe curam; Tacitus de horum moribus refert. *Equi*, inquit, *non formâ, non velocitate conſpicui; ſed nec variare gyros in morem noſtrum docentur: in rectum, aut vno flexu dextros agunt, ita coniuncto orbe, vt nemo poſterior ſit.* Et Cæſar vſu didicit, inidoneos bello Germanorum eſſe equos. De ſe ſcribit lib. VII. Bell. Gall. *Trans Rhenum in Germaniam mittit ad eas ciuitates, quas ſuperioribus annis pacauerat, equiteſq; ab his accerſit, & leuis armaturæ pedites. Eorum aduentu, quòd minùs idoneis equis vtebantur, à Tribunis militum, reliquiſque, ſed & equitibus Romanis atque Euocatis, equos ſumit, Germaniſque diſtribuit.* Doceri tamen ad ſtatum dum deſiliunt equites, aſſuefierique laboribus, ſcribit lib. IV. eiuſdem Belli: *Jumentis Germani importatis non vtuntur; ſed quæ ſunt apud eos nata praua atque deformia, hæc quotidianâ exercitatione, ſummi vt ſint laboris, efficiunt. Equeſtribus prælijs ſæpè ex equis deſiliunt, equóſque eodem permanere veſtigio aſſuefaciunt.* Credibile, id facilè doceri equos, quibus nihil ingenij ad meliores artes. Stare enim & laborare, vel muli docentur. At verum eſt, tum Germanos quoque equitatu non valuiſſe, vt ibidem Tacitus prodit: *Plus penes peditem roboris, eóque mixti præliantur.* Quibus

igitur equitatus cordi est, curæ ijs sit & equorum cultus, vt idoneos habeant ad omnes belli vsus. Tales certè exercitatione redduntur. Qualis verò exercitatio esse debeat, Xenophontis verbis præscribam ex libello Rei equestris. (præcedenti enim Capite non equi, sed equitis institutionem scripsi.) *Faciendum*, inquit, *periculum omnium quæ in bello obijci consueuerunt; quæ sunt, fossam transilire, superare vallum, in collem erumpere, de colle desilire.* Iterùm post multa: *Obscurum non est, in prælijs quoque flexus vsurpari, cùm insequendi hostem, tum se recipiendi gratiâ. Iam verò posteaquam satis esse exercitij videbitur, profuerit tum post quietem repentè incitare equum, aliquando auersum ab alijs equis, aliquando ad eos versum; itemq; de celeritate statim remittere, nec non consistere eum pati, & mox flectere atque incitare: non enim dubium, quin venturum tempus sit, quo ambobus illis opus fuerit.* Planè ita ad voluntatem equitis fingendus equus est, vt nihil vmquam faciat voluntatis suæ, seu fessus seu recens; sed perinde cum eo consentiat, ac si in equitem suum versus, vnus esset Hippocentaurus. Ita Chrysantas lib. Pædiæ Cyri apud Xenophontem: *Ex omnibus animalibus maximè amo Hippocentauros, si fuerunt; quippe qui & hominis vterentur prudentiâ, manuumq; artificio & equi haberent velocitatem ac vires*, &c. *Itaque etiam ipse, si fiam eques, mecum sanè habebo hæc omnia*, &c. *At ego, si equitare didicero, cùm in equo fuero, agam scilicet quæ Hippocentauri sunt; cùm ex equo descendero, & cœnabo, & induar, & me quieti dabo, quemadmodum alij homines. Quare quid aliud futurus sum, quàm diuisus Centaurus, ac rursum compositus?* Alioqui nihil expectandum ab indomito immorigeroque, nisi

Vt ferat in præceps dominum obluctantia frustrà
Frena retentantem durior oris equus?

Eâ re prudenter magnus ille Sfortia præcepit Francisco filio, *ne vmquam indomiti oris equo vteretur, doctus periculo suo*, ait Iouius: *memorabat namque se ab equo (cui, ob oris contumaciam, Draconi nomen) in fossam aliquando præcipitatum, necquidquam retinentem frena, cùm Braccianus hostis ex insidijs sibi immineret.*

ret. Qui ergo nactus est equum omnino imperitum saltuum, ait loco dicto Xenophon, *is vacuum illum, prehenso loro ductorio, transgressus prior fossam, attrahito ad saltandum. Quòd ille si renitatur, à tergo aliquis flagrum aut virgam summis viribus incutiat; ita transiliet non solùm illud spatium, sed longius etiam quàm debuisset, & in posterum non exspectabit verbera, sed vbi senserit modò ponè accedere aliquem, sponte saliet. Postquam vacuum assuefeceris, agitabis etiam inscensum; primùm equidem trans minores fossas, mox etiam latiores. In conatu autem saliendi subdes calcaria.* Vsum suum habet subinde, vt saltu insigni opus sit, aut hostis certè in te insiliat. Narrauit mihi Comes Henricus Bergius, machinarum castrensium Præfectus, Equitum Pro-Magister, cùm aliquando vim magnam hostium ipse minore equitum numero diu sustentasset, fossam pedum vicenûm equestri se saltu transmisisse, neque aliter fuisse euasurum. Referam quod ipse vidi, & videns propè illacrymatus sum. Inter Crutznacum & Alzæum (oppida inferioris Palatinatûs) dimidio à Crutznaco lapide, lapides duo in agro defossi, eminent altitudine pedum ferè trium, distantes inuicem interuallo pedum xxvi. In his incisa imago equi salientis, adscriptusque dies, quo Fridericus II. Comes quondam Palatinus, tantum spatij eques vnico transuolarit saltu. Hos lapides cùm viderem, tacitus mecum ingemui, & Heu, inquam, Magne quondam Princeps, quàm infausto saltu è Palatinatu in Bohemiam, è Bohemiâ in exilium desiluisti! Sed alter, quem iam producam, non patriam modò, at vitam etiam equestri saltu amisit. Vetus monimentum in Castro Ambross. prope Oenipontum testatur, equum ab ephebo nobili subditis calcaribus admissum, vt fossam xx. pedes longam transiliret. Transilijt; sed eques & equus subitâ & vnâ pænè morte conciderunt. Id equi exuuiæ & ephebi vestes hodieque loquuntur, ait Hippol. Guarinonius lib. vi. & ex eo Ieremias Drexelius Prodromo Æternitatis, lib. i. cap. i. §. xx. Denique monet Xenophon in Hipparcho, vt *celeri vtantur incitatione equites per omne locorum genus*, ne loci

nempe vllius difficultatem detrectent equi. *Etenim hoſtes*, inquit, *aliàs in alijs conſiſtunt locis*. Has ob res credo præcipuè inſtitutam equeſtrem illam ambulationem ter in menſem, de quâ ex Vegetio ſuprà. addit enim ad calcem cap. xx vii. lib. i. *non ſolùm in campis, verùm etiam in cliuoſis & arduis locis, & aſcendere & deſcendere vtramque aciem* (equitum & peditum) *coactam fuiſſe*. Certè vel aduerſus morbos ſalubris ea ambulatio fuerit; *nam equorum præter conſuetudinem otiantium pedes vitium contrahunt*, auctore Plutarcho lib. v. Conuiual. cap. i v. Vt abſoluam, Militiâ hac noſtrâ diſcrimen faciendum equorum eſt; intereſt enim, quis cui equiti conueniat aut neceſſarius ſit equus. Lancearius (cuius vis tota in celeritate curſûs eſt) omnino præſtanti atque exculto eget equo, qui nempe artem vniuerſam teneat, inceſſûs, ſaltûs, curſûs, flexûs: καλπάζειν id vocat Plutarchus, Pollux ἱππασίαν κυκλοτερῆ, rotundum curſum, quod vulgò *galop* dicimus. Hi equi, quòd magnis impendijs inſtruantur, quòd rari reperiantur, fecêre quoque vt raræ eſſent paucæque lancearum turmæ, quod notat VValhauſius. Quiraſſario ſufficit equus quilibet robuſtus, modò morigerus ſit. Nam aut gradatim incedit, aut ſuccuſſatim; non currit, niſi cùm hoſtem fugientem perſequitur. Arcabuſarij & Muſquetarij Franqui celerioribus vtuntur, etiamſi ad exiguam elegantiam doctis, modò obſequentes ſint. Dragonarijs equitibus doſſuarij ſarcinarijque caballi ad iter ſat ſunt, cùm pedites ipſi pugnent. An probanda ſit Gothorum cautio, Olaus arbitretur. Is ſcribit lib. v iii. cap. xi. *Gothorum morem eſſe, vt iunioribus equitibus equi ſeniores dentur, iuniores ſenibus*. Quâ de cauſſâ? Ne iuuenes, inquit, equis generoſioribus plus nimio exultent atque laſciuiant, ſenes ne vetulis indormiant. Ego mauelim neque ſenes equos eſſe, neque vetulos equites eſſe, neque iuuenes laſciuos eſſe; ſic certiùs cautum erit. Rectè à Poëtâ monitum:

Solue ſeneſcentem maturus equum. ——

CA-

CAPVT III.

Equiti quanta equi ſui habenda cura.

Equi neglecti, amorem exuunt. Xenophontis de equorum curâ præcepta. Rebus otiosis omnis ferè equorum cura continetur. Ducum quorumdam in equos laudata cura, quorumdam inſanus amor. Viduæ Romanæ equos publicos curant. Triarij in caſtris equiti, equorumque ſaluti excubant. Equus vinculis ſolutus quantas dederit turbas. Calceis amiſſis equus Sfortiam propè perdit. Non facilè militaris equus alteri commodandus. Salubre, noſſe equeſtribus morbis remedia; ſed vitandæ incantationes, & ſuperſtitioſæ aſperſiones. Ad Cælitum opem pro equorum ſalute decurrendum. Quid equiti medeatur ex equitatione aduſto.

LIBYES *neque pabulum equis ſuis offerunt, neque, cùm laborauerint, ſtrigili perfricant, neque cubilia ſubſternunt, nec vngulas expurgant; nam equi eorum apti ſunt, patienteſque ad omnem dominorum negligentiam perferendam*, ait Ælianus. Singularis gratia, quæ Libyco cælo contigit, qualem nempe è ſegnioribus equites multi optarent, quibus Horatianum illud placet,

—— *Equus vt me portet, alat Rex.*

qui Cenſori, vt Gellius refert, reſpondere audeant: *Ego me, at equum meum Statius ſeruus meus curat*. Homines cenſurâ digni! Sed alibi profectò nec tam ſobrij nec tam obſequentes equi naſcuntur, atque in Libyâ. Noſtrates eſſe, bibere, & quieſcere volunt, poſtquam à labore redeunt; aut opus ieiuni & feſſi recuſent. Id Plutarchus libello de Fraternâ charitate monuit. *Equus*, ait, *ſuapte ſponte hominis amans eſt, at niſi foueatur, eique proſpiciatur, exuit charitatem*. Equus ergo curandus ſedulò. Quibus, inquies, rebus? Stabulo, pabulo, potu, ſtrigilatione, lauatione, ligatione, calceatione, medicatione, & quiete. De ſtabulo pabuloque Xenophon lib. Rei equeſt. *Stabulum ædificatum habere expedit, vbi quàm frequentiſſimè ob oculos domini equus verſetur. Ipſiuſque equi veluti conclaue ita conſtrui optimum, vt non magis pabulum de præſepi, quàm cibus domini de penu, ſubduci furto poſſit. Qui quidem in hoc negligens eſt, is ſe ipſum,*

ipſum, vt ego opinor, negligit. Manifeſtum enim eſt, in periculis equum corpus domini accipere tamquam depoſitum. Id conſilij probaſſe viſus Perſa ille, qui apud Ariſtotelem lib. I. Oecon. cap. VI. interrogatus, *quæ res præcipuè ſaginaret equum*; reſpondit: *Oculus domini.* Certè: nam ſi equi omnes æquè ſaperent atque elephas ille apud Athenæum, qui hero ſuo prodebat pabuli ſui ſublectorem, minor eorum cura haberi poſſet. Sed non ita cata ſunt animalia; nec loquaces equi omnes, vt Homericus ille Xantus, quem Iuno vocalem reddidit Iliad. XIX. De potu Leo Imper. Tact. cap. VII. §. XXV. *Æſtate ne equum ad crebrò bibendum aſſuefacias, quâ de cauſsâ minùs vtile eſt ad flumen caſtra ponere.* De ſtrigilatione inſigne Aureliani Imperatoris præceptum eſt: *Eques ipſe equum ſuum perfricet.* Sed longè admirabilius Ateæ Scytharum Regis exemplum, quod Plutarchus in Apophthegmatis adfert. *Hic Rex*, ait, *equum ſtrigili purgans, Legatos Philippi interrogauit, an hoc quoque Rex ipſorum faceret.* Si rogaret nunc Ateas, an gregarij equites id facerent, quàm multos impolitiæ reos, ob neglectum cultûs nitoriſque, deprehenderet? De lotione Statius lib. IV. Thebaïdos:

—— *Eleis auriga laboribus actos*
Alpheo permulcet equos. ——

Et aquę affuſionem Feſtus inſinuat. *Naſiterna, aquarium*, inquit, *vas, quo equos perfundunt.* Videtur reuerà maximorum Ducum non vltima ea fuiſſe cura: nam & Scipioni *luſtranti equos & currus, Marius equum & mulum optimè à ſe habitos educatoſq; adduxit, & laudem prouerbio propagauit, Mulorum Marianorum*, ait Plutarchus in Marij Vitâ. Quid? quòd multorum non cura modò, ſed amor etiam in equos nimius extitit, ne dicam ſtultus. qualis enim Caligulæ furor, equo ſuo menſam apponentis, hordeum vinumque ex auro præbentis, Conſulatum promittentis, Sacerdotio ſuo collegam aſcribentis? Quod ergo de Galliæ cauponibus prouerbio iactari ſcribit Aldrouandus lib. I. Quadrup. fol. LIII. *Galliam paradiſum eſſe hominum, ſed infernum equorum*; id aliquis non in-

ſcitè

ſcitè dixerit de Romanis & Libybus, *Romam fuiſſe paradiſum equorum, Libyam infernum.* Certè viduis Romanis equorum alendorum commendata cura fuit à Seruio Rege, vt Liuius lib. 1. ſcribit; & Triarijs ipſis equorum mandatæ excubiæ in caſtris, auctore Polybio lib. v 1. vt iam Græcia Latio nequeat obijcere Andromachen, quã Hector apud Homerum Iliad. θ. fatetur, priorem melioremque equorum ſuorum, quàm ſui reducis, habuiſſe curam. At quę illæ excubię Triariorum? Lege Caſtrametationem Polybij. *Triarij*, inquit, *vt quique proximi ſunt poſt turmas locati, quotidie turmis equitum miniſteria præbent,* (φυλακεῖον *excubiam* vertit Lipſius) *& cuſtodiunt etiam alia, ſed præſertim equos, ne aut implicati vinculis lædantur, futuri inutiles ad opus; aut ſoluti atque inuicem irruentes, turbas tumultuſq; excitent in caſtris.* O ſingularem equorum curam! Minutias cenſeat, qui militiam ignorat. At qui nouit, quantæ paruis ex rebus fiant in bello commutationes, is ſcilicet nihil huiuſmodi minutum ducet. Operæ pretium eſt à Tacito periculoſiſſimæ turbationis cauſſam audire lib. 1. Annal. *Fortè equus, abruptis vinculis, vagus & clamore territus, quoſdam occurrentium obturbauit. Tanta inde cõſternatio, Germanos irrupiſſe credentium, vt cuncti ruerent ad portas, quarum decumana maximè petebatur, auerſa hoſti, & fugientibus tutior. Cæcinna, comperto vanam eſſe formidinem, cùm tamen neque auctoritate, neque precibus, ne manu quidem obſiſtere aut retinere militem quiret, proiectus in limine portæ, miſeratione demum (quia per corpus legati eundum erat) clauſit viam. ſimul Tribunus & Centuriones falſum pauorem docuerunt.* An hæ minutiæ ſunt? *Ligatio* ergo equi adhibenda, non noctu ſolùm, ſed etiam interdiu. Et en alterum non minorem ab equo vnico tumultum diurnum, per hanc tam exiguam incuriam, bello Saladini contra Chriſtianos. *Quidam eques noſter,* ait Æmilius initio lib. v 1. *ante ſignа res gerens, in pedes ſe excepit, equuſq; ſe circumagens, refugiebat in caſtra. Sublato à circumſtantibus clamore, vt prehenſis habenis ſiſteretur; qui rem ignorabant, de Anteſignanis actum, primamq; aciem cæſam eſſe rati, cedere cœperunt, ac reliquam inclina-*

runt aciem. Nec Saladinus præbenti se fortunæ defuit: reuocatis suis, in nostros fertur, &c. Pergo minutus esse in rebus periculo magnis. *Calceationem* præscribo auctoritate Flaminij lib. I. cap. v. Is suadet, vt *eques quilibet* (dum fortè casus incidet) *calceare equum norit, & frena ephippiaq; fracta tumultuariè instaurare*. Certè non semper ad manum calcearius est, quem vnum nostrates turmæ singulæ adhibent: quare suadeam saltem equi calceos priùs inspici, manuque explorari, quàm equum educi, aut conscendi. Narrat Iouius, Sforti æ contigisse, vt in Vmbris equo pugnans, inter præliandum soleis omnibus excalceato, eoque in manibus hostium relicto, vix ipse pedes effugerit. An paruum à soleis discrimen? Præter minutas hasce curas, multis ita cordi est equus suus militaris, vt non nisi grauatè alteri rectori eum commodato dent. Prouerbio iactatum scio apud quosdam, ternas res non facilè esse commodandas, vxorem, equum, crumenam. Et certè equi militaris negandi graues videntur causæ. Sicut enim ferè corrumpere solet chelym aut barbiton qui ignarus est canendi; ita aphippus aliquis equum facilè aut ad priscos mores reuocat, aut noui aliquid vitij affricat. Nam vsu experientiaque videmus verum esse illud Nasonis:

Quem portent ipsi scire videntur equi.

adeoque absente rectore consueto, lasciuire & ferocire solent, iuxtà ac pueri amoto pædagogo. Vanus sim si Phaëthontis fabulam adferam, quem paternos regentem currus equi inobedientes excusserunt. Rem dicam facetam, sed fide certiore testatam. Narrat Gregorius Tolosanus lib. XIII. de Republ. c. XIII. §. IV. Episcopo cuidam præstantem fuisse equum, quem Episcopi frater, homo militaris, tam vehementer ambiebat, quàm Episcopus amabat. Is homo cùm sciret Episcopum (dum iter equo faceret) solitum Canonicas Preces recitare, clanculum sæpiùs equum Episcopi inscendit, asperaque voce idemtidem repetens exordium illud Canonicarum Precum, *Deus in adiutorium meum intende*, simul equum calcaribus stimulabat adeò, vt equus aut calces excuteret,

eret, aut in pedes se erigeret, ad excutiendum vectorem. Id
ergo cùm fecisset frequentiùs, equum tandem eâ Precum
præfatione admonitum territumque assuefecit calcitrare.
Episcopus fraternæ sycophantiæ ignarus, Preces (fortè equo
vehens) cùm de more ordiretur, ecce tibi equus, solitâ Pre-
cum inchoatione auditâ, erigit se, excutitque sessorem. Tum
Episcopi frater (qui hanc scilicet ansam dudum captarat)
equum sternacem vt sibi Episcopus daret, per insignem
astum impetrauit. Vide quàm sit intutum alteri equum
uum commodare. Certè fuêre equi, qui quasi indignati,
lium nullum præter dominum suum admisêre. Plinius li-
bro VIII. cap. XLII. *Neminem*, inquit, *alium Bucephalus Re-
gio instratus ornatu quàm Alexandrum recepit in sedem, alios
nassim reijciens. Nec Cæsaris Dictatoris quemquam alium rece-
pisse dorso equus traditur.* Gregorius quoque, egregiâ sancti-
monià Pontifex, narrat equum, quem Nobilis quidam com-
modarat Ioanni Pontifici Maximo, ad Iustinum Cæsarem
proficiscenti, numquam deinceps feminam vllam dorso ve-
here sustinuisse. Iam medicinas nosse, equisque ægris facere
posse, saluberrimum fuit. Eas hîc perscribere (quod accuratè
lib. IV. Flaminius fecit) operæ non duxi. Extat Vegetij Renati
liber de Veterinariâ seu mulo-medicinâ; & (cuius labor perijt)
Absyrtus quidam olim copiosè id præstitit, auctore Suidâ.
ἱππιάτρους quoque equorum medicos, Valerius lib. IX. cap. XV.
Equarios appellat; indicio, Romanis fuisse non ignotos. Et
quî potuissent ignoti esse, cùm *Herophilus equarius Medicus,
C. Marium septies Consulem auum sibi vendicando, extulerit se
adeò, vt patronus à Collegijs ferè omnibus adoptaretur?* Porrò,
ad Decurionem etiam, *curam sanitatis tam hominum quàm equo-
rum pertinuisse*, Vegetius scribit lib. II. cap. XIV. *Sed rei mili-
aris periti*, inquit lib. III. cap. II. *plus quotidiana armorum exer-
citia ad sanitatem militum putauerunt prodesse, quàm Medicos.
Quare equites non solum in planis, sed etiam abruptis, & fossarum
siatu difficillimis semitis, seq; & equos suos assiduè exercere iusse-
runt.* Vtile medicinæ genus, sed durum, inquiet quispiam.

Femora enim atteri aduriq́ue equitatu, notum esse Plinius scribit lib. XXVIII. cap. XV. Ita habet, sed accipe ab eodem Medico sanitatem. *Vtilissimum est, ad omnes inde caussas spumam ex ore equi illinere.* Equus ergo quod affrictu læsit, spumâ lenit. Proba hæc medicamenta sunt, sed obseruet Magister equitum, prohibeatq́ue (quod inter equites solitum) ne quisquam, verbis in equi aurem insusurratis, pedum vitia sanet; ne quis solearum clauos incantet, aliáve id genus amuleta adhibeat. Ethnicorum sunt illa vestigia, qui Taraxippos colebant auertendis equorum pauoribus, Hipponas præficiebant custodiendis stabulis, certaminum præsagia sumebant ex equorum nutibus, superstitiosâ aspersione equos lustrabant. de quo ritu Vlpianus De his qui notantur infamiâ lib. IV. *Qui aquam equis spargunt.* Nam Philippus Rubenius lib. II. Elect. cap. XVIII. ea verba, aliter quàm Alciatus, de lustratione quadam accepit. Charisius lib. I. *Ad aquas an ad equas vocari, dici debeat, quæsitum est,* &c. *Melius ad equas. quòd olim greges equorum in circum inducebantur, ibiq́; per populum cursu aquabantur.* Procul superstitiosa hęc à Christiano equitatu habenda sunt. Ad Cælitum opem perfugium certius, medelaq́ue præsentior equorum in morbis. Strator quidam Valentis Imperatoris, equo ex Imperatorijs optimo, post equariorum omnium desperatas artes, salutem quærere non dubitauit ab sancto Aphraate etiamtum viuo. Is, post fusas Deo preces, cùm haustam è puteo aquam Crucis signo expiasset, equo bibendam præbuit. *Deinde cùm oleum diuinâ inuocatione implesset benedictione,* ait Theodoret. Philothei cap. VIII. *equi ventrem inungit, & manûs contrectatione statim morbus est sublatus.* Loquuntur affixa templorum tholis anathemata, qui Indigetes his malis auertendis aduocandi sint, ne ad impia veneficorum sacra adeatur. Addam tamen naturale medicamentum, paucis fortè, nisi Plinij lectoribus, notum. Is libro XXVIII. cap. XIX. *Dentes,* inquit, *luporum maximi equis adalligati, infatigabilem cursum præstare dicuntur.* Iam verbis Xenophontis (quæ ille de Re equestri) vltimam curando-

rum

rum equorum partem, Quietem nimirum, absoluo: *Optima videtur nobis institutio, vt equo quies contingat, postquam voluntati agitatoris obtemperauerit.* Hoc nempe se munere quasi laudatum sentiet ad benefacta; redibitque obsequentior ad consuetum laborem spe secuturæ quietis. Recentem sanè, non fessum in pugnam venire necesse est, aut *Canterius in fossâ*, instarque Lucilliani illius erit,

Succussatoris, tetri tardiq; caballi.

Sit modò equiti ea cura ad pugnam, quæ Caligulæ ad Circum. Is, Suetonio teste, pridie quàm ederentur Circenses, viciniæ silentium indicebat, ne somnus Incitati sui nocturno strepitu interrumperetur.

CAPVT IV.

Equitum veterum nouorumq; diuersa genera.

Decem ferè de caussis distincta equitum nomina: ob dignitatem, censum, genus pugnæ, genus armorum, munus, mores, patriam, præsidium, auctores, tempus. Dictum de singulorum generibus; de nominibus quoque equitatûs recentioris.

ROMANIS secundùm dignitatem *diuisi equites in Legionarios & Alarios*, ait Vegetius lib. II. cap. I. Diuersos certè fuisse, Liuius ostendit lib. XXXV. *C. Liuium Salinatorem*, inquit, *qui præerat Alarijs equitibus, quàm concitatissimos equos immittere iubet, & Legionarios equites in subsidijs esse.* En, vt apertè facit diuersos Legionarios ab Alarijs. Quinimò Legionarios fuisse Romanos, Alarios verò exteros auxiliares vel socios, idem indicat lib. XL. *Alarij equites*, inquit, *postquam Romanorum equitum tam memorabile facinus vidêre*, &c. Quâ sententiâ Alarios facit non Romanos. Vocabantur ergo *Legionarij equites*, ait Vegetius lib. II. cap. II. *quos legio proprios ac sibi insitos ijsdem matriculis tenet.* Iterùm cap. XV. *Legionarij vocantur, propterea quòd connexi sunt legioni.* Sic autem erant connexi, vt singulæ legionis cohortes (denæ erant) certum haberent sub se numerum equitum. *Prima, quæ à nu-*

mero milliaria dicta, equites loricatos CXXXII. *reliquæ* LX. Vegetius lib. II. cap. VI. Alarij dicti ab alis, in quibus locabantur, non quòd Legionarij quoque in alis non essent, sed vt à Romanis hoc nomine differrent. Tacitus Auxiliares appellat lib. I. Annal. *Legatos præsidio Auxiliarium equitum dimittit.* Iterùm lib. II. Equites Auxiliares *à Ciroualdâ Duce Batauorum.* Inter digniores quoque *Euocati* Romanis erant, qui *vltrò ac sponte in gratiam Consulum militabant*, ait Polyb. lib. VI. veterani nempe & emeriti. Quamquam aliam vocis vsurpationem Suetonius adscribit Galbæ. *Delegit*, inquit, *& equestris ordinis iuuenes, qui, manente aureorum annulorum vsu, Euocati appellarentur, excubiasq; circa cubiculum suum, vice militum, agerent.* Et hi haud dubiè *Palatini* seu *Domestici*, vt eos vocat Notitia vtriusque Imperij, sic à Palatio domoque Prætoriâ dicti. Rursus Alariorum nonnulli in *extraordinarios* equites excernebantur. *Extraordinarij verò electos significat*, ait Suidas. Sic autem eligebantur, auctore Polybio lib. VI. *De Alarijs accipiunt equitum in extraordinarios partem admodum tertiam, id est de sexcentis ducentos.* Iterùm educebant florem quemdam extraordinariorum, quos Polybius vocat *Ablectos extraordinariorum.* Tacitus alibi: *Electa auxilia. Promotos* equites sic dici in Notitiâ Imperij credo, à promotione. Erant & *Prætoriani equites*, sic appellati, quia Prætori, id est Imperatori, aderant. Imperatori enim fuisse nomen Prætoris, Varro lib. IV. de Linguâ Latinâ docet: *Prætor dictus, qui præiret iure & exercitu*, id est iuri & exercitui, ait Nonius. Hinc *Prætorium*, locus Imperatoris in castris; & in pedite cohors item *Prætoria*, quæ præstò erat Imperatori; quales deinde plurimæ. At plures equites Prætorianos olim non reperio turmâ vnâ. Salustius in Iugurthâ: *Marius cum turmâ, quam ex fortissimis magis quàm familiarissimis parauerat.* Suetonius Claudij cap. XXI. *Troiæ lusum exhibuit, & Africanos conficiente turmâ equitum Prætorianorum.* Meminit eorumdem Tacitus lib. I. Histor. Tranquillus in Caligulâ cap. XLV. & in Seuero Xiphilinus. Ammianus (vt lapsabat id æuum) *cohortem Regalem*

lem appellauit lib. XIX. *Sapor Persarum Rex portis obequitat cum cohorte Regali.* Turma erat, non *cohors. Stipendiarios* Vegetius *à factis crebris stipendijs digniores tironibus*, nominat lib. I. cap. I. *Non tantùm à tironibus, sed à stipendiarijs salutio equorum districtè est semper exacta.* quamquam *stipendiosos* ibi legi, quàm *stipendiarios*, non-nemo mauult. Illa ergo nomina dignitas fecit, hoc verò census imposuit. *Equites equo publico.* Plinius lib. XXXIII. cap. I. *Equitum nomen subsistebat in turmis equorum publicorum. Militares* hos appellauit Horatius lib. I. Odâ VIII.

Cur neque militaris
Inter æquales equitet? ——

Prætereà *Ducenarios* è minore censu instituit Augustus, teste Suetonio cap. XXXII. Hi nempe equestrem ordinem faciebant apud Romanos, vti dicendum lib. V. cap. I. Alia nomina varius pugnandi modus equiti tribuit. *Monippi* dicti, qui vnico pugnabant equo. Hos Palæphatus *Celetes* vocat, vt & Plinius lib. XXXIV. cap. V. Seneca *Singulatores* ab equo singulari lib. II. de Benef. cap. XXIII. Sic Festus quoque: *Celsus ex Græco κέλης eques dictus.* Scholiastes Græcus: Κέλης ἵππος μονάμπυξ. id est, *celes equus non iugatus.* Papias in Vocabulario: *Aureax equus solitarius.* Sed *Homerus vnico equo pugnantes equites non nouerat*, ait Pollux lib. I. cap. X. caussam indicaui Cap. vltimo Lib. I. *Amphippi* Polluci sunt, *qui binos equos habebant, quorum alter alteri adiungebatur.* quo loco malè ἄνιπποι, vt Cælius monet; cùm alij sint Anippi, quàm Amphippi, vt mox dicam. Hesychius, *Hamippos*, inquit, *vocant equos pares coniunctos sine iugo.* De Amphippis Suidas quoque: *Amphippi dicuntur desultores, qui duobus equis iunctis sellâ & ephippio carentibus vehuntur.* Ælianus denique lib. de Aciebus: *Istro amni vicinos populos Amphippos vocant, à mutatione equorum.* Romani morem secuti sunt, auctore Festo in Paribus. *Paribus equis*, inquit, *id est duobus, Romani vtebantur in prælio, vt sudante altero, transirent in siccum. & Pararium æs appellabatur, quod equiti duplex pro binis equis dabatur.* In exercitu Hannibalis

Taren-

Tarentinos vocabant, duos secum trahentes equos, ait Liuius libro XXXV. Desultoris officium C. Iul. Hyginus expressit Fabularum cap. LXXX. *Romani seruant institutum, cùm desultorem mittunt. Vnus duos equos habet, pileum in capite: ex equo in equum transilit.* quæ ferè verbis totidem repetita ab Isidoro lib. XVIII. cap. XXXIX. Pulchrè quoque Manilius lib. V.

Nec non alterno desultor sidere dorso
Quadrupedum, & stabiles poterit defigere plantas:
Per quos vadit equos, ludit per terga volantum,
Aut solo vectatur equo. ——

Neque infeliciùs Manilio Silius lib. XVI.

Milite non illo quisquam felicius acri
Insultabat equo; vel si resupina citato
Proiectus dorso ferret cùm membra; vel idem
Si nudo staret tergo, cùm rapta volucri
Transigeret cursu sonipes certamina campi.

Illustre Amphippi seu desultoris exemplum est M. Sergius, qui, vt Solinus scribit cap. VI. *duobus stipendijs; primo, aduerso corpore ter & vicies vulneratus; secundo stipendio, dextram in prælio perdidit. quâ de causâ ferream sibi manum fecit: & cùm neutra pænè idonea ad præliandum valeret, vnâ die quater pugnauit, & vicit sinistrâ, duobus equis eo insidente confossis.* Et Titum Imperatorem hîc omisisse sit nefas. *Ille legioni præpositus, quadam acie, equo sub feminibus amisso, inscendit alterum vacuum, cuius rector contra se dimicans occubuerat,* ait Suetonius cap. IV. *Trimarcisij* dicuntur, qui tribus singuli vtuntur equis, apud Pausaniam lib. X. Galli sic in Græcos ibant, Duce Brenno. *Fuêre,* inquit, *supra sexaginta equitum millia amplius mille ducenti. Nam singulos equites duo famuli sequebantur in equis, & ipsi equestrium artium maximè gnari. Ii, præliantibus dominis, in extremâ acie consistentes, ei erant vsui; vt, si fortè equus esset amissus, statim suum submitterent: si vir concidisset, seruus in eius locum succederet: quòd si vtrumque belli impetus euertisset, iam præsto erat tertius, qui pro mortuis locum teneret. Iam verò, si vulnera primarius ille accepisset, è secundarijs alter ex acie illum sub-*

duce-

ducebat, alter verò saucij vicem obibat, &c. *Atque hanc institutionem voce patriâ Trimarcisiam nominant: equum enim Marcam appellant*. Fuit is quoque Numidis mos, auctore Liuio lib. XXIII. *quibus Desultorum in modum binos trahentibus equos* (ergo tertio insidebant) *inter acerrimam sæpè pugnam in recentem equum ex fesso, armatis transultare mos erat: tanta velocitas ipsis, tam docile equorum genus*. Ternos item equos Quadis & Sarmatis assignat Marcellinus lib. XVII. *Insidendo velocibus equis & morigeris, trahentes singulos interdum & binos, vti permutatio vires foueat iumentorum, vigorq; otio integretur alterno*. Sed & *Teutobochus Rex quaternos senosq; equos transilire solitus, vix vnum, cùm fugeret, mutauit*, teste Floro lib. III. cap. III. Desultores ergo erant hi omnes, qui ex equo transiliebant in equum; eorumque equi *Desultorij* Suetonio in Iulio, dicti. quales & Indorum fuisse Herodotus scribit lib. VII. *Indi*, inquit, *equos Desultorios agebant*. quorum mentio quoque apud Artemidorum lib. I. Oneiroc. cap. LVIII. vbi equum κέλητα seu singularem vocat, vt Pindarus sæpissimè. Sed aliud equitum Desultorum genus erat, qui vnico cõtenti equo, subinde desiliebant ad pedes, pugnabantque pedestri prælio perinde atque equestri. *Celtiberi, duobus gladijs accincti, quando equestri certamine superiores euasêre, ex equis desiliunt, pedestremq; adiuuant pugnam*, ait Diodorus Siculus lib. V. cap. IX. De Hispanis Liuius affirmat lib. XXIX. initio: *Non sustinuissent tam infestum impetum* (Hispani) *ni Regulus ipse Indibilis, cum equitibus ad pedes degressis, ante prima signa peditum se obiecisset*, &c. *Plures cæsi, quia equos conscendendi spatium non fuerat*. De Germanis Cæsar lib. IV. Bell. Gall. *Hostes vbi primùm nostros equites conspexerunt (quorum erat quinque millium numerus, cùm ipsi non amplius octingentos equites haberent) nihil nostris timentibus*, &c. *impetu facto, celeriter nostros perturbauerunt; rursus resistentibus nostris, consuetudine suâ ad pedes desilierunt; suffossisq; equis, compluribus nostris deiectis, reliquos in fugam coniecerunt*. Sueuis certè Germaniæ populis vulgare id Cæsar scribit libro IV. de Bello Gallico cap. II. *Equestribus prælijs sæpè ex*

equis desiliunt, ac pedibus prœliantur, equosq; eodem remanere vestigio assuefaciunt, ad quos se celeriter, cùm vsus poscit, recipiunt. Insolens mihi visus Daharum mos, qui bini equo vno desultabant (vt alij equites singuli equis binis aut ternis) bello Alexandri, quod Curtius memorat lib. VI. *Siluestre iter aptum tegendis insidijs erat. Ibi Dahas condidit. Equi binos armatos vehunt, quorum inuicem singuli repentè desiliunt, equestris pugnæ ordinem perturbant. Equorum velocitati par est hominum pernicitas.* Opportunum horumce Desultorum institutum, vbi incidit necessitas pugnæ, neque tamen equitabiles adsunt campi. Sed quis credat tam morigeros vspiam fuisse equos, qui in bellico illo fremitu, vacui sessoribus non terrerentur, non fugerent, verùm in vestigio remanerent? Næ equites ipsi nostri tam audientes dicto non sunt, absente Præfecto, atque illi equi Germanorum. Attamen sic assuefactos, sic doctos fuisse militares equos credendum est, cùm vsitatissima Barbaris iuxtà ac Romanis & Græcis ea fuerit Desultorum pugna, quorum singulis seruulum fuisse, aut stratorem retinendo equo, nullus credat. Vt lixas aliquot, aut equarios id curasse autumem, haud grauatè adducor; sicut de Dimachis Alexandri, Pollux mox citandus scribit, hodieque seruandis equis Velitum nostrorum (quos *Drageons* vocant) pauci sunt appositi custodes: illorum iumentis quoque, quos Flaminius à Cruce Franquos Musquetarios appellat, equites duo præponuntur. Sic ergo Celeres Romanorum desiliebant, auctore Dionysio lib. II. *Celeres*, inquit, *sæpè in prœlijs victoriæ auctores erant, quòd & pugnandi initium facerent, & omnium postremi recederent, & ex equis pugnarent, vbi campus ad equestre certamen esset commodus; pedibus verò, vbi incommodus. Hunc autem morem Romulus mihi videtur à Lacedæmonibus accepisse, postquam cognouit, & apud illos generosissimos quosque iuuenes Regum satellites fuisse, quorum operâ illi vterentur in bellis, vt sibi & in equestri & in pedestri pugnâ propugnatores essent.* Quæ postrema verba notanda sunt, vt antiquiores Romanis Lacedæmones fuisse equorum Desultores sciatur. De ijsdem Roma-

Romanis bello Latino Liuius lib. 11. *Tum ad equites Dictator aduolat, obtestans, vt fesso iam pedite, descendant ex equis, & pugnam capessant. Dicto paruêre. Desiliunt ex equis, prouolant in primum, & pro antesignanis parmas obijciunt: & tum demum impulsi Latini, perculsaq; inclinauit acies. Equitibus admoti equi, vt persequi hostem possent.* Iterùm lib. 111. bello Sabinorum in Romanos: *Equites duarum legionum sexcenti ferè ex equis desiliunt, cedentibusq; iam suis, prouolant in primum, simulq; & hosti se opponunt: & aequato primùm periculo, pudore deinde animos peditum accendunt. Verecundiæ erat, equitem suo alienóque Marte pugnare, peditem, ne ad pedes quidem digresso equiti parem esse.* Rursus lib. 1v. bello Romanorum in Volscos: *Sext. Tempanius Decurio equitum, cùm magnâ voce exclamasset, vt equites, qui saluam Remp. vellent esse, ex equis desilirent; omnium turmarum equitibus, velut ad Consulis imperium motis, Nisi hæc, inquit, armata cohors sistat impetum hostium, actum de Imperio est. Sequimini pro vexillo cuspidem meam; ostendite Romanis Volscisque, neque equitibus vobis vllos equites, neque peditibus esse pedites pares. Cum clamore approbata adhortatio est. Vadit, altè cuspidem gerens, quacumque incidunt, vi viam faciunt. Eò se inferunt obiectis parmis, vbi suorum plurimum laborem vident. Restituitur omnibus locis pugna, in quæ eos impetus tulit: neque dubium erat, quin, si tam pauci simul obire omnia possent, terga daturi hostes fuerint.* Denique lib. xxxix. *Fugientem in castra equites persecuti sunt, & permisti turbæ hostium intra vallum penetrauerunt. vbi ab relictis in præsidio castrorum prælium instauratum, coactiq; sunt Romani equites descendere ex equis,* &c. *Cæduntur passim Hispani per tota castra,* &c. *Pro concione postero die laudati donatiq; à C. Calpurnio equites phaleris, pronuntiauitq; eorum maximè operâ hostes fusos, castra capta & expugnata esse.* Est & apud Frontinum lib. 11. cap. 111. exemplum equitum desilientium ad pedes, pugnantiumque, sub Cæsare Germanico. Feliciter quidem subinde; quamquam verissimum aliàs esse censeam, quod Hirtius fatetur lib. de Bello Hispanico: *Ferè apud exercitus hæc est equestris prælij consuetudo, cùm eques ad*

dimicandum dimisso equo cum pedite progreditur, nequaquam par habetur, id quod in hoc certamine accidit. Suâ enim in arte quisque valet plurimùm, minùs in alienâ. Atque his locis omnibus nulla stratoris, aut seruuli, aut equisonis, qui vacuum domini equum teneret, mentio aut vestigium. Docti ergo erant remanere sessoribus vacui, paucorum custodiæ relicti; quod Liuius insinuat lib. 11. bello Latino, vbi scribit, *Equitibus* (qui ad pedes desilierant) *equos denuò admotos, vt persequi hostem possent*, planè vt singulis suus redderetur equus: aut certè ipsi repeterent & internossent; quod indicat lib. xxii. de Cannensi clade: *Equitum pedestre prælium fuit, quale iam haud dubiâ hostium victoriâ; cùm victi mori in vestigio mallent, quàm fugere, & inde dissipati omnes sunt, equosq; ad fugam, qui poterant, repetebant.* At quomodo poterant internosse quisque equum suum? Nimirum id promptum equiti, quotidie equum suum tractanti, videnti, inscendenti, etiamsi in turmâ magnâ similium aut gemellorum. Quamquam vix dubitem, singulos certo ordine equos dimisisse cum equitio reliquo turmalium suorum: vt fieri nunc debere ostendunt tabulis suis VValhausius & Flaminius à Cruce. Non negem tamen, certius fuisse Alexandri Macedonis inuentum, quod Pollux ei tribuit lib. 1. cap. x. *Erat*, inquit, *alia equitum species* διμάχων *(Alexandri inuentum) leuiorem peditis armaturam, & grauiorem equitis habentes apparatum, ad vtramque expediti pugnam, pedestrem scilicet & equestrem; vt in locis, equis conuenientibus, equitarent; si verò in loca equis non peruia venirent, ne imbelles omnino essent, & malum Lydium paterentur; equum famulus quidam, sedulò ob hoc sequens, ab eo recipiebat; hic verò ab equo descendens continuò armatus consistebat.* Profectò sapienter: nam Martiales illos equos quis non vereatur turbaturos aliquid absente magistro, si vel equæ paucæ interfint equis coleatis?

Nónne vides vt tota tremor pertentet equorum
Corpora, si tantùm notas odor attulit auras?
Ac neque eos iam frena virûm, neque verbera sæua,
Non scopuli, rupésque caua, atque obiecta retardant

Flumi-

Flumina, correptos vndâ torquentia montes?

Id tamen de seruulo stratore Curtius non narrat, vbi Dimachas describit lib. v. *Alexander delectis equitum sex millibus, trecentos (quos Dimachas appellabat) adiungit. Dorso hi arma grauia portabant; ceterùm equis vehebantur: cùm res locúsque poscceret, pedestris acies erat.* Audin'? ne verbum de seruo equorum custode. At Pollucem eâ re non damno: nam Philippus, teste Frontino lib. 1. cap. 1. equitibus singulis singulos calones concessit. Zengitis quoque Callisthenes seruos singulos. duos etiam Desultoribus singulis, Pausanias lib. x. Aliter Celtiberi conabantur sine seruulo, vacuorum equorum quieti prouidere. *Hi*, si Suidæ credimus in voce Ἴδιον, *proprium hoc habent in pugnâ, vt cùm pedites suos laborare viderint, ex equis descendentes in aciem, equos ordine stantes relinquant. Extremis enim de loris equorum paruos clauos suspendunt, eósque studiosè defigunt: itáque parère docent equos, & ordine stare, dum reuersi clauos reuellerint.* Parui claui quomodo tenuerint equos? Nam terræ infixi tenere quî potuêre? An arboribus reuincti? vbi tot arbores in campo quolibet vel agro? Prisci *Velites* verè *anippi* dicendi sunt, hoc est, equitibus iuncti. Vt enim Desultores illi veri equites erant, qui de pedibus pugnabant; ita Velites veri pedites erant, sublati tamen in equos, vt equitibus eâdem celeritate adessent, eosque in pugnâ de pedibus iuuarent. Tales eos Valerius describit lib. II. cap. III. *Velitum vsus eo primùm bello repertus est, quo Capuam Ful. Flaccus Imperator obsedit: nam, cùm equitatui Campanorum, crebris excursationibus equites nostri, quia numero pauciores erant, resistere non possent, Q. Nauius Centurio è peditibus lectos expediti corporis, & veloce saltu iungere se equitibus, & rursus celeri motu relabi instituit, quò faciliùs equestri prælio subiecti pedites, viros pariter atque equos hostiũ telis incesserent.* Quod hîc Valerius subobscurè dicit, *equitibus se iungere, & rursus relabi*; Liuius explicatè scripsit lib. XXVI. *Ex omnibus legionibus electi sunt iuuenes maximè vigore ac leuitate corporum veloces*, &c. *eos singulos in equos suos accipientes equites, assuefecerunt & vehi post se, & desilire perniciter, vbi si-*

gnum datum esset. Igitur equites erant ante pugnam, pedites plerumque in pugnâ: nam & ex equis pugnasse subinde, Vegetius indicat lib. III. cap. XXIV. *Velites*, inquit, *iuuenes erant, leui armaturâ, corpore alacri, qui ex equis missilia optimè dirigebant*. auctoritate fortè Dionysij, qui lib. II. cap. II. scribit, *ex equis pugnasse Celeres, vbi campus ad equestre certamen erat commodus*. quamquam Celeres multò Velitibus sunt antiquiores. Velitibus similes Ferentarij nostri Drageons, nisi quòd paulò etiam digniores; quippe qui soli proprijs equis vectantur, cùm illi alienis, & post singulorum equitum terga. Sat varium hucusque equitum genus à pugnandi diuerso more. Iam munus vt multiplex, sic multa quoque nomina fecit. In primis *Comitatensibus* à comitando, quorum plurimæ vexillationes numerantur in Notitiâ Imperij. Sic *supernumerarij equites* & *superflui* à munere Vegetio vocantur lib. III. c. XVIII. qui belli Ducibus præstò sunt, vt in omnem partem subsidio mittantur; superflui nempe turmis constructis; ne, si aliunde decerpantur, eâ parte fòrs aciem debilitent abstracti. *Subsidiarios* passim Historici appellant. Vt enim Varro lib. IV. Ling. Latin. ait, *Subsidium* dictum, *quia Triarij subsidebant*, prioribus ordinibus in pugnam successuri. sic equites subsidiarij, qui fessis integri submittebantur. *Cursores equites*, vt ex Mauritio quodam Græco Turnebus docet lib. XXII. Aduersus. cap. XVI. *qui ante agmen & aciem excurrebant. Defensores, qui nec ex acie exeunt, nec excurrunt*, auctoritate eiusdem Scriptoris. *Ferentarij equites* appellati, auctore Varrone, *quòd fundis lapidibusq; pugnarent, quæ tela feruntur, non tenentur*. vel, si maior Festo fides, *à ferendo auxilio, quòd quidquid opus esset, auxilio ferrent*. vnde nomen habent & à munere, & ab armis, vt mox ex Æliano. *Pabulatores*, Liuius lib. VIII. Decad. IV. *Magna pars oppressa foret, ni statio Pabulatorum, sexcenti equites occurrissent*. Pro armorum genere distinctus quoque eques. *Equestres copiæ*, inquit Ælianus libel. de Acieb. *modo armatura inter se distant. Pars enim armis tota obsepta est, & hinc cataphracti. Pars non tota armis tegitur*, &c. *Partis non cataphractæ, alij*

Hastati

Hastati habentur, alij Ferentarij. Hastati, qui manus conserunt, & hastâ cominus decertant: quorum alij scutum gerunt, & inde scutati dicuntur; alij sine scuto solâ hastâ pugnant, qui nomine speciali Hastati vocantur & Contati. Ferentarij equites ij dicuntur, qui eminus solent dimicare: quorum alij iaculis, & vocantur Tarentini; alij arcu, qui sagittarij & Scythæ vocantur. Tarentinorum duo sunt genera. Alij longiùs iaculantur, & Iaculatores, ac speciali nomine Tarentini vocantur: alij, cùm semel aut bis iaculum miserint, cominus pugnare incipiunt, &c. *Leues hos nominari solitum est.* De Leuibus meminit & Appianus in pugnâ Africanâ cum Hannibale. *Scipio,* inquit, *iussit Italicos equites ab equis desilire leuiùs armatos.* Suprà Lib. 11. Cap. 1v. de Arquitibus, Hippotoxotis, Hippacontistis, Scutarijs, Clibanarijs, Cetratis, Armigeris, Restiferis & Iaculatoribus equitibus dictum. Mores præterea equitibus nomina indidêre: nam *Feroces equites* à ferociâ, & *Alites* à celeritate dictos, Notitia recenset. Imò iam venia mihi petenda est, vt Grammaticarum aurium pace liceat barbara pleraque equitum nomina ex eâdem Imperij Notitiâ proferre, ne indiligens habear, qui pro suscepto studio nihil debui videri omisisse, quod ad equestrem militiam spectaret. A patriâ igitur (vt notissima nomina omittam Marcomannorum, Arcadum, aliorumque) *Taifali* equites, & *Stablesiani* vel *Stabliani,* qui Galliæ populi. *Equites Bastai* (quos Dion in Hadriano scribit *armatos transnasse Danubium)* fortè etiam à loco aliquo dicti. *Passerentiaci,* ab vrbe Passerâ. *Brachati,* à Brachâ Hispaniæ oppido. *Cordueni* seu *Cordubeni,* à Cordubâ. *Ala Treuirensium* Tacito. Sic à præsidijs quibus equites imponebantur, *Ala secunda Armeniorum, Oasi minore. Ala prima Abasgorum Oaseos maioris.* Oases vrbes duæ sunt Ptolomæo, quarum maior proxima est Abydo. Auctores equitibus quoque nomina reliquerunt: Theodosius *Ala Theodosiana, Constantiacis* Constans, *Honorianis* Honorius. Sic *Ala Petrina, Scriboniana,* Tacito ab auctoribus nominatæ. Ordo denique temporis Alas numeris distinxit, in *primam, secundam,* aliasque deinceps; in

equi-

equites Seniores & Iuniores, in *secundo, sexto, octauo Dalmatas*, aliaque id genus portenta veriùs quàm nomina; quæ audientur Libro IV. Equites æui nostri, præter Lancearios, ab armis recentibus noua quoque nomina inuenêre. Quirassarij, seu Corassarij, annis abhinc LX. in Galliâ nati, Lancearijs ob exhaustam bello Nobilitatem deficientibus succeſſêre, ait Ioannes Iacobus VValhausius lib. II. cap. II. sic dicti sunt à Corasså, seu Cuirasså, vt Liuio *loricati equites*, *à loricâ*, quæ idem significant. lorum enim appellationem loricæ dedit; corium, corassæ; Gallicum *cuire*, cuirassæ. Hi pro Lancearijs substituti, hoc solo ab his differunt, quòd sclopo vtantur pro lanceâ, & gradario succussarioque equo pro expedito. Hinc Quirassarij faciliùs Lancearijs reperti, adeoque plures; nam minore eis opus peritiâ, minorisque impendij equo, præ dexteritate splendoreque Lancearíorum. Campi etiam Belgici montuosi, non raræ siluæ & lutosa itinera, palustre tenaxque solum, Lancearijs inequitabilem fecêre terram. his de caussis ferè etiam exoleuêre. Arcabusarij equites ijdem qui Carabini & Bandularij. Arcabusium enim fistulam instar arcûs significat, quam Pedemontani inuentores Carabinum appellarunt. Quia verò è torque (quem *Bandulier* vocant Galli) ea fistula suspenditur, Bandularij quoque dicti sunt. Musquetarij & Hastati seu Piquarij equites, reuerà Velites sunt, qui non nisi pedibus pugnant; equis impositi per iter, ad celeritatem, ne equites morentur; communi nomine *Drageons* appellantur, cuius mihi caussa obscura est. Musquetarij Franqui, quos Flaminius à Cruce instituit, nouum omnino nomen sunt; dubium an feret ætatem. De horum aliorumque armis actum Lib. II. Cap. IV.

CA-

CAPVT V.

Equitatûs diuiſio.

Legionarij diuiſi in Centurias : Socij & Auxiliares in Alas. Centuriæ & Alæ iterùm in Turmas & Decurias. Centuriæ initiò tres, Turmæ decem, Decuriæ triginta, in qualibet Legione. Aucti deinde equites, auctus & numerus Centuriarum, Turmarum, Decuriarum. Æliani partitio & Lycurgi in Οὐλαμάς. Turmæ & Alæ vnde dictæ. Alæ non plures duabus. Agema Macedonum, & Alæ ſacræ quid. Quæ noſtri equitatûs diuiſio. Quid Globus ſeu Drungus.

ROMVLVS *trecentos Legionarios equites* (quot initiò numerabantur) *diuiſit centurijs tribus. Rhamnenſes à Romulo, ab Tito Tatio Titienſes appellati. Lucerum nominis & originis cauſſa incerta eſt*, ait Liuius lib. 1. Deinde fecit equites ſexcentos, centurijs tamen non ampliùs tribus, auctore Plutarcho. Mox Tarquinius Priſcus, centurijs Romuli tribus addidit alteras tres, equite duplicato in mille ducentos. Denique Seruius, inſtituto cenſu equitum ex primoribus ciuitatis, ſcripſit centurias XII. teſte Liuio libro 1. Fuêre igitur tum centuriæ XVIII. Legionariorum. Hos legionis cuiuſque equites diuidebant *turmis denis*, ait Polybius lib. VI. (vbi *alas* minùs rectè Laſcaris vertit) nempe vt in legione qualibet decem erant peditum cohortes, ita cuilibet cohorti ſua fuit annexa turma, vt Vegetius lib. II. cap. VI. Cauſſam conſilij huius reddit eiuſdem lib. cap. XXI. *Per hanc contextionem in legionibus & cohortibus equitum peditúmque, ſeruabatur vna concordia*, &c. *nam ita Legionarij equites cohortes ſuas contubernij affectione venerantur, cùm naturaliter equites à peditibus ſoleant diſcrepare.* Placuit & Barbaris Romana partitio, fuereque imitati. Liuius lib. X. Decad. III. cap. XI. *Syphax equites in turmas, pedites in cohortes, ſicut quondam ab Romanis centurionibus didicerat, diſtribuit.* Quid igitur turma? *Terma eſt*, inquit Varro lib. IV. Ling. Lat. *E in V abijt, quòd terdeni equites ex tribus tribubus, Tatienſium, Rhamnium, & Lucerum, fiebant.* Polybius

non facit turmas numero maiores. Vegetius lib. II. cap. XIV. auget equitibus duobus. *Habet*, inquit, *turma equites triginta duos*. Capite verò VI. turmam adnexam cohorti primæ seu milliariæ, facit *equitum centum triginta duûm*: reliquas autem nouem, singulas *sexaginta duûm*. Ælianus aliter turmas equestres partitus est lib. de Aciebus. *Omnes turmæ*, inquit, *constituentur sexaginta quatuor. Equites quatuor millia nonaginta sex*, &c. *Turma constet equitibus sexaginta quatuor; duæ turmæ Epilarchiam, hoc est, turmam duplarem, constituunt equitum* CXXVIII. *duæ duplares Tarentinam reddunt, equitum* CCLVI. *duæ Tarentinæ Magisterium, equitum* DXII. *duo Magisteria Ephipparchiam, equitum* MXXIV. *duplicata in duplare Magisterium, Telos, equitum* IIMXLVIII. *duplicatum Telos, Epitagma. Id summam ordinis siue agminis facit, equitum quater mille nonaginta sex*. Aliter distributi fuêre Lacedæmonum equites in Οὐλαμούς, ex Lycurgi instituto. Οὐλαμὸν verò scribit Plutarchus Vitâ Lycurgi, fuisse turmam equitum quinquagenûm acie quadratâ constructam, meminitq; eiusdem Hesychius. Ita Nicol. Cragius lib. IV. Reip. Lacedæm. Sanè & Romani, sicut singularum centuriarum equites centenos auxerunt in ducentos, ipsas item centurias ternas in denas octonas; sic etiam deinde auxêre paullatim equites triginta singularum turmarum, ipsasque turmas denas, in turmas plures. De turmis auctis in duodenas, Tacitus lib. II. Historiarum: *Duodecim turmæ equitum aduersus hostem iêre*. De turmalibus auctis, Ammianus lib. XVIII. *Duarum turmarum equites circiter septingentos*. Iam ergo equites vnius turmæ, de triginta, aucti in trecentos circiter & quinquaginta. Idem vsu venit decurijs, quæ ternæ initiò in turmis singulis, denûm singulæ equitum, & ipsæ namque multiplicatæ sunt; & præterea decuriæ nomen Ælianus tribuit equitibus sexdecim sub vno Decurione. Adeò nomina abierunt à primo suo significatu centuriæ, turmæ, decuriæ; quæ iam nec centuriæ, nec turmæ, nec decuriæ sunt numero illo prisco, vnde primum duxêre nomen; sed corpora sunt maiora, nominibus tamen ijsdem appellata.

pellata. Vt ad caput redeam numeri equeſtris; initiò apud Romanos *trium millium primò legio fiebat, ac ſingulæ tribus Tatienſium, Rhamnium, Lucerum, millia ſingula militum mittebant*, ait Varro lib. IV. Linguæ Latinæ. Hiſce ſingulis millibus peditum videbantur additi equites centeni. Polybius lib. VI. *Equites faciunt trecentos in ſingulas legiones*, nempe ex quaque tribu centum. Is ergo antiquus numerus Romanorum equitum. Auctis deinde legionum peditibus in quatuor millia, non ſtatim item equites aucti in quadringentos. nam ex Liuio obſeruo non vno loco, retentum equitum Legionariorum numerum, poſt peditum incrementa. Lib. III. *Decem legiones quaternûm millium & ducentorum peditum, equitum trecentorum.* Lib. VIII. *Scribebantur quatuor ferè legiones quaternis millibus peditum, equitibus in ſingulas trecenis.* Sed diu pòſt, ac ſenſim lib. XL. *Nouam legionem quinque millium & ducentorum peditum equitibus quadringenis Conſules ſcribere iuſſi.* Vbi tamen equitum centenarij, milliarijs peditum vno centenario adhuc minores. Ad ſociorum auxiliares equites venio. Hos primus, quod ſciam, Romanis iunxit Tullius Hoſtilius, dirutâ iam Albâ. Liuius lib. I. *Equitum turmas decem ex Albanis legit.* Niſi quis dicat, Albanos iam non ſocios, ſed Romanos factos, Albâ totâ Romam immigrante. Socij porrò auxiliareſque equites diuiſi in *alas*. Alares enim propriè equites, non Legionarij; quamquam ſubinde Legionarij etiam in alâ poſiti, vt Lipſio obſeruatum. *Dictæ alæ*, auctore Cincio apud Gellium lib. XVI. cap. IV. *quòd circum legiones dextrâ ſiniſtráque tamquam alæ in auium corporibus locabantur.* Duplex ergo ala, dextra & ſiniſtra, à ſitu. Cùm *octo equitum alas* Tacitus numerat lib. I. Annalium, turmas intelligit; ſicut Laſcaris Polybij ἴλας vertit in *alas*, pro turmas. Varijs autem nominibus hæ alæ ſeu turmæ fuêre appellatæ, nempe vel à nomine Præfectorum, vel gentium, vel municipiorum: quæ nomina Lazius collegit lib. VI. de Rep. Rom. cap. II. noſque iam attigimus ex Tacito Capite præcedenti. Eædem alæ deinde *vexillationes* dictæ, auctore Vegetio lib. II. cap. I. Nu-

merus verò ſociorum equitum duplex præ Romano erat. id Polybius lib. VI. indicat: *Multitudo ſociorum peditum par quidem legionibus Romanis, vt plurimum equitum dupla.* Cauſſam Lipſius adfert, quòd ſocij latè per oppida, per agros ſparſi, faciliùs equos ſuppeditarent & alerent; Romani contrà, anguſtè clauſi, paucos id temporis haberent equeſtri cenſu præditos. Quantæ verò hæ ſociorum alæ? Facilis coniectura eſt. Nam, ſi ſocij equites dupli ad Romanos, nimirum ſexcenti, demendo de his ducentos extraordinarios (vt ſuperiore Capite ex Polybio dictum) ſupererunt in alam ſocialem equites quadringenti; ſubinde tamen plures. apud Liuium libro x. *Campanorum ala quingenti equites. Numidarum ala equites quingenti.* Quin & *milliaria ala* apud Hyginum, & in lapide priſco, PRAEF. ALAE BRITANNICAE MILLIARIAE. Hæ ſociorum alæ diuiſæ quoque in turmas & decurias, vt Romanorum centuriæ. Tacitus lib. II. Hiſtor. *Quatuor equitum turmas, vniuerſam alam Treuirorum cum Iulio Claſſico miſit.* Hyginus: *Ala habet turmas ſexdecim; Decuriones & reliqua, prout numerum turmarum.* Sed diuerſus à Romano mos fuit quorumdam exterorum in conflandis turmis: nimirum, quò ſingulæ firmiores eſſent, arctioreque concordiâ vinctę, vnius gentis cognationiſve equites in turmam colligebant, alienis omnibus excluſis. Ita Macedones ſoliti, teſte Curtio lib. v. *In diſciplinâ quoque militaris rei,* ait, *pleraque Alexander à maioribus ſumpta vtiliter mutauit. Nam, cùm antè equites in vnam quiſque gentem deſcriberentur, ſeorſim à ceteris; exempto nationum diſcrimine, Præfectos non vtique ſuarum gentium, ſed delectos attribuit.* Tacitus Germanis tribuit libro de eorum Moribus: *Quodq; præcipuum fortitudinis incitamentum eſt, non caſus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, ſed familiæ & propinquitates.* Prætereundum non duxi equitatum Macedonum, quem *Agema* vocabant, de quo Curtius lib. IV. *In dextro cornu locati ſunt equites, quos Agema appellabant.* Iterùm lib. v. *Ipſe cum armigeris & alâ, quam Agema appellabant, arduâ ſemitâ proceſſit.* Eamdem vocem Paullus Leopardus lib. I.

Emen-

Emendat. cap. XXIII. restituit tribus locis Polybij, quibus *agenia* & *agnema* legebatur. Tribus item Liuij, quos Marcellus Donatus in Dilucidationibus Liuianis quoque adnotauit. Liuius lib. XXXVII. *Addita his ala mille fermè equitum; Agema eam vocabant.* Iterùm lib. XLII. *Duo erant agemata, hanc ipsi legionem vocabant.* Ibidem denique post pauca: *Medius omnium* (Perseus) *Rex erat; circa eum agema, quod vocant, equitumq; sacræ alæ.* Ex his omnibus Scriptorum locis, quædam de agemate colliguntur certa, quædam relinquuntur ambigua. Certa sunt, Primò, Agema esse numerum equitum. Deinde, Duo agemata vocari & facere vnam legionem. Tertiò, Agema esse equitum ferè mille. Obscura & ambigua manent, Primò, An agema etiam sit peditum conglobatio, vt hîc dicitur esse numerus equitum. Deinde, Vnde dictum sit agema. Hæc postrema duo doctè studioseque explicauit Raderus noster lib. IV. Curtij, cap. XXXII. allatis variorum Auctorum testimonijs. Eustatius ergo de vocis origine, *Agema*, inquit, *est vox militaris, ducta ab ἄγω duco, vel potius ab ἀγῶ, ἀγάσω, hoc est, admiror.* Deinde, peditum iuxtà atque equitum esse affirmat. *Agema est acies equitum & peditum selectorum apud Macedonas, eò quòd esset ἀγαστὸν, hoc est, admiranda.* Quibus paria ferè Suidas attulit voce Ἄγημα. *Acies*, inquit, *elephantorum, equitum, peditum, quæ Regem præcedit.* Et accuratè obseruandum id esse, monet Raderus, Agema nunc peditum nunc equitum agmen dici; & hoc quidem Curtij loco disertè vocari equitum, at mox lib. v. cap. x. *Alam, quam agema appellabant*, necessariò de pedite esse intelligendam; quòd nempe arduâ illâ semitâ, quâ Alexander hanc alam ducebat, eques incedere non potuerit. Dissentire nolo cum doctissimo Patre Radero; at si ei adessem, veritatis, non contentionis studio interrogarem, An quò Alexander eques, & Lysimachus equo vehens, penetrarunt, ipsomet iudice (lib. v. Curtij cap. x.) eò non potuerint transire alij equites. Et, An credibile sit, Alexandrum tam ignoto, tam periculoso itinere absque alâ equitum incessisse. Mihi certè NON LIQVET. Quæ verò alæ illæ

ſacræ, de quibus Liuius libro XLII? Si diuinare licet, equites præſtantiſſimi Macedonum, qui vel Regi erant à cuſtodiâ, & ſic ſacri dicti, ſicut Homero ἱερῳὶ φύλακες, *ſacri cuſtodes:* vel ſocietas equitum inter ſe ſacramento aut amore deuinctorum, vt Epaminondæ ἱερὸς λόχος, id eſt, *ſacra cohors*, Thebanorum, quæ, auctore Athenæo lib. XIII. conſtabat amantibus ſolis & amatis; in quibus ob ſingularem fidem totius equitatûs robur, vt de Soldurijs ſeu Deuotis Aquitaniæ ſcribit Cæſar lib. III. Bell. Gall. *Sacram hanc cohortem primus, vt narratur, Gorgidas compoſuit è viris trecentis*, ait in Pelopidâ Plutarchus. Addo diuiſionem equitatûs noſtri. Germani in Cæſareo exercitu, Agematum inſtar, habent agmina quædam millenûm aut quingentorum equitum, quæ vocant Regimenta. Hæc peditum Tribuni ſubinde vnà cum legione ſuâ adminiſtrant, nonnumquam id ſolum munus habent equitum Præfecti. Videtur ab Alexandro id genus agminum excogitatum, apud Curtium lib. VI. *In Satrapene*, inquit, *diutiùs ſubſtitit: ac, ne deſides otio dimitterent animos; iudices dedit, præmiaq; propoſuit de virtute militari certantibus. Octo, qui fortiſſimi iudicati eſſent, ſingulis militum millibus præfuturi erant (Chiliarchas vocabant) tum primùm in hunc numerum copijs diſtributis, namque anteà quingenariæ cohortes fuerant.* Flaminius Crucius, qui Cæſari diu equo militauit bellis nuperis Bohemicis, vehementer id genus Agematum commendat lib. III. cap. II. Adeoque equitatum vniuerſum ſuadet diuidi in tot Agemata, quot ſunt equitum millia; ſingula iterùm millia diſponi turmis denis. Quam diuidendi equitatûs rationem oſtendit neque leuibus neque paucis argumentis, longè vtiliorem eſſe acie illâ Ludouici Melzi, quam ille propoſuit Tabulâ ſuâ IX. de quâ plura Lib. IV. Cap. V. Hæc tam numeroſa equitum agmina apud Hiſpanos Galloſque vno ſub Duce vſum non habent, quia nempe equitatum vniuerſum in turmas ſingulas diuidunt, quarum minimas VValhauſius lib. II. cap. I. vult eſſe lancearum, neque maiores tricenis: quòd nimirum plura ſimul Lancearíorum Iuga, quàm duo,

Præſti-

Præstitum scilicet & Substitum, incursare in hostem nequeant: tertium enim Iugum ipsos Præstites suos magis quàm hostem laceraret, quem attingere scilicet tanto interuallo non potest. Cuirassiorum turmæ centenis vulgò aut pluribus etiam constare possunt, cùm earum præcipua vis ad resistendum adhibeatur, quæ maior sanè est pro mole numeroque turmalium. Arcabusarij sexagenos ferè turmâ vnâ non excedunt, quòd decuriatim ferè, non turmatim hostem lacessant. Equitum musquetariorum turmæ, perinde vt peditum cohortes, centuriam totam admittunt, & plures. Præter has turmas subinde plurium turmarum decurijs, Agemata quędam etiam apud Hispanos Gallosque conflantur, nullo sub vexillo, vno tantùm aliquo equestrium Præfectorum ducente. Globos seu Drungos cum Vegetio vocare possumus. Hic lib. III. cap. XIX. sic definit: *Globus dicitur, qui à suâ acie separatus, vago superuentu incursat inimicos.* ibidemque Globi cum Drungo significatum permiscet. Id fit, cùm aut exploratum aut insidiatum itur, vbi à maioribus hostium copijs est metus: tum nempe, ne signa periclitentur, sub signis non itur. Vt gloriæ tamen partem habeant vniuersi, decerpuntur ex singulis turmis pauci, qui simul iuncti, agmen faciunt turmâ ordinariâ maius.

CAPVT VI.

Turmæ seorsim singulæ quâ figurâ locandæ.

Figura quadrata Persis, Siculis, Græcis probata. Rhombum Thessali inuenêre. Cuneo vtuntur Scythæ, Thraces, Macedones. Curis dictus Caput porcinum. *Ilion Oualem aciem reperit, quæ* Ile *dicta.*

EQVITVM *acies aut quadratas, aut parte alterâ longiores, aut rhombi cuneive gerẽtes speciem, tradidêre Auctores,* ait Ælianus de Instruendis aciebus. Nota, eum loqui non de acie totius exercitûs, sed de ordinatione cuiusque singularis turmæ. *Quadratis aciebus Persæ,* ait, *& Siculi, ac plerique Græcorum vsi sunt,*

sunt, existimantes & ad compositionem, & ad equitantium coïtionem accommodatius. Et omnino, quòd disciplinæ genus seruare, multis in rebus præstantius. Nam & instructio, quoniam per Versus ac Juga ordinetur, occurrit facilior; & principes in hoc vno pugnandi genere hostem vniuersi aggrediuntur. Optimæ verò inter quadratas habentur, quæ duplici tam in altum quàm in longum numero constant; exempli causâ, octo in longum, quatuor in altum; aut decem in longum, quinque in altum; quæ numero parte alterâ longiores consistunt. Etenim longitudo equi à capite ad caudam, respectu suæ latitudinis, plures eos habere debet qui per Juga ordinentur, quàm eos qui in Versus se porrigant. Aciebus ad rhombi similitudinem formatis Thessalos primos vsos comperimus,

qui plurimùm valuerunt equitatu, Jasone, vt ferunt, eius generis aciei auctore, vtpote ad omnes vsus accommodatioris. Equites enim constituti in hac formâ, vertere se in quemuis conspectum possunt, minimeq; vel à tergo vel à latere capientur. quippe cùm præstantiores rhombi latera teneant, & principes angulos regant. stat

enim

enim in priore angulo, turmæ ipsius Præfectus; in dextro autem & sinistro, qui custodes vocantur lateris, statuuntur; in reliquo verò angulo, ductorem tergi locari solitum est. Rhombi formam omnium maximè necessariam in vsum venisse creditur; eò quòd præ ceteris omnibus constituto Præfecto turmæ, equites, qui in lateribus ordinantur, non equo suo illi Præfecto iugent, sed ita subijciantur, vt eorum capita iuxta armos equi Præfecti apponantur; interualliſq; inter se iustis equites tum dextri tum læui, tum etiam posteriores discernantur, ne frequentia turbet ordinem, cùm equi immitiores in proximos sibi equos conuersi calcitrent, & militibus vulnera infligant. Rhombum dimidiatum, & iam transformatum in trique trum, Cuneum seu Rostrum vocamus.

Cuneum milites nominant Caput porcinum, ait Vegetius lib. III. cap. XIX. Pergit Ælianus: *Cuneatis Scythæ vtuntur & Thraces; quin etiam Macedones vsi sunt, suadente Rege Philippo. Efficacius genus id existimatum est, quàm quadratum, ob eam scilicet rem, quòd suos Principes circumpositos habeat, & fronte exiguâ constet, & equitandi vsum per quodlibet interuallum facilem præbeat, regressumq; celeriorem; quippe quòd minùs difficiles circuitus illos habeat, quos quadratæ acies sortiuntur.*

Turmam, quæ ad ſpeciem oui inſtruitur, Ilion Theſſalus excogitarat, vnde Ile vocata eſt; ſuoſq; Theſſalos eo ipſo genere in-

ſtruendi exercuit. Vtile hoc eſt, cùm ſingulis ſuis angulis habeat principes; primum Ilarcham, id eſt, turmæ Præfectum; vltimum Tergiductorem, vtrimque autem lateris Cuſtodes, &c. Ergo genus id inuentum ab Ilione Theſſalo, mandatum pòſt executioni ab Iaſone Medeæ marito. Conſtat hæc turma equitibus ſagittarijs, more Armeniorum & Parthorum, &c.

Explicatæ ſunt variæ ſententiæ Veterum, quemadmodum turmæ inſtruantur, ſed, quoniam in his magnam differentiam eſſe conſtat, non ſine delectu vti debemus, ſed quotidianis exercitijs ſæpiùs experiri genera inſtruendi ſingula: itaque ſecurè in prælijs, quod facilius commodiuſq; probetur, admittere officium eſt.

Hucuſque aperta Æliani verba, eaque re non inculcanda.

LIBER IV.

DE MVNIIS VSVQVE MILITIAE EQVESTRIS.

Argumentum Libri.

MVNIA equitis vniuersim continentur aut itineribus, aut praesidijs, aut castris, aut acie. In itinere exploratum dimittuntur, frontem faciunt, latera tegunt, agmen claudunt. In praesidijs interna externaq; tuentur. In castris excubias, circuitionem, custodias habent. Extra castra stationibus disponuntur, pabulationes instituunt, speculatum eunt, insidias struunt, stationes hostium lacessunt, palantes excipiunt; aquatores, frumentatores, lignatores aggrediuntur; commeatum & subsidia impediunt, hostium statiua inuadunt, agros populabundi deuastant, in acie denique pugnam inferunt, aut defendunt.

CAPVT I.

Equitum vsus acieq; in itinere.

EQVES *iter facit aut solus, aut pediti iunctus. Iter verò vel terrestre est (idque angustum, aut latum;) vel aquestre; diurnum aut nocturnum. Quae praesidia singulis itineribus facienda. Exploratores, Antecursores, Subsequae equites ad tutelam dimittendi. Viarum duces plures, aut fidus vnus. Viae & loca nota sint oportet. Ratio flumina traijciendi; & tranandi artes. Acies viatoriae diuersae.*

QVI *rem militarem ſtudioſiùs didicerunt*, inquit Vegetius lib. III. cap. VI. *aſſerunt, plura in itineribus, quàm in ipſâ acie, pericula ſolere contingere. Nam in conflictu armati ſunt omnes, & hoſtem cominus vident, & ad pugnãdum animo veniunt præparati: in itinere minùs armatus, minuſq; attẽtus eſt miles; &, ſuperueniente impetu vel fraude, repentè turbatur.* Quare præſidia itineri facienda ſuggerit. I. Vt Imperator habeat perſcripta Itineraria locorum per quæ tendit, *ita vt eorum interualla non ſolùm paſſuum numero, ſed etiam viarum qualitatem norit. Ac ferè picta ſint: vt non ſolùm conſilio, ſed aſpectu, viam eligat profecturis.* Ampliùs etiam Iulius Cæſar prouidebat, *qui numquam exercitus per inſidioſa itinera duxit, niſi perſpeculatus priùs eſſet locorum ſitus*, auctore Suetonio. II. *Vt à peritis viarum itinera inquirat.* Prudentiſſimus Iſraëlitarum Dux Moyſes Numer. X. cap. *dixit Hobabo filio Raguel: Noli nos relinquere: tu enim noſti in quibus locis per deſertum caſtra ponere debeamus, & eris ductor noſter.* En, qui nubem & ignem duces habebat, ductorem præterea, quem interroget, poſcit. Sic Xerxes, Ephialte quodam Trachinio per montium anguſtias monſtrante iter, centum hominum millia duxit in exercitum Leonidæ, quem vniuerſum circumuenit. Auctores ſunt Herodotus & Polyenus. III. *Vt viarum idoneos duces adhibeat, eoſq; cuſtoditos ducat, additâ pœnæ oſtentatione vel præmij.* Vtriuſque in promptu exemplum eſt. Prioris, apud Polyenum lib. IV. Extabat oraculum Apollinis, Lycum quemdam Alexandro fore itineris contra Perſas ducem. Accedit ad Alexandrum bubulcus, inquiens ſibi Lyco nomen eſſe, in circuitu montium occultam eſſe viam, &c. Alterius, apud Liuium lib. XXXII. *Paſtor quidam à Choropo Principe Epirotarum miſſus ducitur ad Conſulem T. Quintium. is ſe in eo ſaltu, qui Regijs tunc oneratus caſtris erat, armentum paſcere ait, omnes montium eorum anfractus colleſq; noſſe; ſi ſecum aliquos mittere velit*, &c. *Conſul ducem promiſſis ingentibus oneratum, ſi fides extet, vinctum tamen, Tribuno tradidit.* Libro item IX. *Cùm Sora-*

Soranus transfuga clàm ex oppido profectus, ad vigiles Romanos penetrasset, duci se extemplò ad Consules iubet; deductúsque, traditurum vrbem promittit, &c. *Decem milites delectos secum per ardua ac propè inuia in arcem ducit.* IV. *Vt plures huiusmodi duces indicesq; habeat,* ne duorum aut trium error discrimen pariat vniuersis: *interdum enim imperita rusticitas plura promittit, & credit se scire, quæ nescit.* Certè hoc neglectu elusa calliditas Hannibalis per errorem rustici. *Imperat duci*, ait Liuius libro XXII. *vt se in agrum Casinatem ducat: sed Punicum abhorrens à Latino nomen, Casilinum pro Casino accipere ducem fecit; auersusq; ab itinere, per Alifanum Calatinumq; & Calenum agrum in campum Stellatem descendit. vbi cùm montibus fluminibúsque clausam regionem circumspexisset, vocatum ducem percontatur, vbi terrarum esset. Cùm is Casilini eo die eum mansurum dixisset; tum demum cognitus est error, & Casinum longè inde aliâ regione esse.* Id documentum cum metu sanè æstimabat exercitus Alexandri, apud Curtium lib. V. *Nox quoque & ignota regio, ac dux, incertum an satis fidus, multiplicabant metum, ex vnius captiui vel fide, vel animâ, pendere & Regis salutem, & suam.* V. Vt nesciat hostis, quà exercitus proficiscatur. Cæsar lib. I. Bell. ciuil. *Exploratis regionibus, magno circuitu, nullo certo itinere exercitum ducit. erat enim iter à proposito diuersum, contrariamq; in partem iri videbatur.* Necessaria profectò Ducibus documenta.

Primum ergo equitis in itinere munus est, in omnem partem explorare vias, seu solus, seu pedite comitatus, seu terrâ seu aquâ, seu diu seu noctu proficiscatur. Id eiusdem Vegetij monitum lib. III. cap. VI. *Dux cum agmine exercitûs profectus, fidelissimos argutissimosq; cum equis probatissimis mittat, qui loca, per quæ iter faciendum est, in progressu & à tergo, dextrâ lævâque perlustrent.* Et quanta Posthumij clades in Caudinis, cautelæ huius omissu! quantum discrimen Iulij Consulis in Samnitium saltus ingressi sine speculatore! Sed nec explorare tantùm cateruatim, verùm etiam turmatim præcurrere, hostemque præeuntem carpere, equitis ex itinere studium

est. Cæsar lib. 1. de Bell. ciuil. *Equitatu præmisso qui nouissimum agmen carperet atque impediret, ipse cum legionibus subsequitur. Nullum intercedebat tempus, quin extremi cum equitibus prælia-rentur.* Ibidem: *Relinquebatur Cæsari nihil, nisi vt equitatu agmen aduersariorum malè haberet, & carperet.* Sed ex præcursu, ad agminis frontem redeo. Hanc eques firmabat in exercitu mixto. Tacit. 1. Annal. *Pars equitum & Auxiliaria cohortes ducebant; mox prima legio.* Nimirum, sicut claudebat tergum, eodem teste lib. Annal. XIII. *Dux viæ pariter & pugnæ composuerat exercitum*, &c. Id quod lib. 1. Annal. vocat, *incedere itineri & prælio.* Vtrumque hoc equiti munus in exercitu mixto Vegetius tribuit lib. III. cap. VI. *Primi equites iter arripiant, inde pedites; impedimenta, sagittarij, calones, vehiculaq; in medio collocentur, ita vt expedita pars peditum & equitum subsequatur.* En equitem à fronte & à tergo, ad tuendum medium agmen. Iam vtrimque à latere etiam locatum, & subinde per turmas inter ipsum agmen, Polybius indicat lib. VI. *Equites interdum sequuntur à tergo suas quisque partes* (id est, inter ipsum agmen, turmæ quælibet suam legionem) *aliàs iumentorum latera obequitant stipantes ea, tutumq; præbentes incessum.* Generatim suadet Vegetius loco iam allato, *vt ea pars, ad quam hostis venturus creditur, appositis lectissimis equitibus, & leui armatura munitur.* Benè monet de lectissimis; nam ita solitum, Polybius in Castrametatione scribit. *Primi*, ait, *plerumque incedunt extraordinarij* (qui nempe lectissimi equitum peditumque bellatores:) *si verò qua esset à tergo suspicio, sociorum extraordinarij à fronte ad tergum traducebantur.* Aliàs certè quocumque itinere ita *vices seruabant frontis & tergi*, ait Polybius mox laudatus, *vt alternis diebus legiones & cornua eadem præcederent, rursumq; sequerentur à tergo; vt aquationis frumentationisq; integra æqualiter omnes participes fierent, mutantes semper ordinem, vt alternatim primores incederent.*

Scriptores æui nostri, Basta & Melzus, id referunt in prærogatiuam quamdam honoris. Basta lib. III. cap. V. *Vt Præfectis*, inquit, *satisfiat, per ordinem mutantur frontis-ductionis dies;*

dies; sic nempe, vt qui frontem hodie duxerit, cras tergum, perendie medium agmen tueatur. Mox cap. XI. *Castris verò iam positis, cùm extraordinariæ aliquæ excursiones faciendæ sunt, non dierum seruatur ordo; sed Præfectus equitatûs ei turmæ dat primum incedendi locum, quæ prima ad designata castrorum principia venit; vt vniuscuiusque scilicet diligentia excitetur ad singulos præuenien-dos.* Melzus ferè paria adfert lib. II. cap. V. quatuor tamen prætereà addit noua. I. *Si eodem tempore in dictum locum conueniant simul turmæ duæ, tum aut in vnam eas esse conflandas, aut ab equitatûs Præfecto vnam alteri pro arbitrio præponendam.* II. *Si vnica tantùm turma Arcabusariorum sit in agmine vniuerso, eam perpetuò debere præcedere aut sequi, pro periculo viæ.* III. *Præfecto equitatûs pro industriâ suâ excogitandas esse artes, quibus Præfectorum aliorum offensiones euitet, dum, periculo fortè exigente, Præfectis alijs peritiores præponit ad gerendam melius rem. Id faciet,* inquit, *aut clam alijs huiusmodi Præfectos monendo, vti priores in loco adesse studeant; aut, si præuiso expeditionis die, ita ordinem incedendi distribuat, vt sors ducendi peritioribus eo die contingat.* IV. Subiungit cap. X. *Præfectum, cui plures turmæ ducendæ datæ sunt, aut in fronte aut in tergo esse quidem debere ad imperandum, non tamen eius turmam primam esse debere aut postremam, sed illius turmam, cui eo die contigit sors.* Grauis etiamnum controuersia, periculosarum sæpè contentionum causſa, dum alij sibi vindicant perpetuum præeundi ius, alij suas cuique vices esse debere contendunt. Romanorum Latinorumque fortissimi, postremi olim pugnabant, auctore Liuio lib. VIII. (adeò honorem dat demitque rebus opinio.) *Nihil apud Latinos dissonum,* ait, *à Romanâ Repub. præter animos,* &c. *Hastati omnium primi pugnam inibant,* &c. *Tum Principum pugna erat,* &c. *Triarij sub vexillis considebant, sinistro crure porrecto, scuta innixa humeris, hastas subrectâ cuspide in terram fixas, haud secùs quàm vallo septa inhorreret acies, tenentes. Si apud Principes quoque haud satis prosperè esset pugnatum, à primâ acie ad Triarios sensim referebantur. Inde rem ad Triarios redisse, cùm laborabatur, prouerbio increbuit.*

Ibidem

Ibidem porrò Melzus hæc promit ducendo exercitui mixto præcepta. I. Frontem aut tergum exercitûs mixti, minimùm trientes duo totius equitatûs firmanto. II. Turmæ, quibus obtigerint ducendi vices, ſtatâ horâ loco conſtituto adſunto, pridieque veſperi à Præfecto dux viæ eis deſignator. III. Primam aciem comitantor eæ turmæ, quibus diei illius fuiſſent cuſtodiæ, ſeu palatinæ, ſeu caſtrenſes, ſeu pro caſtris: eoque die, ob ſecuturas noctis excubias, ab alijs muneribus immunes ſunto. IV. Præfectus primæ aciei (ſi à Magiſtro equitum iubebitur) turmam vnam Arcabuſariorum tutelæ eorum, qui pontes viaſque ſternunt, adiungito. V. Idem Præfectus Optionem ſuum ſtipatum equitibus vicenis aut vicenis quinis, iuſto interuallo ante agmen præmittito. Duo verò ex ijs equites, qui Optionem (dum conſiſtet cum equitatu Præfectus) admoneant, inter frontem & turmulam illam præcurſoriam interponuntor; agmine autem quieſcente, Optio in vicinis turmulis procubitores collocato. VI. Nullus primam agminis aciem anteuertito, nullus ſe equitatui cum famulitio aut impedimentis interponito. VII. Turmulę ſeptenæ, conſtantes ſingulæ vel Cuiraſſarijs, vel Arcabuſarijs quindenis viceníſve è primâ acie, totidemque è tertiâ, in latera ablegantor tuendis impedimentis ſub ductu Decurionum. VIII. Optio aut Decurio turmæ quæ à tergo eſt poſtremæ, bono interuallo poſt eam cum vicenis equitibus ſubſequitor; duobus prætereà ad ſignificandum longè à tergo relictis. IX. Ne quis poſt tertiam aciem deferatur, procurato. X. Interquieſcente, vt fit, acie tertiâ, Præfectus Decurióve vltimæ turmæ, equites in vicinos tumulos lateraque viarum aduerſus hoſtem partitor. XI. Exploratoribus, qui antecurrunt (dum per ſiluas anguſtiaſque eſt iter) Muſquetarij pedites admiſcentor. XII. Turmulas item laterales equitum Muſquetarij pedites admixti ſtipanto. XIII. Viarum, quà hoſtis interuenire poſſet, fauces, vnâ duabúſve impoſitis, partemque procurrentibus turmis occupantor; mox eædem turmæ (aduentante acie tertiâ) cum reliquo exercitu procedunto.

XIV.

XIV. Si periculum, quod à fronte timebatur, in latera fortè ceciderit, dimidia peditatûs equitatuſque præeuntis pars aciem tertiam opperitor, neque priùs promoueto.

Aqueſtre iter trans amnes nullo ponte commiſſos, ſingulare dat equiti munus. Nam quantâ hîc curâ prouidenda circumſpiciendaque omnia? Plerumque hoſtis expectat paratis recentibuſque copijs in aduerſâ ripâ: ripam ſubinde latentibus ſub aquâ palis prętexuit, alibi inſidias poſuit. Tibi per aquas & limum magis ſæpè rependum quàm currendum eſt. Ordines in lubrico & tenace ſolo ſeruandi. Tum madido humentique militi in ripas altiores enitendum, pellenduſque ab eo imminens & benè paſtus hoſtis. Tu præclarè actum crede, ſi non corrupta madore arma, ſi non plerique aquarum pernicitate abrepti hauſtique. Et plura etiam eueniunt quàm ſcribo. Quibus ergo præſidijs traijciendi amnes? Leo Imperator Tactic. cap. IX. §. XI. *In fluuiorum tranſitionibus, aut aliorum locorum ignotorum, antecurſores præmitte, qui priùs loca explorent, eaq; qualia ſint, nuntient, vt præfectis idoneis antemiſſis tranſitum cuſtodias.* §. XII. *Sin admodum lubrica difficiliaq; loca ſint, teipſum oportet primùm tranſire, deinde ibi conſiſtere & commorari, donec omnes ſine offenſione tranſierint.* §. XIII. *Hoc enim virum clariſſimum & nobiliſſimum patrem noſtrum Baſilium Regem feciſſe cognouimus, quando contra Germaniciam Syriæ ciuitatem copias duxerat, & Paradiſum fluuium anticiparat, qui, lampadibus in medio conſtitutis, ipſe ſuâ ipſius præſentiâ atque ope vniuerſum exercitum facilè & ſine offenſione traduxit, qui ſæpè manum illis afflictis porrexerat; & quoſdam periculis eripuit.* Iam obſerua quæ ab Hiſtoricis adferam. Arrianus lib. I. de Trãſitu Alexandri per amnem Granicum: *Alexander ad Granicum amnem progrediebatur exercitu inſtructo, duplici phalange armatorum ordinatâ. Equites in cornibus ducens, impedimenta ponè ſequi iuſſit. Speculatores, qui hoſtem obſeruaturi eſſent, duxit Hegelochus, habens ſecum equites ſariſſophoros ac velites circiter quingentos,* &c. *E ſpeculatoribus aduolant quidam, ei nuntiantes, in vlteriore Granici ripâ Perſas exſpectare*

acie instructâ. Tum Alexander totum exercitum etiam ad pugnam struxit. Parmenioni suadenti, vt in ripâ tãtisper quiesceret, dum hostis noctu diffugeret; Pudeat me, inquit Alexander, si hic riuulus nobis obstabit, qui sine difficultatibus Hellespontum traiecimus, &c. *Hæc locutus, Parmenionem ad sinistrũ cornu ducendum mittit, ipse dextrum ducturus eò concessit,* &c. *Persarum equites ad* xx. *mille erant. Peregrini pedites paullùm infra totidem mille. Equitatum Persæ in longè exporrectam phalangem ad fluminis ripam collocarant,* &c. *Cæterùm quâ parte ipsum Alexandrum conspicabantur tendentem, hac turmas equitum densas collocarunt,* &c. *Alexander Antecursores equites Paonasq; ac peditum vnam cohortem, quibus præerat Amynthas Arrhabæi, primos in flumen descendere iussit, atque ante eos Socratis turmam,* &c. *Ipse dextrum cornu ducens flumen ingreditur, obliquam semper aciem obtendens quà amnis ferebatur. Persæ in propinquantes desuper tela mittebant, eratq; equitum turbulentus conflictus, his flumen exire, illis exitum prohibere nitentibus. Ac primi quidem Macedonum cæsi sunt omnes. Alexander dextrum cornu adducens, primus in Persas irruit, vbi conferta maximè eorum acies erat. Hîc inter confligendum hasta Alexandro confringitur, qui aliam ab Arete, Regiorum equorum stratore, petijt; sed cùm & illi in prælio laboranti hasta diffracta esset, ita vt cum dimidio eius fragmento (quod ostendebat) pugnare manifestò videretur; aliam poscere iussit Alexander. Dibaratus autem Corinthius (vnus è socijs qui circa Regem erant) suam ipsi hastam tradit. eâ arreptâ, conspicatus Mithridatem Darij generum longè ante alios equo prouectum, cum turmâ equitum cunei instar formatâ, ipsius quoque ante alios equo effertur, ac hastâ faciem feriens, Mithridatem prosternit. Interibi Rocsaces in Alexandrum inuehitur, ac caput eius securi percutit, diffractáque nonnihil galeâ ictus, tamen non penetrauit. Hunc etiam hastâ prosternit Alexander in pectus vsque traiectâ: ponè autem Spiridates iam in Alexandrum securim eleuarat, quem præuertens Clitus Dropidæ filius, securi in humerum adactâ brachium ei abscidit.* Vegetius disertè lib. III. cap. VII. *In transitu fluminum, explorato vado, duæ acies equitum electis*

anima-

animalibus ordinantur, interuallis competentibus separatæ, vt per medium pedites & impedimenta transeant; nam acies superior aquarum impetum frangit; inferior, eos, qui rapti subuersíq; fuerint, colligit atque transponit. Id à Cæsare Vegetius didicit, qui lib. 1. de Bell. ciu. hęc de seipso: *Cæsar, continuato diem noctemq; opere, in flumine auertendo, huc iam rem deduxerat, vt equites, etsi difficulter atque ægrè fiebat, possent tamen atque auderent flumen transire, pedites verò tantummodò humeris ac summo pectore extare: & cùm altitudine aquæ, tum etiam rapiditate fluminis ad transeundum non impedirentur,* &c. *Cæsar etsi timebat tantæ magnitudinis flumini exercitum obijcere, conandum tamen atque experiendum iudicat, magnóque numero iumentorum in flumine supra atque infrà constituto, transducit exercitum. Pauci ex his militibus, vi fluminis abrepti, ab equitatu excipiuntur ac subleuantur; nemo tamen interijt.* Quamquam & Hannibalis geminum ferè extat facinus, auctore Cælio apud Liuium lib. XXI. *Cælius auctor est,* inquit, *Hannibalem per superiora Padi vada exercitum transduxisse, elephantis in ordinem ad sustinendum impetum fluminis oppositis. Ea periti amnis vix fecerint; nam neque equites, armis equisque saluis, tantam vim fluminis superasse verisimile est.* Addubitat ergo, neque Cælio sat credit Liuius. Iterùm tamen Cæsar lib. VII. de Bell. Gall. sic exercitum traduxit, equitibus supernè tantùm (non elephantis) contra vim fluminis collocatis. *Vado per equites* (in Ligeri) *reperto, pro rei necessitate opportuno, vt brachia modò atque humeri ad sustinenda arma liberi ab aquâ esse possent; dispositio equitatu, qui vim fluminis refringeret, atque ab hostibus primo aspectu perturbatis incolumem exercitum transduxit.* Quin Liuius ipse lib. XXI. narrat, equites in flumine aduersus peditem pugnasse. *Ex parte alterâ ripæ,* ait, *vis ingens equitum in flumen immissa, medióque alueo, haud quaquam pari certamine concursum: quippe vbi pedes instabilis, ac vix vado fidens, vel inermi equite, equo temerè acto, peruerti posset; eques corpore armisque liber, equo vel per medios gurgites stabili, cominus eminúsque rem gereret.* Quid tamen, si profundior nec vadosus esset amnis? si violentior, quàm vt iumenta

ſtarent refringerentque curſum? Tum vel arte tranſnabant pedes equeſque, armis tractis, vel lintres rateſque ſubitarias fabricabant. Liuius lib. xxi. *Accolas Rhodani Hannibal pellicit donis ad naues vndique contrahendas fabricandáſque*, &c. *Itaque ingens coacta vis nauium eſt lintriumq; temerè ad vicinalem vſum paratarum, nouaſq; alias primùm Galli inchoantes cauabant ex ſingulis arboribus; deinde & ipſi milites, ſimul copiâ materiæ ſimul facilitate operis inducti, alueos informes, nihil (dummodò innare aquæ & capere onera poſſent) curantes, raptim faciebant, quibus ſe ſuaq; tranſueherent. Iamq; omnibus ſatis comparatis ad traiiciendum, terrebant ex aduerſo hoſtes omnem ripam equis viriſq; obtinentes: quos vt auerteret, Hannonem Bomilcaris filium vigiliâ primâ noctis cum parte copiarum, maximè Hiſpanis, aduerſo flumine iter ire vnius diei iubet, & vbi primò poſſit, quàm occultiſſimè traiecto amni, circumducere agmen; vt, cùm facto opus ſit, aggrediatur ab tergo hoſtem. Ad id dati duces Galli*, &c. *tranſitum oſtendêre. ibi raptim cæſa materia, rateſq; fabricatæ, in quibus equi, viriq; & alia onera traiicerentur. Hiſpani ſine vllâ mole in vtres veſtimentis coniectis, ipſi cetris ſuperpoſitis incubantes flumen tranſnatauêre. Et alius exercitus ratibus iunctis traiectus, caſtris prope flumen poſitis, nocturno itinere atque operis labore feſſus, quiete vnius diei reficitur*, &c. *Poſtero die profecti ex loco, prodito fumo ſignificant ſe tranſiſſe. quod vbi accepit Annibal, dat ſignum ad traiiciendum. Jam paratas aptatáſque habebat pedes lintres, eques (ferè præter equos nantes) nauium agmen ad excipiendum aduerſi impetum fluminis parte ſuperiore tranſmittens, tranquillitatem infrà traiicientibus lintribus præbebat. Equorum pars magna nantes, loris à puppibus trahebantur, præter eos quos inſtructos frenatóſque (vt extemplò egreſſo in ripam equiti vſui eſſent) impoſuerant in naues*, &c. *Elephantorum traiiciendorum varia conſilia fuiſſe credo: certè varia memoria eſt actæ rei. Quidam congregatis ad ripam elephantis, tradunt ferociſſimum ex iis irritatum à rectore ſuo, cùm refugientem eum in aquam, natantémque ſequeretur, traxiſſe gregem (vt quemque timentem altitudinem deſtituerat vadum) impetu ipſo fluminis in alteram ripam rapiente.*

piente Ceterùm magis conſtat ratibus traiectos, &c. *Ratem vnam ducentos longam pedes, quinquaginta latam, à terrâ in amnem porrexerunt, quam, ne ſecundâ aquâ deferretur, pluribus retinaculis validis parte ſuperiore ripæ religatam, pontis in modum humo iectâ conſtrauerunt, vt bellua audacter velut per ſolum ingrederentur. Altera ratis æquè lata, longa pedes centum, ad traijciendum flumen apta, huic copulata eſt: & cùm elephanti per ſtabilem ratem tamquam viam (prægredientibus feminis) acti, in minorem applicatam tranſgreſſi ſunt, ea extemplò (reſolutis quibus annexa erat vinculis) ab actuarijs aliquot nauibus ad alteram ripam pertrahitur. Ita primis expoſitis, alij deinde repetiti ac traiecti ſunt. Nihil ſanè trepidabant, donec continenti velut ponte agerentur. Primis erat pauor, cùm ſolutâ ab ceteris rate in altum raperentur. Ibi vrgentes inter ſe (cedentibus extremis ab aquâ) trepidationem aliquantulam edebant, donec quietem ipſe timor circumſpicientibus aquam feciſſet. Excidère etiam ſæuientes quidam in flumen, ſed pondere ipſo ſtabiles, deiectis rectoribus, querendis pedetentim vadis in terram euasère.* Redeamus ad natatum, tractionemque equorum. Tacitus de Britannis in Vitâ Agricolæ: *Quibus nota vada & patrius nandi vſus, quo ſe pariter, & equos atque arma regunt.* Idem de Batauis lib. II. *Eques præcipuo nandi ſtudio arma equóſque retinens, integris turmis Rhenum perrumpere.* Operæ pretium à Vegetio artem diſcere. Is lib. III. cap. VII. *Cum altior,* inquit, *fluctus, nec equitem patitur; equites faſces de cannis aridis, vel vluâ facere conſueuerunt; ſuper quos loricas & arma (ne vdentur) imponunt; ipſi equíq; natando tranſeunt, colligatoſq; ſecum faſces pertrahunt loris.* Quem locum illuſtrat Steenvvechius exemplis duobus aliquantò diuerſæ artis. Alterum exemplum eſt Ammiani lib. XXV. *Et pars cratibus,* inquit, *temerè textis, iumenta retinentes hinc inde natantia; alij ſuperſidentes vtribus.* Alterũ Diodori Siculi lib. XIX. *Calamorum faſces adeò ingentes inter ſe coniungunt, immittúntque in paludem, quibus terni inſidentes, duo remos agunt, alius fert arcum, adnauigantiúmque ex aduerſo, aut vim adferre conantium, impetum propulſat.* Addo nouum Ammiani locum lib. XXX. *Para*

Armeniorum Rex cùm ad flumen veniſſet Euphraten, & inopiâ nauium voraginoſum amnem vado tranſire non poſſet, nandi imprudentiâ pauentibus multis, ipſe omnium maximè cunctabatur. & remanſiſſet, ni, cunctis verſantibus varia, id reperire potuiſſet effugium in neceſsitatis abrupto tutiſsimum: Lectulos in villis repertos binis vtribus ſuffulſerunt, quorum erat abundans propè in agris vinarijs copia, quibus ſingulis Proceres inſidentes & Regulus ipſe, iumenta trahentes, præruptos vndarum occurſantium fluctus obliquatis meatibus declinabant; hocq; commẽto tandem ad vlteriorem ripam poſt extrema diſcrimina peruenerunt, &c. *Reſidui omnes equis inuecti natantibus, & circumfluente flumine ſæpè demerſi iactatique, infirmati periculoſo madore expelluntur ad contrarias margines: vbi pauliſper refecti, expeditiùs quàm diebus præteritis incedebant.* Vtrium porrò vulgarem vſum Cæſar Luſitanis tribuit lib. 1. de Bell. ciu. ad tranandos amnes, & Hiſpanis Liuius lib. xxx. & ſcuta ſua militi Ammianus lib. xvi. Sed de aqueſtri itinere iam abundè; nam de equitum tranſuectione nauali, ſpectat ad militiam naualem.

Nocturnum iter vt curas auget, ſic equiti quoque munus. Prudens eſt Petreij Afranijque apud Cæſarem conſultatio lib. 1. Bell. ciu. de nocturnâ profectione. *Diſputatur in concilio, & tempus profectionis quæritur. Plerique cenſebant, vt noctu iter facerent, poſſe priùs ad angustias veniri, quàm ſentirentur. Alij, quòd pridie nocte conclamatum eſſet in caſtris Cæſaris, argumenti ſumebant loco, non poſſe clàm exiri, circumfundi noctu equitatum Cæſaris, atque omnia loca atque itinera obſideri, nocturnáque prælia eſſe vitanda.* Ergo, ne quis nocte error per tenebras, ne quis ab hoſte aſſultus, hæc ampliùs equiti omnia tribuunt Georgius Baſta & Ludouicus Melzus. 1. Præmittenda cum Decurione turmula Arcabuſariorum duodenûm aut denûm quinûm, fido peritoque viarum duce comitata. Hi bis mille paſſus antegreſſi, ex ruſticis alijſque de hoſte cognoſcant. Flaminius Crucius minùs longè, ob periculum, præire iubet. 11. Submittendi poſt hos alij quaterni, vt (prægreſſis fortè prioribus) ſi à latere hoſtis interueniat, renuntient agmini

ſequen-

ſequenti. III. Globus ſexagenûm Loricatorum ſeu Cuiraſſariorum confletur ex turmis ſimul omnibus lectorum, ducaturque, quà maximè periculum formidatur, à Præfecto aliquo peritiore, nullo comitante vexillo. Hic globus ſeu drungus quemcumque hoſtis incurſantis impetum ſuſtentare conabitur. IV. Turmæ reliquæ, ſingulæ ſuos habeant viarum duces; aut, ſi tantus peritorum ductorum non ſuppetat numerus, priores turmæ, cùm ad biuia venerint, equites duos ſequentibus relinquant, qui ducant, quò ipſæ ſunt progreſſæ. Stipent autem ſeſe inuicem turmæ, vna alteram, minimo interuallo ſequentes; niſi ingruat pugna, nam tum ſe abiungent. V. Qui equitatui præerit, ſingulos equites è turmis ſingulis præſtò habebit ad mandata ſuis perferenda. Equites item quaternos præmittet, qui renuntient, ſi quid acciderit maiori illi drungo è ſexagenis equitibus præmiſſo. Accurret ipſe parti laboranti, ſubſidia mittens paria periculo, non maiora. VI. Decurio aliquis, denis duodeníſve Arcabuſarijs ſtipatus, longo interuallo agmen ſubſequetur, quaternis præterea poſt ſe relictis, nuntiabitque, ſi fors hoſtis ad carpendum agmen accurrat. VII. Præfectus aliquis è peritioribus tergi-ductor erit, qui turmas hoſti carpenti obuertat, Præfectumque equitatûs totius admoneat. VIII. Silentio agant nocturnum iter, galeatique, & tenentes arma, nec tubâ ſignum turmæ vlli aberranti detur (vbi periculoſum eſt iter) niſi grauis cauſſa poſcat.

Iam aciem viatoriam equitum explicemus. Hæc ad pugnæ vſum varia eſt, aliaque locis campeſtribus, alia vijs anguſtis. Igitur vel ad impetendum hoſtem, vel ad tutè commeandum ſolummodò acies ordinatur. Illa offenſiua, hæc defenſiua vulgò dicitur. Si ad impetendum hoſtem itur, tum ſic locandæ ſunt turmæ, vt primæ ſint maximè idoneæ ad faciendam impreſſionem, Lancearíorum videlicet & Arcabuſariorum. Si ſolùm ad commeandum tutò, tum contrà præcedere debent turmæ, quæ plurimùm conducunt ſuſtentando, Picquariorum equitum & Cuiraſſariorum. Adeoque reliquus equeſter exercitus ſic incedit itineri & prælio, vt ex

angu-

angustijs in aciem facilè se explicare possit, vel ad offerendam pugnam, vel ad defendendam patentibus in campis. Hoc modo, inquit Melzus lib. II. cap. VIII. faciamus equestrem exercitum turmarum quadraginta. Is exercitus loco campestri ac lato incedet diuisus in cornua duo, quæ singula constabunt turmis viginti, dispositis ad eam formam quæ subijcitur.

Frons.

Cornu siniſtrum.	*Cornu dextrum.*
Arcabusarij	Arcabusarij
Lancearij	Lancearij
Cuirassarij	Cuirassarij
Cuirassarij	Cuirassarij
Arcabusarij	Arcabusarij
Arcabusarij	Arcabusarij
Lancearij	Lancearij
Cuirassarij	Cuirassarij
Cuirassarij	Cuirassarij
Lancearij	Lancearij
Cuirassarij	Cuirassarij
Cuirassarij	Cuirassarij
Lancearij	Lancearij
Cuirassarij	Cuirassarij
Lancearij	Lancearij
Cuirassarij	Cuirassarij
Cuirassarij	Cuirassarij
Arcabusarij	Arcabusarij
Arcabusarij	Arcabusarij
Arcabusarij.	Arcabusarij.

Loco autem angusto præcedit cornu dextrum, subsequitur deinde siniſtrum; ac tum Iuga singula Lancearіorum constant equitibus quaternis, ceterorum Iuga octonis. Cornu dextrum, postquam ex angustijs euasit, consistit, opperiturque

que siniſtrum; simul tum vnà procedunt lateribus aduerſis, interuallo paſſuum centum quinquaginta, ſpatio inter turmas ſingulas paſſuum ſexaginta. Præfectus Arcabuſariorum alæ dextræ, ad bis mille paſſus præmittit Decurionem aliquem ex peritioribus, ſtipatum turmulâ denûm-quinûm, & fido viæ duce. Atque hic Decurio è denis illis quinis dimittit binos antrorſum, binos dextrorſum, binos ſiniſtrorſum, cognitum num vſpiam apparuerit hoſtis. A tergo idem facit Præfectus turmæ vltimæ, quæ claudit alam dextram, renuntiatque equitatûs ductori. VValhauſius alterius generis viatorias acies ternas affert, quarum aliæ ſe explicant ad pugnandum, alię ad tuendum. Exempli cauſſâ; loco anguſto, ad pugnandum ſic inuicem ſubſequuntur turmæ, in quibus nonnullę ex pedeſtribus equeſtres factæ, ad feſtinandum iter.

Frons.

Lancearij
Arcabuſarij
Lancearij
Arcabuſarij
Lancearij
Arcabuſarij
Muſquetarij
Muſquetarij
Muſquetarij
Muſquetarij
Muſquetarij
Muſquetarij
} equitantes

Picquarij equitantes
Cuiraſſarij
Picquarij equitantes
Cuiraſſarij
Picquarij equitantes
Cuiraſſarij.

Ad tuendum verò ſuſtinendumque hoſtem, hoc modo:

Frons.

Picquarij equitantes
Cuiraſſarij
Picquarij equitantes
Cuiraſſarij
Picquarij equitantes
Lancearij
Lancearij
Arcabuſarij
Arcabuſarij
Lancearij
Arcabuſarij
Cuiraſſarij

Muſquetarij
Muſquetarij
Muſquetarij
Muſquetarij
Muſquetarij
Muſquetarij
} equitantes.

Tertia acies viatoria ex ſolis equitibus Muſquetarijs et Haſtatis ſeu Piquarijs ad hanc formam procedit, loco explicato.

Loco anguſto, Præfectus ceteriq; Magiſtratus, eumdem in præeundo locum tenent, excepto Signifero, qui medius incedit inter vtramque turmam Piquariorum. Turmæ vero inuicem ſubſequuntur, hoc modo.

CAPVT II.

Equitum Præsidia, Castra, Excubiæ, Stationes, Circuitio, prisco nouoq; more.

Equites quibus præsidijs per vtrumque Orientis & Occidentis Imperium distributi. Locus equitum in castris priscus. Eius magnæ vtilitates. Locus hodiernus. Eques operum immunis, sed operarum operumque defensor. Quis locus equestribus castris capiendus. Quo ordine arteque muniendus. Philopœmenis hac in re solertia. Excubiæ equestres quales Veteribus, quales nobis. Procubitores, qui nunc Sentinellæ. Stationes cur Agragiæ dictæ. Eæ plures & sæpius mutatæ. Equites Prætoriani immunes habendarum stationum. Quid Circuitio & Circitores.

EQVES aut domi agit, aut militiæ. Cùm domi est, per præsidia tribuitur interiùs exteriusque aduersus domesticos externosque tumultus. Militiæ, viuit in castris ad quotidianam pugnam. Domesticæ locationis specimen exhibebo priùs; castrensis deinde.

Præsidijs igitur internis externisque per limites, sic equitem imponit vtriusque Imperij Notitia. Per Orientem quidem primùm sub duobus Magistris militum Præsentalibus (vt vocat) tum sub alijs absentibus, per Imperium partitis. Adferam Notitiæ verba:

Sub dispositione viri illustris Magistri militum Præsentalis,
Vexillationes Palatinæ V.
Equites Promoti seniores.
Comites Clibanarij.
Comites sagittarij iuniores.
Comites Taifali.
Equites Arcades.
Vexillationes Comitatenses VII.
Equites cataphractarij Biturigenses.
Equites armigeri seniores Gallicani.
Equites quinto-Dalmatæ.
Equites nono-Dalmatæ.
Equites primi scutarij.
Equites Promoti iuniores.
Equites primi Clibanarij Parthi.

Hæc dicuntur de primo Magistro Præsentali, ista de altero Præsentali.

Sub dispositione viri illustris Magistri militum Præsentalis,
Vexillationes Palatinæ VI.
Comites seniores.
Equites Braccati iuniores.
Equites Batani iuniores.
Comites sagittarij Armenij.
Equites Persæ Clibanarij.
Equites Theodosiani seniores.

Vexilla-

Vexillationes Comitatenſes VI.
Equites cataphractarij.
Equites cataphractarij Ambianenſes.
Equites ſexto-Dalmatæ.
Equites ſecundi ſcutarij.
Equites ſcutarij.
Equites ſecundi Clibanarij Parthi.

Sequentia de Magiſtro abſente à Palatio.

Sub diſpoſitione viri illuſtris Magiſtri militum per Orientem,

Vexillationes Comitatenſes X.
Comites cataphractarij.
Buccellarij iuniores.
Equites armigeri ſeniores Orientales.
Equites tertio-Dalmatæ.
Equites primi ſcutarij Orientales.
Equites ſecundi Stableſiani.
Equites tertij Stableſiani.
Equites Promoti Clibanarij.
Equites quarti Clibanarij Parthi.
Equites primi ſagittarij.
Cuneus equitum ſecundorum Clibanariorum Palmirenorum.
Felices Arcadiani ſeniores.
Felices Honoriani ſeniores.

Sub diſpoſitione viri illuſtris Magiſtri militum per Thracias,

Vexillationes Palatinæ III.
Comites Arcadiaci.
Comites Honoriaci.
Equites Theodoſiani iuniores.
Vexillationes Comitatenſes XXI.
Equites cataphractarij Albigenſes.
Equites ſagittarij ſeniores.
Equites ſagittarij iuniores.
Equites primi Theodoſiani.

Sub diſpoſitione illuſtris Magiſtri militum per Illyricum,

Vexillationes Comitatenſes II.
Equites ſagittarij ſeniores.
Equites Germaniciani ſeniores.

Sed, quod notandum, hæ equeſtres copiæ fuêre intra Orientem; nam aliæ prætereà in extimis Orientis limitibus, multoque maiores, ad compeſcendam licentiam vicinorum, perpetuò excubabant ſub Ducibus ſeu Comitibus limitaneis. Dion lib. LV. numerat tredecim limites, imperante Alexandro: Notitia recenſet vigintiquinque. Equites verò in hiſce limitibus numerat per cuneos & alas: cuneos quidem CII. alas CV. vniuerſim, quà per Ægyptum, quà per Iſauriam, quà per alios tredecim limites, equitum ſexdecim millia ſexcentos, hoc modo:

IN ÆGYPTO.

Sub diſpoſitione viri ſpectabilis Comitis rei militaris per Ægyptum,

Equites Stableſiani, Peluſio.
Equites Saraceni Thamudeni, ſcenis veteranorum.
Ala Theodoſiana nuper conſtituta.
Ala Arcadiana nuper conſtituta.
Ala ſecunda Armeniorum, Oaſi minore.
Et quæ de minore laterculo emittuntur.
Ala tertia Arabum, Thenenuti.
Ala octaua Vandalorum, Neæ.
Ala ſeptima Sarmatarum, ſcenis Mandrorum.
Ala prima Aegyptiorum, Sellæ.
Ala veterana raſa Gallorum, Rinocoruræ.
Ala prima Herculea, ſcenis extra ge raſa.

Ala quinta Retorum, scenis veteranorum.
Ala prima Tingitana, Thinunepsi.
Ala Apriana, Hippone.
Ala secunda Assyriorum, Sosteos.
Ala quinta Prælectorum, Dionysiade.

Prouinciæ Augustanicæ.

Ala secunda Vlpia Afrorum, Thaubasteos.
Ala secunda Aegyptiorum, Tacasiri.

IN THEBAIDE.

Sub dispositione viri spectabilis Ducis Thebaidos,

Cuneus equitum Maurorum scutariorum, Lyco.
Cuneus equitum scutariorum, Hermopoli.
Equites sagittarij indigenæ, Tentyræ.
Equites sagittarij indigenæ, Copto.
Equites sagittarij indigenæ, Diospoli.
Equites sagittarij indigenæ, Lato.
Equites sagittarij indigenæ, Maximianopoli.
Equites Promoti indigenæ leg. tertiæ Diocletianæ, Ambo.
Equites Felices Honoriani, Asphynis.
Ala prima Abasgorum, Hibe Oaseos maioris.

Et quæ de minore laterculo emittuntur.

Ala secunda Hispanorum, Poisartemidos.
Ala Germanorum, Pesca.
Ala quarta Britonum, Isui.
Ala prima Hiberorum, Thmoi.
Ala Neptunia, Chænoboscio.
Ala tertia Dromedariorum, Maximianopoli.
Ala octaua Palmyrenorum, Phœnicone.
Ala septima Herculea voluntaria, contra Lato.
Ala prima Francorum, Apollonos.
Ala prima Iouia cataphracta, Ripampane.
Ala octaua Abydum, Abocedo.
Ala secunda Herculea Dromedariorum, Pfinaula.
Ala prima Abasgorum, Oasi maiore.
Ala prima Quadrorum, Oasi minore Trinytheos.
Ala prima Valeria Dromedariorum, Pnecteos.

IN PALÆSTINA.

Sub dispositione viri spectabilis Ducis Palæstinæ,

Equites Dalmatæ Illyriciani, Berosabæ.
Equites Promoti Illyriciani, Menoïde.
Equites scutarij Illyriciani, Chermulæ.
Equites Mauri Illyriciani, Aeliæ.
Equites Thamudeni Illyriciani, Bitsanæ.
Equites Promoti indigenæ, Sabaïæ.
Equites Promoti indigenæ, Zodochatæ.
Equites sagittarij indigenæ, Hauanæ.
Equites sagittarij indigenæ, Zoaræ.
Equites primi Felices sagittarij, indigenæ, Palæstinæ, Saburæ, seu Veterocariæ.
Equites sagittarij indigenæ, Mohaïle.

Et quæ de minore laterculo emittuntur.

Ala prima milliaria Sebastena, Asuadæ.
Ala Antana Dromedariorum, Admathæ.
Ala Constantiniana, Tolohæ.
Ala secunda Felix Valentiniana, apud Præsidium.
Ala prima milliaria, Hastæ.
Ala Idiota, Constitutæ.

IN ARABIA.

Sub dispositione viri spectabilis Ducis Arabiæ,

Equites scutarij Illyrici, Animothæ.
Equites Promoti Illyriciani, Tricomiæ.
Equites Dalmatæ Illyriciani, Zizæ.
Equites Mauri Illyriciani, Areopoli.
Equites Promoti indigenæ, Speluncis.
Equites Promoti indigenæ, Mœsiæ.
Equites sagittarij indigenæ, Gaddæ.
Equites sagittarij indigenæ, Diaphenis.

Et quæ de minore laterculo emittuntur.

Ala nona milliaria, Acauathæ.
Ala sexta Hispanorum, Gomothæ.
Ala Constantina, Libonæ.
Ala secunda milliarensis, Naarsafari.
Ala prima Valentiniana, Thamathæ.
Ala secunda Felix Valentiniana, apud Aditha.

IN

IN PHOENICE.

Sub dispositione viri spectabilis

Ducis Phœnices,

Equites Mauri Illyriciani, Ottharæ.
Equites scutarij Illyriciani, Eutharæ.
Equites Promoti indigenæ, Saltachæ.
Equites Dalmatæ Illyriciani, Latauí.
Equites Promoti indigenæ, Anathæ.
Equites Promoti indigenæ, Nazalæ.
Equites sagittarij indigenæ, Abyræ.
Equites sagittarij indigenæ, Casamæ.
Equites sagittarij indigenæ, Calamonæ.
Equites Saraceni indigenæ, Betproclis.
Equites Saraceni, Thalseæ.
Equites sagittarij indigenæ, Adath.

Et quæ de minore laterculo

emittuntur.

Ala prima Damascena, in monte Iouis.
Ala nona Diocletiana, Variaracæ.
Ala prima Francorum, Cumæ.
Alæ prima Alamannorum, Neiæ.
Ala prima Saxonum, Vero-fabulæ.
Ala prima Phœnicum, Renæ.
Ala secunda salutis, Arefæ.

IN SYRIA.

Sub dispositione viri spectabilis

Ducis Syriæ & Euphratensis,

Equites sagittarij Illyrici, Syrianæ.
Equites Promoti Illyriciani, Octaribæ.
Equites sagittarij indigenæ, Matthanæ.
Equites Promoti indigenæ, Adadæ.
Equites sagittarij indigenæ, Arathæ.
Equites sagittarij, Acadamæ.
Equites sagittarij, Acauathæ.

In Augusto Euphratensi.

Equites Dalmatæ Illyriciani, Barbatissonis.
Equites Mauri Illyriciani, Neocæsareæ.
Equites Promoti indigenæ, Rosaphæ.
Ala prima noua Herculea, Amudæ.
Ala prima Iuthungorum, Salutariæ.

IN OSRHOENA.

Sub dispositione viri spectabilis

Ducis Osrhoënæ,

Equites Dalmatæ Illyriciani, Gallabæ.
Equites Promoti Illyriciani, Gallinico.
Equites Mauri Illyriciani, Dabanæ, aliàs Danabæ.
Equites Promoti indigenæ, Banasæ.
Equites Promoti indigenæ, Synæ Iudæorũ.
Equites sagittarij indigenæ, Orabæ, aliàs Arabæ.
Equites sagittarij indigenæ, Thillazamaræ.
Equites sagittarij indigenæ Medianenses, Medianæ.
Equites sagittarij indigenæ, primi Osrhoëni Razin.

Et quæ de minore laterculo

emittuntur.

Ala septima Valeria prælectorum, Thillacamæ.
Ala prima Victoriatorum, contra Bintha.
Ala secunda Paphlagonum, Thillasicæ.
Ala prima Parthorum, Resaiæ.
Ala prima noua Diocletiana, inter Thannuetin & Orobam.
Ala prima Salutaria, Duodecimo constituta.

IN MESOPOTAMIA.

Sub dispositione viri spectabilis

Ducis Mesopotamiæ,

Equites scutarij Illyriciani, Amidæ.
Equites Promoti Illyriciani Resani, Theodosiopoli.
Equites Ducatores Illyriciani primi Ducatores, Amidæ.
Equites Felices Honoriani Illyriciani, Constantinæ.
Equites sagittarij indigenæ Arabanenses, Carthæ.
Equites scutarij indigenæ Pafenses, Assaræ.
Equites sagittarij indigenæ Thilbithenses, Thilbithinæ.
Equites sagittarij indigenæ, Thannuri.

Et quæ de minore laterculo

emittuntur.

Ala secunda noua Aegyptiorum, Chartæ.
Ala octaua Flauia Francorum, Ripalthæ.
Ala quintadecima Flauia Carduenorum, Caini.

IN ARMENIA.

Sub dispositione viri spectabilis

Ducis Armeniæ,

Equites sagittarij, Sabu.

Equites

Equites sagittarij, Domanæ.

In Ponto.

Ala Rizena, Delearizæ.
Ala Theodosiana, apud Anaxam.
Ala Felix Theodosiana, Syluanis.

Et quæ de minore laterculo emittuntur.

Ala prima Augusta Colonorum, Chiacæ.
Ala Auriana, Dascusæ.
Ala prima Vlpia Dacorum, Suissæ.
Ala secunda Gallorum, Aelianæ.
Ala Castello Tablariensi constituta.
Ala prima Prætorica nuper constituta.
Ala prima Iouia Felix, Chasanicæ.
Ala prima Felix Theodosiana, Pithiæ.

IN SCYTHIA.

Sub dispositione viri spectabilis Ducis Scythiæ,

Cuneus equitum scutariorum, Sacidauæ.
Cuneus equitum Solensium, Capidauæ.
Cuneus equitum Stablesianorum, Cij.
Cuneus equitum Stablesianorum, Bireo.
Cuneus equitũ cataphractariorũ, Arubio.
Cuneus equitum armigerorum, Aegysto.
Cuneus equitum Arcadum, Talamodio.

IN MOESIA SECVNDA.

Sub dispositione viri spectabilis Ducis Mœsiæ secundæ,

Cuneus equitum scutariorum, Securiscæ.
Cuneus equitum Solensium, Duno.
Cuneus equitum scutariorum, Latris.
Cuneus equitum armigerorum sexaginta, Pristræ.
Cuneus equitum secundorũ armigerorũ.
Cuneus equitum scutariorum, Appiariæ.
Cuneus equitũ Stablesianorũ, Sucidauæ.

IN MOESIA PRIMA.

Sub dispositione viri spectabilis Ducis Mœsiæ primæ,

Cuneus equitum Constantiacorum, Pinco.
Cuneus equitum Promotorum, Flauiana.
Cuneus equitum sagittariorũ, Tricornio.
Cuneus equitum Dalmatarum, Auremonte.
Cuneus equitũ Promotorum, Viminacio.
Cuneus equitũ sagittariorum, Ledenatæ.
Cuneus equitum Dalmatarum, Pinco.
Cuneus equitum Dalmatarum, Cuppis.

IN DACIA RIPENSI.

Sub dispositione viri spectabilis Ducis Daciæ Ripensis,

Cuneus equitum Dalmatarum Forensium, Bononiæ.
Cuneus equitum Dalmatarum Diuitensium, Dortico.
Cuneus equitum scutariorum, Cebro.
Cuneus equitum Dalmatarum Diuitensium, Augustæ.
Cuneus equitum Dalmatarum, Augustæ.
Cuneus equitum Dalmatarum, Varinæ.
Cuneus equitum Stablesianorum, Almo.
Cuneus equitum scutariorum, Aegetæ.
Cuneus equitũ Constantinianorum, Vto.

His tantis tam variis equitum copiis Oriens vniuersus quà interior quà exterior aduersus domesticos hostilesque tumultus erat munitus.

Occidenti præerat equitum Magister vnus, cui alij duces quinque, per quinque Prouincias diuisi cum equitatu, parebant. Sic Notitia.

IN OCCIDENTE.

Sub dispositione viri illustris Comitis & Magistri equitum Præsentalis,

Vexillationes Palatinæ IX.
Comites seniores.
Equites Promoti seniores.
Equites Brachati seniores.
Equites Batani seniores.
Equites cornuti seniores.
Equites cornuti iuniores.
Comites Alani.
Equites Batani iuniores.
Equites Cõstantes Valẽtinianẽses seniores.

Vexil-

Vexillationes Comitatenſes XXXII.

Equites armigeri.
Equites Prima-Gallica.
Equites Octauo-Dalmatæ.
Equites Dalmatæ Paſſerentiaci.
Equites Mauri Alites.
Taifali iuniores.
Equites Honoriani ſeniores.
Equites Mauri feroces.
Equites Conſtantiaci feroces.
Equites ſcutarij.
Equites Stableſiani Africani.
Equites Marcomanni.
Equites armigeri ſeniores.
Equites ſagittarij Clibanarij.
Equites ſagittarij Parthi ſeniores.
Equites primi ſagittarij.
Equites ſecundi ſagittarij.
Equites tertij ſagittarij.
Equites quarti ſagittarij.
Equites ſagittarij Parthi iuniores.
Equites Cetrati ſeniores.
Comites iuniores.
Equites Promoti iuniores.
Sagittarij iuniores.
Equites Cetrati iuniores.
Honoriani iuniores.
Armigeri iuniores.
Equites ſecundi ſcutarij iuniores.
Equites Stableſiani Italiciani.
Equites ſagittarij Cordueni.
Equites ſagittarij ſeniores.
Cuneus equitum Promot.

Item vexillationes intra Italiam.

Comites ſeniores.
Equites Promoti ſeniores.
Equites Brachati ſeniores.
Equites cornuti ſeniores.
Comites Alani.
Equites Mauri feroces.
Equites Conſtantes Valentinianenſes iuniores.

Intra Gallias cum viro illuſtri Comite & Magiſtro equitum Galliarum.

Equites Batani ſeniores.
Equites cornuti ſeniores.
Equites Batani iuniores.
Equites Brachati iuniores.
Equites Honoriani ſeniores.
Equites Honoriani iuniores.
Equites armigeri ſeniores.
Equites Octauo-Dalmatæ.
Equites Dalmatæ Paſſerentiacenſes.
Equites primi-Gallicani.
Equites Mauri Alites.
Equites Conſtantiaci feroces.

Intra Africam cum viro ſpectabili Comite Africæ.

Equites Stableſiani Italiciani.
Equites ſcutarij ſeniores.
Equites Stableſiani iuniores.
Equites Marcomanni.
Equites armigeri ſeniores.
Equites Clibanarij.
Equites Parthi ſagittarij ſeniores.
Equites Cetrati ſeniores.
Equites primi ſagittarij.
Equites ſecundi ſagittarij.
Equites tertij ſagittarij.
Equites quarti ſagittarij.
Equites Parthi ſagittarij iuniores.
Equites Promoti iuniores.
Equites ſcutarij iuniores Comitatenſes.
Equites Honoriani iuniores.
Equites ſcutarij iuniores ſchola ſecunda.
Equites armigeri iuniores.

Intra Britannias cum viro ſpectabili Comite Britanniarum.

Equites cataphractarij iuniores.
Equites ſcutarij Aureliaci.
Equites Honoriani ſeniores.
Equites Stableſiani.
Equites Syri.
Equites Taifali.

Intra Tingitanam cum viro ſpectabili Comite Tingitanæ.

Equites ſcutarij ſeniores Comitatenſes.
Equites ſagittarij ſeniores Comitatenſes.
Equites Cardueni Comitatenſes.

Igitur in Occidente Magiſter equitum præerat vexillationi-

bus quadraginta & vni; nimirum, Palatinis nouem, Comitatensibus triginta & duabus, de quibus Palatinas sex dabat Comiti Italiæ, tres Magistro equitum per Gallias; Comitatensium verò, sex Comiti Italiæ, nouemdecim Africæ, quatuor Britanniæ, tres Tingitanæ, octo Magistro Equitum Galliæ: qui numerus Comitatensium etsi excedat trigesimum secundum, tamen non exerrat, quia sic subinde vexillationum solummodò partes Ducibus præbentur (vnde eædem vexillationes sæpiùs numerantur in partibus) sed anteà totæ & semel tantùm sunt supputatæ. Ita Pancirollus in Notitiâ Occident. cap. xxv.

Equitum porrò horumce nomina cùm superiùs explicata sint Lib. iii. Cap. iv. inde eorum cognitio repetenda.

Iam tandem è præsidijs ad castra; quæ iungo, quia non ampliùs dissident quàm statiua à tumultuarijs, vel hiberna ab æstiuis.

De castrorum ergo locatione vetere Polybius lib. vi. in hæc verba: *Ab vtroque extremo Tribunorum tabernaculo, retrò, quasi inflexam metationem habent extraordinariorum equitum Alecti, & quidam ex ijs qui vltrò ac sponte in gratiam Consulum militant. Hi omnes locantur, & spectant aduersa latera, alij Quæstorium intuentes, alij forum. Opponuntur istis in vallum spectantes pedites extraordinarij: supra vtrosque via relinquitur lata pedes centum,* &c. *Ad superum huius viæ latus, sociorum equites extraordinarij metantur, forum versus aspicientes & Prætorium & Quæstorium. His demum equitibus auersi locantur sociorum extraordinarij pedites, aspicientes vallum. Iterùm, cùm dimensi fuerint centum pedes antrorsus legiones versus, tum à rectâ lineâ, quæ sit æquidistans Tribunorum tentorijs, facere incipiunt legionum tabernacula, struentes in hunc modum. Cùm secuerint bifariàm dictam lineam rectam, ab eo puncto, rectis ad lineam angulis, equites vtriusque legionis oppositos inter se locant pedibus* L. *inter se distantes, sectione in medio interualli habitâ. Est autem peditum equitumq; locatio similis; redditur enim tota species tam manipuli, quàm turmæ, quadrata,* &c. *Post equites collocant vtriusq-*

vtriusque legionis Triarios ad singulas turmas, singuli manipuli figuris respicientibus in alteram partem auersis ab equorum aspectu. Oppositos Triarijs locant Principes, &c. *Post Principes similiter auersos locant Hastatos,* &c. *Hastatis sociorum equites oppositos locant.* Subobscura sint omnia sine tabulâ, quam accuratissimam Lipsius verbis hisce Polybianis appendit. Ego equitum solummodò, proximasque peditum, quorum hîc est mentio, metationes depingam.

IMAGO CASTRORVM VETERVM.



Magna ſanè militaris prudentia elucet in hac locatione. Nam inprimis hîc proximus hoſti Imperator ad occurrendum aſſultationibus, ad excipiendos transfugas, ad continendum reliquum exercitum. Hîc iuncti Imperatori Duces quoque ſummi: hîc ſeparati ab reliquis ſociorum turmis lectiſſimi equites, Extraordinarij ſcilicet, eorumque Ablecti; ijs tamen adiuncti Romani Tribuni, mixtique Euocati, equites Romani. Sic nempe tutelam ſuam ſocijs committendo, eorum obligabant fidem; ſic robora eorum à reliquis ſeparando, atque ante oculos habendo, cauebant quoque, ne fortè in coniurationes ſocij coirent. Denique, quòd perpetuus idemque ſemper eſſet in caſtris omnibus locandi modus, ſciebant omnes, inſtar familiaris domeſticæque rei, quò, quà, ſubitis in motibus eſſet eundum. Sed quærebat non-nemo, An id tutum? nam ſic hoſtis certò ſciret, quo quiſque loco eſſet in caſtris; quo loco Prætor, Legati, Tribuni, Legionarij Alarijque equites. At neque noſtram locationem ignorare poteſt hoſtis: nam principia ſemper pro fronte. Semper ſtationes aliquot equeſtres ad principia, ad tergum. Deinde, numquam ita arceri ſpeculatores poſſunt, vt caſtrametationem ignorent hoſtes. Porrò caſtris moliendis non incumbebat eques, (quippe immunis operis) tanta eius dignitas, niſi cogeret vltimum diſcrimen: tum, ſi opus recuſabant, equo à Cenſore priuabantur. Sed dum vallus aggerebatur, eques pro caſtris ſtabat tutelæ operarum. Vegetius teſtatur lib. 1. cap. v. *Facile eſt abſentibus aduerſarijs caſtra munire: verùm, ſi hoſtis incumbat, tunc omnes equites ad propulſandum impetum ordinantur in acie, reliqui poſt ipſos muniunt caſtra.* Aliter deinde, & meliùs certè, equites locati in caſtris, à peditibus ſeiuncti. Leo Imper. Tact. cap. XI. §. XXXIX. *Pedites intra caſtrorum ambitum cum equitibus metari (ſi hoſtes longè abfuerint) non oportet, ſed ſeparatim prope caſtra; vt neque anguſtijs inuicem premant, neque à ſpeculatoribus facilè numerentur. Deinde propiùs accedente hoſte, videndum quemadmodum intra vallum metari poſſint, ſi quando opus fuerit, vt cum equitibus pedites locentur.* §. XL. *Ac*

tum

tum prouidendum, ne confusè equites cum peditibus, sed separatim distinctéq; consideant. Sic verò nostra equitum castrametatio nunc se habet, fereque à pedite separatur in tergum aut latus, vbi plura adstabulandum pabulandumque ædificia; nec vno administratur loco. Lælius Brancacius tamen lib. Militarium Officiorum cap. VIII. tabulis duabus equitatum locat ante peditatum proximè portam prætoriam; hoc est in fronte proximè hostem. Atque, vt ordine dicam, ductu Bastæ & Melzi, aut aperto in campo, aut pago vno pluribúsve eques castrametatur; eaque loca aut tuta sunt, aut intuta. Loco tuto, tuta tamen omnia timenda. adeoque & Præfectus & turmales, ait Basta lib. II. perinde parati esse debent, ac si vicinus semper immineret hostis. Laxè tum equites locandi, vt & commodiùs habeantur, & ne vnus aliquis locus sustineat nimium damni. Principia etiam tum nullo certo loco statuenda. Magister equitum medio castrorum, Optio eius pro fronte, summus Mandatorum curator à tergo locandus: vnus & alter procubitor in vigilias mittendus. Locus si ab hostis viciniâ periculosus fuerit, is interdiu castris antecapiendus cognoscendusque est; vt nempe ante noctem principia ritè designentur, vt locis opportunis custodiæ, stationes, excubiæ statuantur; hosti aditus præripiantur, equiti stabula distribuantur; ne ea per tenebras, palearum ardentium luce, cum incendij periculo quærenda sint. A mille passibus, quàm ad locum castris designatum veniatur, præcedit ceteros aut Mandatorum curator turmâ vnâ Arcabusariorum stipatus, aut Præfectus metatorum cum turmulâ vicenûm tricenúmve Arcabusariorum, ceterisque turmarum mensoribus, & vno duobúsve equitibus vniuscuiusque turmæ comitantibus. Turmam illam, aut hanc turmulam, aliquis ex Optionibus ducit, locatque aduersâ castrorum parte, quæ vicinior hosti, dimissis huc illuc exploratoribus, procubitoribusque collocatis; qui non antè deducuntur, quàm equitatus reliquus inuectus sit in castra, ne hostis impediat metationem. Castris captis, lociscque metatis, summus Metator Magistro

equitum eiuſque Optioni renuntiat metata eſſe caſtra. Tum Præfecti omnes à ſuis ſinguli menſoribus equitibuſque (qui fuerant præmiſſi) in ſtationes ducuntur; eâ turmâ exceptâ, cui excubiæ diei noctíſve præſentis obuenerunt. Præfectus quiſque vexillum ſuum vel honoris cauſsâ in ſtationem vſque comitatur. Præfectum deinde equites, niſi prohibeat. Præfecti omnes, Optionibus ſuis, vnoque aut altero veterano equite ſtipati, inſpectum principia proficiſcuntur, vt quò conueniendum ſit, omnes norint. Magiſter equitum, eiúſve Optio, aditus viarum omnes hoſti obſtrui curat, obiectis arborum truncis, aliíſve impedimentis, appoſitiſque peditibus (quorum ſigna medijs caſtris cuſtodiantur) aut Arcabuſarijs, qui de pedibus prohibeant hoſtem, nec in equos inſcendant, donec iubeantur. Via, quâ in caſtris decurrendum eſt, expeditur noua, foſſis cõſtratis, reſectis ſubmotiſque impedimentis, vt in hoſtem nempe occultè commodeque erumpatur. Vniuerſam hanc curam inſigni Ducis præſtantiſſimi Philopœmenis ſtudio, apud Liuium expreſſo, lubenter illuſtrabo. Liuius ita ſcribit lib. xxxv. *Erat autem Philopœmen præcipuæ in ducendo agmine, lociſq; capiendis, ſolertiæ atque vſûs. Nec belli tantùm temporibus, ſed etiam in pace, ad id maximè animum exercuerat. Vbi iter quopiam faceret, & ad difficilem tranſitu ſaltum perueniſſet, contemplatus ab omni parte loci naturam, cùm ſolus iret, ſecum ipſe agitabat animo; cùm comites habebat, ab ijs quærebat, ſi hoſtis ab eâ parte apparuiſſet; quid, ſi à fronte; quid, ſi ab latere hoc aut illo; quid, ſi à tergo adoriretur, capiendum conſilij foret. Poſſe inſtructum rectâ acie; poſſe inconditum agmen, & tantummodo aptum viæ occurrere: quem locum ipſe capturus eſſet, cogitando aut quærendo exequebatur: aut quot armatis, aut quæ genera armorum (plurimum enim intereſſe) vſurus: quò impedimenta, quò ſarcinas, quò turbam inermem reijceret: quanto ea, aut quali præſidio cuſtodiret: & vtrùm pergere quâ cœpiſſet ire viâ, an eam quâ veniſſet repetere melius eſſet: caſtris quoque quem locum caperet, quantum munimento amplecteretur loci, quà opportuna aquatio, quà pabuli lignorumq; copia eſſet, quà proximo die caſtra*

castra mouendi tutum maximè iter, quæ forma agminis foret. His curis cogitationibusq; ita ab ineunte ætate animum agitauerat, vt nulla ei noua in tali re cogitatio esset. Huius tanti Ducis diligentiam si non superauit, æquauit certè Henricus Comes Bergius equitatui Regio Pro-Magister obsidione Bredanâ, cuius difficillimo longissimoque tempore commeatum omnem perpetuò castris subuexit. Adscribam quæ ipse vidi, visaque publicaui Historiâ Obsidionis Bredanæ. *Comiti Bergio equitatûs pars maxima attributa, quæ commeatui præsidio esset. Atque is hac ratione munus suum administrabat. Sollemne illi erat, manè ante lucem confusum impedimentorum agmen explicare, deinde præmissis equitum turmis aliquot emissarijs proficisci. Tormenta primis vltimisq; adiungere, ad significandum hostis aduentum; cuius indicium sonitu tanto perferretur, vt eo signo (quod conuenerat) miles scilicet se colligeret, eamq; in partem accurreret, quæ laboraret. Vtrumque via latus equitum alis diuisis tegere; equitatui præsidia leuis armaturæ interponere; reliquo equitatu denique agmẽ claudere, sic itineri simul & prælio incedere. Occurrere, quantum poterat ratione caueri, vt tutioribus itineribus ad fallendas insidias contenderetur, vijs ad faciliorem subuectionem instauratis. Si quod periculum nuntiaretur, ne alieno loco prælium committeret, dispicere; eamq; ob rem aut idoneo resistere, aut iniquo egredi, & carros pro vallo, si pugnandum foret, obijcere, iaculatoribus introrsum reductis. Quoties procedendum erat, statiuis ante omnes progredi, tum, donec vltimi ferè transissent, ad spectandum accelerandumq; resistere; post omnes iter agere, & primis deinde inter procedendum præcurrere; post omnes denique statiuis inuehi; hospitia militi ante vesperam partiri; tum statiua lucente adhuc die circũuehi; agrestes aduocare, de hoste, de itineribus cognoscere; custodias, vbi vsus erat, disponere; pontes occupare aut abrumpere, vt hosti viam auferret; equites in stationibus, si opus esset, frenatis equis expeditos collocare, alios in omnem partem dimittere ad excipiendos aliquos, ex quibus de hostium insidijs cognoscerent; certos præterea habere speculatores, qui consilia molitione sq; omnes indicarent, in quos plurimum nummorum effundebat; noctu aditus omnes excubitoribus*

ribus tenere, &c. *Iam agrestium rebus non minùs quàm commeatui consulebat. Milites ipse, tamquam incendiorum Præfectus, de igne, quem in horreis accenderant, extinguendo admonere. Indiligentiores, quorum incuriâ incendium malè obrutum resurrexerat, domosq; corripuerat, sub dio deinceps excubare facere, ære diruere, sarciendiq; damni condemnare*, &c. Præter hæc (quod Veteres videntur aliter fecisse) prouidendum in primis, vt, vbi castra erunt, tectorum copia sit, quibus equi stabulentur. Nam sub dio pluuioque Ioue, aspero maximè cælo, vt noctem equi agant, equos corrumpere est. Id cauit scilicet Dux Albæ, dum Regis Hispani copias in Belgio duxit, vt ipsas etiam stationes equitum tecto tueretur; indeque inueterauit mos. Forum in medio castrorum aut cuiusque pagi erit. Principia (Plaça d'armas) per diem in fronte castrorum, noctu à latere designabuntur. Equitum Magistro adesse perpetuò conuenit, ad accipienda mandata, equitem vnum è singulis turmis vicinis; duos ex remotis, quorum alter maneat, vno cum mandatis dimisso. Leo Imper. Tactic. cap. XI. §. XX. *Vnusquisque Turmarcha suum mandatorem ad Imperatoris cohortem amandet, vt ibi maneat. Similiter Tribuni & Comites ad Turmarcharum castra suos mittant, vt per eos celeriter cognoscant quæ agenda sunt.* Præterea cùm vno in loco equitatus vniuersus castrametabitur, Magistro equitum aderunt perpetuò summus Mandatorum curator, & Præfectus metatorum, vt accepta à Magistro equitum mandata, cum Optione eius communicata, curent dari effecta. Summus Mandatorum curator suam turmis singulis stationem diuidit. Post metationem instituuntur excubiæ. his castra nempe tuenda sunt. *Veterum excubiæ ex quatuor viris sunt*, ait Polybius lib. VI. Id clariùs Vegetius expressit lib. III. cap. VIII. *De singulis centurijs quaterni equites & quaterni pedites excubitum noctibus faciunt. equites autem extra vallum nocturnas excubias facere debent.* Exemplum prodidit in Iugurthâ Salustius. *Excubitum*, inquit, *in portas pro castris equites Auxiliarios mittere. Procubitores vocat Festus, qui noctu custodiæ causâ ante castra excubant.* Hirtius

lib.

lib. XI. eleganter: *Illa dies fungendi muneris obuenerat*. Hodie *ſentinellæ* à ſentiendo vocantur. Hi, vbi aperti ſunt campi, inſtar coronæ caſtris circumfunduntur, equitantque ex aduerſo perpetuò, quaſi loca commutantes. Neque noctu ſolummodò, ſed interdiu quoque excubant in equo ſemper. Luce ſubinde in templorum turribus, aut arboribus, plerumque editioribus in colliculis extra viam militarem, ne ſimulatione viatoris alicuius, ab hoſte circumueniantur. Quare nec quemquam appropinquare permittunt. Nocte locis demiſſis, bini iunctim loco ab caſtris diſtante ducentis trecentíſve paſſibus: vnus duóve ſeiuncti inter hos & caſtra, vbi maius fortè intereſt camporum ſpatium. Horum duorum primus obſeruat medium, medius in oculis habet vtrumque extremum. Sine galeâ omnes, vt exaudiant ſtrepitum faciliùs. Nocte nullum ingredi egredíve caſtris ſinunt, niſi conſtiterint priùs interuallo XXX. aut XL. paſſuum: tum verò excubitor medius Præfectum vigiliæ admonet (cuius eſt cognoſcere) quod etiam facit ignibus viſis, vel audito canum frequenti latratu, aut ſonitu bombardarum, aut aduentu hoſtis deprehenſo, quo tempore procubitores ad ſtationem proximam recipiunt ſeſe pedetentim. Id prudenter præſcribit Flaminius lib. III. cap. VI. reijciens Melzum, qui iubet alterum procubitorum extremorum, ſocio relicto, redire ad ſtationem. Certè id ſine deſerti procubitoris periculo apertiſſimo fieri non poteſt. Teſſeram procubitoribus dandam negauit Dux Parmenſis: quia ſemel, capto vno procubitorum extremorum, ſocio relicto, teſſeraque ex eo cognitâ, hoſtis ceteros fefellerit, induxeritque ſubſidia vrbi Tornacenſi, à Duce Parmenſi tum obſeſſæ. Loca excubitoribus idonea deſignat oſtenditque Præfectus; Optionibus turmarum, Curator mandatorum. Equites ducit deducitque Optio turmalis ad ſtationem, Decurione iuuante. Excubiæ ſuſtentantur à ſtationibus, quas à ſtando Veteres appellarunt. Agrarias Vegetius plerumque nominauit, quia in agris ſub dio. Hæ diurnæ erant. Ita Scriptores indicant: Vegetius lib. III. cap. VIII. *Per diem poſitis*

castris, alij manè, alij post meridiem, propter fatigationem hominum equorumq́, agrarias faciūt. (malè angarias legebatur.) Tacit. XI. Annal. *Stationes, vigiliæ, diurna nocturnaq́, munia in armis agitabantur.* Liuius lib. XLIV. & diurnas fuisse, & earum nouum morem indicat: *Æmilius stationum quoque morem mutauit: armati omnes, & frenatis equis, equites diem totum perstabant: id cùm æstiuis diebus vrente assiduo sole fieret, tot horarum æstu ac languore ipsos equosq́, fessos, hostes integri sæpè adorti, vel pauci plures vexabant. Itaque ex matutinâ statione ad meridiem decedi, & in post meridiem succedere alios iussit.* Cæsar lib. VII. de Bell. Gall. *Castella, in quibus interdiu stationes disponerentur.* Quin & multiplices eas fuisse, quarum aliæ sustinerent alias, prodidit Liuius lib. XXIII. *Prouectusq́, ante stationes equo.* Iterùm XLVIII. *Suam tamen alteram stationem propiùs castra sexcentorum equorum posuerunt.* Cæsar lib. I. de Bell. ciu. *Quâre cognitâ, crebras stationes disponunt equitum.* Iterùm: *Longiore circuitu custodias stationesq́, equitum vitabant.* Lib. V. Bell. Gall. de Britannis: *Rarò magnisq́, interuallis præliantur, stationesq́, dispositas habent, atque alios alij deinceps excipiunt, integriq́, & recentes defatigatis succedunt.* Nunc nocturnæ quoque sunt, & quidem sub tecto habentur. Recentiores *Corpora custodiarum* dicunt, voluntque locari in medio pagorum aut castrorum. Nos cum Cæsare *Custodias* nominabimus lib. I. Bell. Gall. *Nec clàm transire propter custodias Menapiorum possent.* & I. de Bell. ciu. loco recèns allato. Hæ, vbi mixtus est peditatu exercitus, peditum ante se positis stationibus defenduntur, vti & peditum procubitoribus tutelam præstant antepositi excubitores equitum, ait Melzus. Has stationum vigilias vni pluribúsve turmis præscribit Mandatorum curator. Dumque in vigilias turmæ eunt, abesse nullâ caussâ Præfectus potest. Vigiliarum scriptum catalogum seruat Metator summus, vt ex æquo sit omnibus excubandi labor. Immunes earum sunt turma Prætoria, aliæque duæ, quæ Imperatori sunt à custodiâ. Turma quoque Optionis summi & Curatoris mandatorum. Atque hæ stationum vigiliæ ad tutelam ipsius exercitûs

tûs & castrorum. Sanè etiam Prætorio Imperatoris seruando, olim *manipulus vnus in diem locabatur*, auctore Polybio lib. VI. Nunc excubat cohors tota, vbi adest peditatus; turma, si castra administrat equitatus solus, antepositoexcubitore vno. Optionis summi tabernaculum (quando is Imperatoris aut Magistri equitum vices gerit) custodit turmula aut manipulus vicenûm-quinûm, præpositoAccenso, quem *Sergeantum* vocant. Tentorio Curatoris mandatorum, administrantis pro Imperatore exercitum, excubant vigiles deni sub decurione, qui *Corporal* nuncupatur. Si Præfectus turmalis aliquis copias regit, excubabunt ei procubitores quaterni, aut quini. Præfecto turmæ (cui castrorum imperium non est) nullus miles excubat, nisi contubernio accipiat vexilliferum cum vexillo. Arcabusariorum tamen Præfectis vigil vnus apponitur, quòd ij primi obijciantur aduentanti hosti. Vexillifero etiam, cùm solus degit, ob religionem vexilli, designantur excubitores quaterni aut quini. Hæc strictim ex Melzi lib. III. cap. II. Excubijs stationibusque circuitio adiecta est, ad cautelam, *ne vigilum diligentia consuetudine minueretur, quod fit diuturnitate.* Quare prudenter quoque Æmilius Consul vigili scutum pilumque dempsit, vt non pugnare, sed excubare se meminisset. Liuius lib. XLIV. *Vigiles nouo more scutum in vigiliam ferre vetuit: non enim in pugnam vigilem ire, vt armis vtatur, sed ad vigilandum, vt, cùm senserit hostium aduentum, recipiat se, excitétque ad arma alios.* Alioqui *vbi fessi sint, innixos pilo, capite super scuti marginem posito sopitos stare; vt fulgentibus armis procul ab hoste conspici possit, ipse nihil prouideat.* Ergo *circuitionis fides equitibus committitur*, inquit Polybius lib. VI. *Id Veteres fraxare dicebant, vigiliam circuire*, auctore Festo. At qualis illa circuitio? Idem explicat eodem libro. *Cùm tempus appetierit, primam vigiliam circuit ille qui eam sortitus est, habens apud se testes aliquos ex amicis.* (Obserua cautelam.) *Perlustrat verò locos non solùm circa vallum & portas, sed etiam circa manipulum & turmas. Quòd si reperit vigilantes, qui primam agunt, capit ab ijs tesserulam: sin aliquem dormientem, aut loci deserto-*

rem, testificatús proximos, abit. Idem fit ab ijs qui sequentes vigilias lustrant, &c. *Quisque autem circitorum, vnà cum luce, ad Tribunum defert tesseram: & si omnes reddita sunt, sine culpâ abeunt. Quòd si quis pauciores fert quàm pro numero vigiliarum, inquirunt ex charactere, quanam vigilia defecerit. Quo cognito, vocat Centurionem qui ducit eos quorum vigilia fuerat. Ii disceptant cum circitore: &, si vigilum delictum est, statim ostendit circitor, adhibitis testibus è proximis; id enim facere tenetur: si nihil horum, in ipsum cadit culpa.* De ijsdem Vegetius lib. III. cap. VIII. *Nunc militiæ factus est gradus, & Circitores vocantur.* Exempla equestris huius circuitionis extant passim apud Liuium libro XXII. *Circumeunti vigilias equiti arsit Scipio quem manu tenebat.* Apud Statium lib. x.

—— *Monitu ducis acer agebat*
Amphion equites; noctem vigilatáque castra
Explorare datus. ——

Circuitionem & circitores vulgò nunc *Rondes* appellamus; seruaturque accuratè id munus. Neque solùm procubitoribus nocturnis, sed etiam stationibus totis (quæ olim diurnæ solummodò erant) inuigilant noctu frequenter ipsi summi Præfecti. Melzus lib. III. cap. II. *Munus est,* inquit, *Curatoris mandatorum, noctibus singulis obire excubias; frequenter etiam summi Optionis: nonnumquam ipsius equitum Magistri, aut Imperatoris.* Et rursus cap. III. *Supra sedulam explorationem viarum, conducit maiori securitati castrorum, quaternos præterea circummittere equites circitores, altero tanto extra procubitores interuallo, quanto ipsi procubitores distant à castris, vt canum latratum, equorum hinnitum, strepitúmque exaudiant. Quo audito, tres de quaternis propiùs cognitum eant, quartus indicatum reuertatur in castra. Ac pro suspicione periculi, ter quatérve subinde nocte vnâ, ab statione huiusmodi circitores circummittantur; qui, si hostem aduenire renuntiant, turmas pro castris stare expeditas, atque opperiri consultum, est pabulo modico ab singulis comportato.* Hæc eques munia præstat castris ipsis tuendis. Iam, quid suâ equique causâ faciat, expendendum.

CA-

CAPVT III.

Pabulatio, Frumentatio, Aquatio, quomodo equitibus instituenda.

Pabulatio hostilis impedienda. Exercitus ante frumenti maturitatem non educti. Frumentatio ex agris, ex horreis. Aquatio è propinquo curanda. Quomodo frumenti aquarumque penuriæ consulendum. Sarmaticorum equorum inedia. Pabulo deficiente, equis quale aliquando præbitum alimentum. Cædes iumentorum, ob pabuli inopiam. Præcepta ritè instituendæ pabulationis.

PABVLA *equis præcipuè congerenda*, ait Vegetius lib. IV. cap. VII. At cuius ea generis sunt? Pollux definit lib. I. cap. XI. *Alimenta equorum, hordeum, spelta, siligines, fœnum, frumentum. Apud Homerum verò etiam triticum. Et, si credere licet, vinum potus erat, & lotus, & palustre apium.* Sed Homerica illa omittemus, quibus felices Heroïcorum equorum animæ in Elysio pascebantur: nostris equis non licet esse tam beatis, ne Consualibus quidem ferijs, quando coronati otiantur. Hordea igitur ceteraque quâ arte aut modo quærebantur? Pabulatione & frumentatione. Hæc curare Hipparchum Xenophon monet. *Hisce rebus, eorum quibus præs*, inquit, *beneuolentiam conciliabis, si prospicere & consulere vt frumento abundent*, &c. *vt pabuli, vt tabernaculi, vt aquæ curam gerere videaris.* Quantæ verò necessitatis momentique ea sit res, non aliunde cognoscas meliùs, quàm vel hostium ipsorum studio, qui id vnum agunt, vt impediant pabulationem. Ita vaferrimus Vercingetorix apud Cæs. lib. VII. *docet omnibus modis huic rei studendum, vt pabulatione & commeatu Romani prohibeantur. Id esse facile, quòd equitatu ipsi abundent, & quòd anni tempore subleuentur, pabulum secari non posse. Necessariò dispersos hostes ex ædificijs petere: hos omnes quotidie ab equitibus deleri posse. Præterea salutis caussâ rei familiaris commoda negligenda, vicos atque ædificia incendi oportere quoquo versus, quo pabulandi caussâ adire posse videantur.* Sic Britanni *optimum factu esse duxerunt,*

frumento commeatuq; Romanos prohibere, & rem in hiemem producere, quòd his superatis, aut reditu intercluſis, neminem poſteà belli inferendi cauſſâ in Britanniam tranſiturum confidebant. lib. IV. Bell. Gall. Sic Galli lib. IIX. Hirtij: *Cùm ſæpè inſidijs equites peditesq; diſponerent, magna detrimenta Romanis in pabulationibus inferebant.* Sic Cæſar lib. I. de Bell. ciu. Petreium & Afranium domuit. *Hæc conſiliantibus eis nuntiatur, aquatores ab equitatu premi noſtro,* &c. *Premebantur Afraniani pabulatione, aquabantur agrè,* &c. *Itaque magnus quotidie eorum numerus ad Cæſarem perfugiebat,* &c. *Tandem omnibus rebus obſeſſi, quartum iam diem ſine pabulo retentis iumentis, aquæ, lignorum, frumenti inopiâ, colloquium petunt.* Sic Pompeij equitatum corrupit lib. VIII. de Bell. ciu. *vt pabulatione Pompeium prohiberet, equitatúmque eius ad rem gerendam inutilem efficeret.* Quid? quòd non antè exercitus educerentur, niſi ferè matura eſſent frumenta. Nam, quo equi aliàs paſcerentur, niſi vel agri, vel horrea pabulum ſuppeditarent? Ita in Cæſare obſeruo lib. II. Bell. Gall. *Cæſar, initâ æſtate, in interiorem Galliam Q. Pedium Legatum miſit; ipſe, cùm primùm pabuli copia eſſe inciperet, ad exercitum venit.* Iterùm lib. VI. *Cæſar, cùm matureſcere frumenta inciperent, ad bellum Ambiorigis Minuc. Baſilum cum omni equitatu præmittit.* Ex agris ergo horreiſve pabula petenda, equitum peditumque præſidio. Salubre monitum Onoſandri cap. X. Strategici: *Si copias pabulatum mittat Imperator, ſummopere cauere debet, ne per vberes diuitéſque hoſtium regiones, huc illúcque prædas opimas perquirendo oberrent,* &c. *Palantes enim & diſperſi, prædas inſolenti latitiâ abigentes, ab hoſtibus opprimuntur ac profligantur,* &c. *Imperator igitur, vacuis & inermibus, armatos aliquot equites peditéſque adiungat.* Hirtius libro VIII. Bell. Gall. *Ex captiuo quodam comperit Cæſar, Correum, Bellouacorum Ducem, millia* VI. *fortiſſimorum militum delegiſſe, equitéſque ex omni numero* M. *quos inſidijs eo loco collocarat, quem in locum, propter copiam frumenti ac pabuli, Romanos pabulatum miſſuros ſuſpicabantur. Quo cognito conſilio, Cæſar legiones plures quàm ſolebat educit, equitatúmque, quâ conſuetu-*

dine

dine pabulatores mittere præsidio consueuerat, præmittit. Hunc insidijs circumdederunt nostri, & turmatim in eum locum deuenerunt; vbi Correus in proximas turmas impetum facit, &c. *Fit magnâ contentione diuersum prælium, & accedunt propiùs interim legiones. Crebri nuntij afferuntur, Imperatorem instructis copijs adesse. Hostes concidunt animis, atque itineribus diuersis fugam quærunt. Nequidquam: nam quibus difficultatibus locorum Romanos claudere volebant, ijs ipsi tenebantur,* &c. Iterùm Cæsar lib. IV. de Bell. Gall. *Legione, ex consuetudine, vnâ frumentatum missâ,* &c. Ac sanè, quoties præsidia pabulatoribus addita, feliciter pabulatio euenit, hostesque pulsi sunt. Liuius lib. XLIII. *Tum verò instare dissipatis Galli, & cædere; magnáque pars oppressi forent, ni statio pabulatorum sexcenti equites occurrissent.* Contrà, quoties præsidia pabulationis omissa. Liuius lib. XLII. *Cùm ex transfugâ cognosset Rex* (Perseus) *sine vllo armato præsidio passim vagantes per agros Romanos metere, cum mille equitibus est profectus; cùm, quantum accelerare poterat, effuso agmine issent, improuisò aggressus est Romanos. Iuncta vehicula, pleraque onusta, mille admodum capiuntur, sexcenti fermè homines.* Nec statio tantùm in tutelam dispositа, sed & magna subinde exercitûs pars pabulatoribus præsidio data. Liuius lib. VII. *Hannibal frumentatum duas exercitûs partes mittebat.* Cæsar lib. IV. Bell. Gall. *Cognouerat Cæsar magnam partem equitatûs* (à Germanis) *frumentandi causâ aliquot diebus antè trans Mosam missam.* Sic quoque ad aquandum, lib. I. de Bell. ciu. *Afraniani, præsidio in castris relicto, vniuersas ad aquam copias educunt.* Liuius lib. XXXV. *Tarentini equites aquarijs præsidio erant.* Prudenter: nam aliàs, aut cæsis aut fugatis pabulatoribus aquatoribusque, frumentatio & aquatio impedita, vt exemplis ostendetur Capite sequenti, vbi de munere equitum turbantium pabulationem. Has ob res, vbi pabulatio aquatioque institui non posset, pabulum & aquam vnà ferre in certos dies iubebantur. De pabulo Cæsar lib. VII. Bell. Gall. *Triginta dierum pabulum frumentumq; habere conuectum omnes iubet.* Duplum nempe præ solito; nam solitos semper dimidiati

diati menſis annonam ferre Romanos ſingulos, Tullius ſcribit Tuſculanâ II. Ampliùs Heluetij apud Cæſarem lib. I. Bell. Gall. *Trium menſium molita cibaria ſibi quemque domo afferre iubent.* Lubet ſcire comportandi modum? Liuius explicat lib. IX. *Eques folliculis in caſtra frumentum veheret.* Folliculi *hippoperæ* ſunt, vt Seneca loquitur, ſeu ſacci inſtar vtriũ. Leo Imperator cap. VI. Tact. §. X. geminum adfert præceptum: *Ad ſellas, duas ſcalas ferreas, & floroſacum, & pedilum, & ſellopungium, vt quo tempore aduocatur aliquis, ſufficere ſumptum duorum aut trium dierum poſſit; & tuphia ad opiſthelinas quatuor, & verticalia, equituphium, & ſimiliter hypogeuneum.* Cap. XII. §. CXXIII. *Die ipſo belli miles quilibet geſtet ad ſellam ſuam aquam ſecum in phlaſcijs, & biſcoctum in ſellopungio, & farinæ vnam atque alteram libram, pro neceſſariâ refocillatione, ſi aut ipſe aut quis alius incidat in aliquam animi defectionem.* Quæ eadem repetuntur ſequenti capite §. XI. Feliciùs meliuſque Sarmatis natura conſuluit, *qui pridie quàm itinera acturi ſunt, equos ſuos inediâ præparant, exiguum tantùm potum ijs impertientes, atque ita per centena millia & quinquaginta continuo curſu euntibus inſident*, auctore Plinio lib. VIII. cap. XLII. De aquâ Suidas, *Pharuſij*, inquit, *dum in Mauros eunt per ſola arentiaq; loca, vtres aquâ refertos ſubligant ventribus equorum.* Curtius lib. IV. *Aqua etiam defecerat, quam vtribus cameli deuexerant.* Cambyſem per ſiticuloſa Arabiæ tendentem, Rex Arabum docuit aquam vtribus vectare, & camelis imponere, ait Herodotus lib. III. Antigonus Rex Gadamartis, decies mille cadis aquâ refertis, decem dierum potionem exercitui comportauit, auctore Polyeno lib. IV. Pompeius contra Albanos profectus, decem millia vtrium aquâ refertorum militi per ſicca tendenti ſubuexit, teſte Plutarcho. Sed quoniam vel pluſculis diebus tantilla copia par eſſe vix poterat, & magnas ea res haberet difficultates, id in primis prouidebatur, vt equitatus diuerſa in ſtatiua mitteretur frumentationis vberioris cauſsâ, ſemperque propinquam haberet aquationem, ne aqua aut annona deeſſet. Quoad frumentationem

tionem Cæsar lib. v. Bell. Gall. *Equitatum in plures ciuitates distribuere coactus est, ita aq; facillimè inopiæ rei frumentariæ mederi sese posse existimauit.* Vtinam in hostili solo! Quod Contzenius noster suadet lib. x. Polit. cap. xxxi. De expediendâ curandaque aquatione æqualis Ducum cura. Leo Imper. Tact. cap. xi. §. xxxv. *Mediocri fluuio præterlabente, superiorem partem versus equi aquatum ducendi non sunt, ne aqua, pedibus turbata, cœnosa ac lutulenta fiat.* §. xxxvi. *Vasis aquam educant ad vitandam aquæ turbulentiam.* Liuius lib. xxii. *Aufidus amnis vtrisque castris affluens, aditum aquatoribus ex suâ cuiusque opportunitate haud sine certamine dabat.* Ita nempe incommodare inuicem Duces studebant, & crebræ contra aquatores pugnæ. Liuius lib. xxxv. *Philopœmen, iussis equitibus subsequi, super torrentem, vnde aquari possent, rupem occupauit. Hostes quingentos passus abierant: ex eodem riuo vtrimque cum præsidio leuis armaturæ,* &c. *& Tarentini equites super torrentem prælium commiserunt.* Iam, quantæ bello Alexandrino contentiones pro aquâ apud Hirtium? quot puteos fodi Cæsar iussit, nè marinam sui biberent eodem bello? Quid tamen, si fœnum, frumenta, potabilis denique aqua deficiant? quò eques? quò equi? Ad miseranda alimenta decurrendum est. *Algâ è littore collectâ, & aquâ dulci elutâ, iumentorũ esurientium vitam produxêre,* ait Hirtius de Bello Africano. & Pompeiani lib. iii. Bell. ciu. *Foliis ex arboribus strictis, & teneris arundinum radicibus contusis, equos alebant.* idem aliàs lib. i. Bell. ciu. *Quartum iam diem sine pabulo retentis iumentis, sese dediderunt.* Bello denique postremo Bredano à me scripto, *tãta pabuli inopia esse cœpit, vt aut equino fimo, aut aridis arborũ foliis, aut myricis, equi pabulabundi vescerentur, cùm auenæ satis afferri non posset, quâ tot curulia sarcinariáque iumenta, præter ephippiatos equos, sustinerentur.* At, dum neque ista suppetunt, heu qui casus! Pompeiani *inopia pabuli adducti, omnia sarcinaria iumenta interfecerunt,* lib. i. Bell. ciu. Ergo vt hisce calamitatibus caueatur, accipe à Melzo pabulationis præcepta lib. ii. cap. xvii. & lib. iii. cap. xiv. 1. Pabulatoribus equitibus pedites, si ad-

sunt, præsidio dantor. II. Quoties toti exercitui pabulum quæritur, pabulationi Optio aliquis Imperatoris Vicarius præesto, & Latrunculatorum Præfectus adesto. III. Aliàs pabulationem Præfectus aliquis præcipuus administrato. Latrunculator, Curio castrensis, & carnifex adsunto. IV. Cùm Centurio aliquis pabulatores ducit, absque vexillo proficiscuntor. V. Calones, lixæ, carri, turmis euntibus ne admiscentor. VI. Eumdem in locum continenter pabulatum non mittuntor. VII. In longinqua primùm, in proximiora deinde pabulatores excurrunto. VIII. A locis, in quæ hostis venire maioribus copijs potest, abstinento. IX. Quò hosti periculosum iter, eò pabulatum ducuntor. X. Cùm longiùs ab castris pabulandum, statio turmarum aliquot inter castra & pabulatores collocator. XI. Aditus, quibus irrumpere hostis posset, equitum turmulis peditúmve manipulis insidentor. XII. Eques vnus viarum fauces longiusculè ingressus, indidem excubato; duo antecursores equites laxiùs vias singulas exploranto: pontes, angustiæque, quibus hosti transeundum esset, stationibus equestribus occupantor. XIII. Turmæ hinc inde duæ pabulatorum latera tegunto. XIV. Turma vna extimos loci fines, intra quos pabulantur, custodito; eique Latrunculator & carnifex præstò sunto. Qui fines transierit, capital esto. Præfectus huius turmæ exploratores in omnem partem dimittito. XV. Reliquum agmen post pabulatores incedito. XVI. Hoste aduentante, is, qui agmini præest, vti ex re fore iudicauerit, decernito. Horum præceptorum non pauca cõplexus est Onosander Strategici cap. X. *Si copias pabulatum mittat Imperator, summopere cauere debet, ne vberes diuitesq; hostium regiones, huc illucq; prædas opimas perquirendo, oberrent; ne hac ratione in maximas aliquando strages incidant*, &c. *Quotquot igitur iniussu Imperatoris aliqua deprædari ausi fuerint, plectuntur. Ipse verò si quando pabulatum mittere voluerit, vacuis & inermibus aliquot armatos equites peditesq; adiungat; qui quidem abigendâ prædâ non occupabuntur, sed ordine dispositi, munient ipsos pabulatores, vt tutò se ad suos cum prædâ recipere possint.*

CA-

CAPVT IV.

Reliqua equitum munia.

Explorare vias & castra, & quàm accuratè castrorum locus inspiciendus. Captiuos ad cognoscendum excipere, & quàm cautè credendum. Insidias struere, & quam occultè eundum. Stationes vigiliasque lacessere. Commeatum, aquatores, pabulatores, frumentantes, lignantes aggredi. Auxilia hosti missa impedire. Procubitores & statiua equitum inuadere. Agros denique populari & prædari. Sed ab iniuria sociorum abstinendum.

PRAETER itinerum tutelam, præter excubias multiplices, præter equestrem pabulationem, frumentationem, aquationem, multiplex insuper equiti negotium est. Colligam obiter à Veteribus exempla, addamque præcepta præcipuè ad explorationes, insidias, statiuorumque inuasiones ritè obeundas. De exploratione Xenophon in Hipparcho: *Si periculosum alicubi sit iter, prudentis erit equitum Magistri, vt ante præmissos, etiam præmissi alij quidam antecedant.* Onosander Strateg. cap. VI. *Præmittat* (Dux) *etiam equites scrutandis explorandisque vijs, maximè cùm siluæ penetrandæ, aut circumseptæ collibus solitudines.* Leo Imper. Tacticor. cap. IX. §. XXXVIII. *Præmittes ad loca exploranda equites quosdam, præsertim si siluosa sint, aut collibus aut montibus inclusa, per quæ transeundum est.* Liuius lib. XXVI. *Hannibal ipse cum duobus millibus equitum ad portam Collinam vsque ad Herculis templum est progressus, atque vnde proximè poterat, mœnia situmq; vrbis obequitans contemplabatur.* Cæsar lib. I. Bell. ciu. *Petreius cum paucis equitibus occultè ad exploranda loca proficiscitur, hoc idem fit ex castris Cæsaris.* Geminum euentum narrat Liuius lib. XXI. *Scipio cum equitatu profectus ad castra hostium, exq; propinquo copias, quantæ & cuius generis essent, speculandas, obuius fit Hannibali, & ipsi cum equitibus ad exploranda circùm loca progresso.* Alibi: *Quin imus ipsi* (inquit Marcellus Consul Collegæ suo) *cum equitibus paucis exploratum?* En vt ipsi Imperatores cum equite loca explorant. Aliàs certè fidos semper præmisêre, cùm

ipsis non liceret. *Ceteri enim exploratores*, ait Xenophon lib. VI. Pædiæ, *nihil aliud quod sciant possunt renuntiare, quàm quæcumq; nouerint omnes.* Liuius lib. XL. *Prætor Romanus M. Fuluium fratrem cum duabus turmis sociorum equitum ad castra hostium speculatum misit, quàm proximè succedere ad vallum iussum.* & lib. XXII. *Fabius exercitum reducit, misso exploratum cum quadringentis sociorum equitibus L. Hostilio Mancino.* Iterùm: *Paulus Consul Marc. Statilium Præfectum cum turmâ Lucanorum exploratum misit: qui, vbi adequitauit portis, subsistere extra munimenta ceteris iussis, ipse cum duobus equitibus vallum intrauit, speculatusq; omnia cum curâ, renuntiat, profectò insidias esse.* Sic sanè exploranda cognoscendaque loca sunt, adeoque intranda, si licet. Sæpiùs factum Liuius narrat lib. XXIX. *Consul duobus equitibus in castra præmissis, postquam satis tuta omnia esse exploratum est, inferri signa iussit.* lib. X. *Equites Consuli referunt excessum ex vrbe*, &c. *His auditis Consul*, &c. *quinque equites iubet intrare vrbem, & modicum spatium progressos tres manere eodem loco; si tuta videantur, duos ad se explorata referre.* Procul ergo exploratione abstinento Considij, qui metu perterriti, non visa pro visis referant. Fuluios, Mancinos & Statilios volo, qui loca ipsa ingrediantur & inspiciant.

Alterum equitum munus, excipere nuntios, agrestes, aut palatos, ad cognoscendum. Id sæpè Ducibus necessarium. Cæsar lib. de Bello Gallico: *Cogunt equitum duo millia Sicambri; & Eburonum fines adeunt, multos ex fugâ dispersos excipiunt*, &c. *Quibus in locis sit Cæsar ex captiuis quærunt.* Iterùm: *Cæsar L. Minucium Basilum cum omni equitatu præmittit, & Basilus multos in agris inopinantes deprehendit, eorum indicio ad ipsum Ambiorigem contendit.* Hirtius lib. VIII. de Bell. Gall. *Equitum turmas dimittit in omnes partes, ad aliquos excipiendos, ex quibus hostium consilia cognoscerent. Equites officio functi renuntiant*, &c. Sed, ne cautus Dux maiore hostium astu circumueniatur, prouideat, nec nisi consentientibus captiuorum plurimis credat. Ita sanè prudenter ibidem: *Quæ cùm Cæsar consentientibus plurimis cognouisset*, &c.

Insi-

Insidijs verò struendis præcipuè adhibetur eques. Atque id prudentissimum frequentissimumque est bellandi genus, ex insidijs hostem oppugnare. *Boni enim Duces*, ait Vegetius lib. III. cap. IX. *non aperto Marte, in quo est commune periculum, sed occulto semper attentant, vt, integris suis, quantos possunt hostes interimant certè vel terreant.* Adeoque post multa concludit: *Dux, si aduersarium intelligit potiorem, certamen publicum vitet; sed pauciores numero & inferiores viribus, superuentus & insidias facientes, sub bonis Ducibus reportauerunt sæpè victoriam.* Artem ergo struendi insidias accuratissimè Melzus tradidit libro IV. vbi hæc ferè præcepta præscribuntur. I. In insidijs totus equitatus, si inferior est hostili, ne collocator. II. Insidiæ hosti occultissimæ sunto. III. Circummissis equitibus, an insidiarum loco vicinus lateat hostis, explorator. IV. Procubitores aut ex arborum cacuminibus, aut in terrestribus tumulis iacentes, excubanto. V. Ad insidias noctu educuntor, nec multò ante auroram struuntor. VI. Iustis interuallis latentes in insidijs turmæ disiunguntor. VII. Equitatum vniuersum (cùm in insidijs ponitur) pedites mille cum Musquetarijs D. & hastatis CCC. comitantor. VIII. Hi pedites passibus mille, post vniuersum equitum agmen, viarum latera occupanto; hostemque eò vsque inuectum opprimunto. IX. Antecursores equites trecenti, in turmas diuisi, hostem eliciunto. X. Horum nullus (præter Præfectum subsequentium sociorum) conscius insidiarum esto. XI. Ex his centum præeunto; ducentique à mille passibus subsistunto. XII. Primi centeni ad CC. proximos, insequente hoste, se recipiunto. XIII. Ducenti, receptis prioribus centenis, hostem pugnando remorantor. XIV. Imminente maiore vi, intra reliquum suorum agmen simul omnes se recipiunto. XV. Transgresso trecentos pedites hoste, latentes insidiæ emicanto, & hostem inuadunto.

Hæc Melzi præcepta varijs Antiquorum exemplis vera confirmantur. Primum est Hannibalis in Sempronium, Liuij lib. XXI. *Locum*, inquit, *insidijs circumspectare Pœnus cœpit.*

pit. Erat in medio riuus, prealtis vtrimque clauſus ripis, & circà obſitus paluſtribus herbis, & ,quibus incùlta fermè veſtiuntur, virgultis vepribúſque : quem, vbi ad equites quoque tegendos, ſatis latebroſum locum, circumuectus ipſe, oculis perluſtrauit, &c. *primâ luce Numidas equites tranſgreſſos Trebiam flumen, obequitare iubet hoſtium portis, iaculandoq; in ſtationes, elicere ad pugnam hoſtem : iniecto deinde certamine, cedendo ſenſim citra flumen pertrahere,* &c. *Sempronius ad tumultum Numidarum primùm omnem equitatum, ferox eâ parte virium, deinde ſex millia peditum, poſtremò omnes copias ad deſtinatum locum iam antè conſilio, auidus certaminis, eduxit.*

Alterum eiuſdem Pœni in Flaminium apud lacum Thraſymenum, Liuius lib. xxii. *Peruenerant ad loca inſidijs nata, vbi maximè montes Cortonenſes Thraſymenus ſubit. Via tantùm intereſt perangusta, velut ad idipſum de induſtriâ relicto ſpatio: deinde paullò latior pateſcit campus; inde colles aſſurgunt. Ibi caſtra in aperto locat, vbi ipſe cum Afris modò Hiſpaniſq; conſideret,* &c. *Equites ad ipſas fauces ſaltûs, tumulis aptè tegentibus, locat: vt vbi intraſſent Romani, obiecto equitatu, clauſa omnia lacu ac montibus eſſent. Flaminius, cùm pridie ſolis occaſu ad lacum peruenisſet, inexplorato poſtero die, vixdum ſatis certâ luce anguſtijs ſuperatis, poſtquam in patentiorem campum pandi agmen cœpit, id tantùm hoſtium, quod ex aduerſo erat, adſpexit; à tergo ac ſuper caput detecta inſidia. Pœnus vbi, id quod petierat, clauſum lacu montibuſq; & circumfuſum ſuis copijs habuit hoſtem, ſignum omnibus dat inuadendi,* &c. *Romanus, clamore prius vndique orto, quàm ſatis cerneret, ſe circumuentum ſenſit; & antè in frontem lateráque pugnari cœptum eſt, quàm ſatis inſtrueretur acies, aut expediri arma ſtringíque gladij poſſent,* &c. *Tres fermè horas pugnatum eſt, & vbique atrociter.*

Tertium eſt Memnonis Regis apud Frontinum lib. ii. cap. v. *Is, cùm equitatu præualeret, & hoſtem in collibus ſe continentem in campos vellet deducere, quoſdam ex militibus ſuis ſub ſpecie perfugarum miſit in hoſtium caſtra, qui affirmarent exercitum Memnonis iam pernicioſâ ſeditione furere, vt & ſubinde aliqua*

qua pars eius dilaberetur. Huic affirmationi vt fidem faceret, passim in conspectu hostium iussit parua castella muniri, velut in ea sese recepturi essent qui diffidebant. Hac persuasione sollicitati, qui in montibus se continuerant, in plana descenderunt, & dum castella tentant, ab equitatu circumuenti sunt.

Quartum ibidem est Pompeij in Mithridatem, *aduersus quem in Africâ numero & genere equitum præualentem, tria millia leuis armaturæ, & quingentos equites nocte in valle sub virgultis, quæ intra bina castra erant, disposuit. Primâ deinde luce in stationem hostium dimisit equites ita firmatos, vt cùm vniuersus cum exercitu hostium equitatus prælium iniisset, seruatis ordinibus paullatim cederent, donec spatium darent consurgendi à tergo ob hoc dispositis. Quod postquam ex sententiâ contigit, conuersis qui terga dedisse videbantur, medium hostem trepidantem cecîdit, ipsos etiam equos pedite cominus accedente confodit, eóque prælio fiduciam Regi, quam in equestribus copijs habebat, detraxit.*

Quintum est Etruscorum in Romanos. Liuius ita narrat lib. x. *Magister equitum* (M. Æmilius Paulus) *pabulatum egressus, ex insidijs circumuenitur; signísque aliquot amissis, fœdâ militum cæde ac fugâ in castra est compulsus.*

Sequentes insidiæ, binæ Labieni in Cæsarem, vnæ Scipionis in Domitium, alteræ Domitij in Scipionem, postremæ Etruscorum in Romanos, non euenerunt è sententiâ Ducum, quia malè adornatæ. De Labieno Hirtius Bello Africano: *Erat conuallis satis magnâ latitudine, altitudine præruptâ, crebris locis, spelunca in modum, subrutis; quæ erant transgredienda Cæsari antè, quàm ad eum collem, quem capere volebat, perueniretur; vltraq́ eam cõuallem Oliuetum vetus, crebris arboribus condensum. Hic cùm Labienus animaduertisset, Cæsarem, si vellet eum locum occupare, priùs necesse esse conuallem Oliuetumq́ transgredi, eorum locorum peritus, in insidijs cum parte equitatûs leuíque armaturâ consedit; & præterea post montem collémque equites in occulto collocauerat, vt, cùm ipse ex improuiso legionarios adortus esset, ex colle se equitatus ostenderet, & re duplici perturbatus Cæsar eiúsque exercitus, neque retrò regrediundi, neque vltrà procedendi*

cedendi oblatâ facultate, circumuentus concideretur. Cæsar, equitatu antè præmisso, inscius insidiarum, cùm ad eum locum venisset, abusi, siue obliti præceptorum Labieni, siue veriti ne in fossâ ab equitibus opprimerentur, rari ac singuli de rupe prodiêre, & summa petiêre collis. Quos Cæsaris equites consecuti, partim interfecerunt, partim viuorum sunt potiti. Ibidem alteræ eiusdem insidiæ nihilo feliciores: *Labienus progressus à suis castris millia passuum* VII. *per iugum & collem, per quem Cæsar pridie iter fecerat, ibi castra duarum legionum facit; atque ibi ipse quotidie existimans Cæsarem eódem sæpè frumentandi gratiâ commeaturum; cum magno equitatu leuique armaturâ insidiaturus locis idoneis consedit. Cæsar interim de insidijs Labieni ex perfugis certior factus, paucos dies ibi commoratus, dum hostes quotidiano instituto, sæpè idem faciendo in negligentiam adducerentur, subitò manè imperat portâ Decumanâ, legiones se octo veteranas cum parte equitatûs sequi; atque equitibus præmissis, nec opinantes insidiatores subitò in conuallibus latentes leui armaturâ concîdit circiter* D. *reliquos in fugam turpissimam coniecit.* Tertiæ Scipionis in Domitium lib. III. de Bell. ciu. *Scipio paucis diebus interpositis, noctu insidias equitum collocauit; quo in loco superioribus ferè diebus nostri pabulari consueuerant: & cùm quotidianâ consuetudine Q. Varus Præfectus equitum Domitij venisset, subitò illi ex insidijs consurrexerunt. Sed nostri fortiter eorum impetum tulerunt, celeritérque ad suos quisque ordines redijt, atque vltrò vniuersi in hostem impetum fecerunt. Ex his circiter* LXXX. *interfectis, reliquis in fugam coniectis, nostri, duobus amissis, in castra se receperunt.* Quartæ Domitij in Scipionem ibidem narrantur. *His rebus gestis, Domitius sperans Scipionem ad pugnam elici posse, simulauit sese angustijs rei frumentariæ adductum castra mouere; vasisque more militari conclamatis, progressus millia passuum* III. *loco idoneo & occulto omnem exercitum equitatúmque collocauit. Scipio ad sequendum paratus, equitatum, magnámque partem leuis armaturæ ad explorandum iter Domitij, & cognoscendum præmisit: qui cùm essent progressi, primæq; turmæ insidias intrauissent, ex fremitu equorum illatâ suspicione, ad suos se recipere cœperunt.*

qui-

quiq; hos sequebantur, celerem eorum receptum conspicati, restiterunt. Nostri, cognitis hostis insidijs, ne frustrà reliquos expectarent, duas nacti hostium turmas exceperunt. In his fuit M. Opimius Præfectus equitum. Reliquos omnes earum turmarum aut interfecerunt, aut captos ad Domitium deduxerunt. Postremæ Etruscorum in Romanos à Liuio narrantur lib. x. *Etrusci insidijs, quas feliciter experti erant* (aduersus Magistrum equitum Paulum Æmilium pabulantem) *hostem tentant. Tecta semiruta, vici per vastationem agrorum deusti, haud procul castris Romanorum aberant. ibi abditis armis, pecus in conspectu præsidij Romani* (*cui præerat Cn. Fuluius Legatus*) *propulsum: ad quam illecebram cùm commoueretur nemo, ab Romanâ statione pastorum vnus progressus sub ipsas stationes, inclamat alios cunctanter ab ruinis vici pecus propellentes, quid cessarent, cùm per media castra Romana tutò agere possent. Hæc cùm Legato Cærites quidam interpretarentur, & per omnes manipulos militum ingens esset indignatio, nec tamen iniussu mouere se auderent; iubet peritos linguæ attendere animum, pastorum sermo agresti an vrbano propior esset. Cùm referrent, sonum linguæ, & corporum habitum & nitorem, cultiora quàm pastoralia esse; Ite igitur, dicite, inquit, detegant nequidquam conditas insidias. omnia scire Romanum; nec magis iam dolo capi, quàm armis vinci posse. Hæc vbi audita sunt, & ad eos qui consederant in insidijs perlata, consurrectum repentè ex latebris est, & in patentem ad conspectum vndique campum prolata signa. Visa Legato maior acies, quàm quæ à suo præsidio sustineri posset.*

Ad paruula minutaque equestria prælia venio (sic ea Cæsar & Hirtius vocant) quæ irritandis lacessendisque excubitoribus stationibusque committebantur. Xenophon Hipparcho: *Primis excubitoribus continenter insidiæ struendæ sunt, cùm pauci esse soleant, & à munitionibus procul abesse*, &c. *Nulla tam gloriosa præda, atque excubiarum.* Liuius lib. XXVII. *In medio campo ab stationibus procurrantes, certamina haud satis dictu digna serebant.* Hirtius de Bello Africano: *Turmæ interim equitum, quæ pro vallo in stationibus esse solebant, ab vtrisque Ducibus*

quotidie minutis prælijs inter se pugnare non intermittunt. Cæsar lib. v. Belli Gallici: *Paruulis equestribus prælijs ad aquam factis, vtrique suo se loco continent.* & hæc sæpè magnorum certaminum irritamenta, eoque ferè instituta ad eliciendum equitatum. Certè Cannensis clades longè atrociſſima, à leui Numidarum aduersus aquatores dimicatiunculâ initium cepit. Aliàs quoque ex paruo irritamento ingens certamen accensum. Liuius lib. x. Decad. III. cap. XI. *Primò pauci equites ex tuto speculantes, ab stationibus progredi; inde iaculis submoti recurrere ad suos: inde excursiones inuicem fieri; & cùm pulsos indignatio accenderet, plures subire; quod irritamentum certaminum equestrium est, cùm aut vincentibus spes, aut pulsis ira aggregat suos. Ita tum à paucis prælio accenso, omnes vtrimque, postremò equitum certaminis studium effudit.* De Stationibus Liuius libro XXI. *Numidas equites obequitare iubet hostium portis, iaculandoq; in stationes elicere hostem ad pugnam.* Hirtius de Bello Africano: *Equites Barbari prælijs minutis cominus dimicabant. Cæsar, cùm ab eo opere copias in castra reduceret, Juba, Scipio, Labienus magno incursu cum omni equitatu leuiq; armaturâ in legionarios impetum fecerunt. Cæsar ex medio itinere copijs reductis, equitibus suis auxilium tulit,* &c. *Quòd ni in noctem prælium esset coniectum, & Iuba cum Labieno capti, in potestatem Cæsaris veniſſent, equitatusq; cum leui armaturâ funditus ad internecionem deletus esset.* Iam commeantes, aquantes, frumentantes, pabulantes, lignantésve, equitibus immiſſis, excipere & turbare, haud minùs infrequens. Tantum verò in eo est momentum, vt hostis exitium haud dubiè inde pendeat, si commeatu impediatur. Sanè Vercingetorix apud suos lib. VII. Belli Gallici pronuntiabat, *nihil interesse, Romanósne interficerent, impedimentísve exuerent, quibus amiſsis, bellum geri non posset.* Hoc consilio, Scipio Domitio, Labienus Cæsari, Etrusci Æmilio Paulo equestres insidias struxêre. Atque vt de singulis ordine dicam; de commeatu est Hirtij testimonium lib. Bell. Hisp. *Postero die equites nostri* (Romani) *longiùs ad Cordubam versus prosecuti sunt eos qui commeatus ad castra Pompeij ex oppido portabant.*

tabant. De aquatoribus ibidem: *Circiter* IX. *equites ad aquatores noſtros excucurrerunt*. De ijſdem Cæſar lib. v. Bell. Gall. verbis iam allatis. De frumentatoribus & pabulatoribus Curtius lib. x. *Nuntiatur, equites frumentum, quod in vrbem vehebatur, retinuiſſe*. Hirtius de Bello Alexand. *Longinus omnem ſuum equitatum emiſit, quem magno ſibi vſui fore credebat, ſi pabulari frumentariq; Marcellum non pateretur*. Cæſar lib. IV. Belli Gallici: *Suſpicati hoſtes, huc noſtros eſſe venturos, & diſperſos depoſitis armis in metendo occupatos ſubitò adorti, & equitatu atque eſſedis circumdederunt*. Et lib. I. Belli ciuilis: *Eodem die equitum magnam partem traiecit, qui inopinantes pabulatores & ſine vllo diſſipatos timore aggreſſi, quàm maximum numerum iumentorum atque hoſtium intercipiunt*. Tacitus lib. v. Annal. *Adequitare caſtris, infenſare pabula*. Liuius lib. XXXIX. *Cùm in pabulatores Romanos repentè impetus ab equitibus Hiſpanis factus eſſet, ſubmiſſo ab ſtatione Romanâ equitatu, prælium equeſtre fuit*. In lignatores Cæſar lib. v. de Bell. Gall. *Huic quoque accidit, quod erat neceſſe, vt nonnulli milites, qui lignationis munitioniſve cauſſâ in ſiluas diſceſſiſſent, repentino equitum aduentu interciperentur*. Sic & ſubmiſſa auxilia interpellare, equitum præcipuè munus eſt. Liuius lib. x. *Caruilius Conſul D. Brutum Scæuam Legatum, cum legione primâ, & viginti cohortibus alarijs, equitatúque, ire aduerſus ſubſidium hoſtium iußit. Quocumque in loco fuiſſet obuius, obſiſteret ac moraretur, manúmque, ſi fortè ita res poſceret, conferret*. Cæſar lib. I. de Bello ciuili: *Equitum magnam partem flumen traiecit*, &c. *qui cohortibus centurias ſubſidia miſſa ſentientes, in duas partes ſeſe diſtribuunt*. Lib. II. de Bello ciu. *Equites ex ſtatione nuntiant, magna auxilia equitum peditumq; ab Rege miſſa Vticam venire: eodemq; tempore vis magna pulueris cernebatur, & veſtigio temporis primum agmen erat in conſpectu. Nouitate rei Curio permotus, præmittit equites, qui primum impetum ſuſtineant ac morentur. Ipſe celeriter, ab opere deductis legionibus, aciem inſtruit: equites committunt prælium, & priùs quàm planè legiones explicari & conſiſtere poſſent, tota auxilia Regis impedita ac perturbata, quòd nullo ordine &*

ſine timore iter fecerant, in fugam ſe conijciunt. Statiua verò inuadere, ſtationeſque depellere, vt fiduciæ magnæ, ita artis eſt ſingularis. Cæſar lib. III. de Bell. ciu. *Equitum ſuorum turmas iubet in hoſtium equitatum (qui ad oppidum in ſtatione erat) facere impreſsionem.* Lib. v. de Bello Gallico: *Equites hoſtium eſſedarij acriter prælio cum equitatu noſtro in itinere conflixerunt,* &c. *impetuq; in eos facto, qui erant in ſtatione pro caſtris collocati, acriter pugnauerunt.* Hirtius de Bello Hiſpan. *Pompeius, dum longiùs proſequitur, quo loco equites noſtri ſtationem habuerant, aliquot turmæ cum leui armaturâ, impetu facto, loco ſunt deiectæ, & propter paucitatem noſtrorum equitum, ſimulq; leui armaturâ inter turmas aduerſariorum protritæ.* Iam quâ id arte faciendum? Baſta docuit lib. II. folijs 104. 105. & 106. *Statiua,* inquit, *vel noctu aſsultanda ſunt priùs quàm aut data mandata, aut excubiæ poſitæ, aut ſtationes locatæ ſunt: vel primâ luce, cùm è nocturnis vigilijs hoſtis ſe recipit ad quietem. Qui verò equites impreſsionem facturi ſunt, commodum, vt in turmas quinque diuidantur. Harum prima concitato impetu procubitores fugientes inſequetur, penetrabitq; conſtanter vſque in ipſa hoſtis principia, inuadetq; ſtationem. Secunda non ſegniore curſu primam ſubſequetur, iuuabitq;, in varias ſe caſtrorum ſtatiuorum vias partiens, ne hoſtis coire in turmas poſsit. Tertia lentè gradatimq; procedens occupabit forum. Quarta trans forum vecta eò ſe conferet, vnde maior exaudietur tumultus. Quinta, ſi, quiete ſtatiuorum obſeruatâ, duxerit non eſſe intrandum, partitò circumueniet pagi aditus exitúſque, ne quà hoſti pateat fuga. Atque hoc,* inquit fol. 65. *pulcherrimum equeſtris militiæ ſtratagema eſt, ſtatiua equitum inuadere: nam, dum frena, ſellas armaq; expediunt, dum inſcendunt, dum ad vexillum in principia decurrunt, imparati opprimuntur ab agmine iam inſtructo.* Non iniuriâ admiratur Flaminius doctrinam Ludouici Melzi, iubentis ſtatiua inuadi nullo præmiſſo ſpeculatore, ne eo fortè deprehenſo ſtationarij admoneantur, parentque ſeſe in aduentum hoſtis. Rectè id quidem, ne turmulæ exploratorum antecurrant, vti fieri in itineribus conſueuit: at certè tamen occultis exploratoribus ſtatiua eorumque

aditus

aditus antè ſpeculanda ſunt, quàm inuadantur. Quis enim prudenter ſperet, adeò ſocordem eſſe in ſtatiuis ſuis hoſtem, vt non clauſtris, ſeptis, aut foſſis ea præmunierit aduerſus inuaſorem? Quis credat, locum inexploratum adeò iacere apertum, incuſtodito hoſte, vt nullum ſit obicem itineri ingreſſuique reperturus? Sanè & hæc antè ſpeculanda ſunt, & excubiæ cognoſcendæ, & hoſtis ſocordia vigilantiaque expendenda. Sic à peritis factum Liuius teſtatur lib. XXIV. Bello Apolloniatum cõtra Philippum: *Dum Præfectus iuuentutem, armaq; & vrbis vires inſpiceret: vbi ea viſa inſpectáque ſatis animorum fecêre, ſimulq; ab exploratoribus comperit, quanta ſocordia ac negligentia apud hoſtes eſſet; ſilentio noctis ab vrbe ſine vllo tumultu egreſſus, caſtra hoſtium adeò neglecta atque aperta intrauit, vt ſatis conſtaret, priùs plus mille hominum vallum intraſſe, quàm quiſquam ſentiret.* Quæ res vt exemplis diſcatur, addam illuſtriores aliquot ſtatiuorum inuaſiones à magnis Ducibus fortiter prudenterque factas. *Cæſar* (lib. VI. Belli Gallici) *ad bellum Ambiorigis L. Minucium Baſilum cum omni equitatu præmittit, ſi quid celeritate itineris atque opportunitate temporis proficere poſſit. Monet, vt ignes fieri in caſtris prohibeat, ne qua eius aduentus procul ſignificatio fiat; ſeſe confeſtim ſubſequi iubet. Baſilus, vt imperatum eſt, facit; celeriter contraq; omnium opinionem confecto itinere, multos in agris inopinantes deprehendit. Eorum indicio ad ipſum Ambiorigem contendit, quo in loco cum paucis equitibus eſſe dicebatur. Comites familiareſq; eius anguſto in loco equitum noſtrorum vim pauliſper ſuſtinuerunt: ijs pugnantibus, illum in equum quidam ex ſuis intulit, fugientem ſiluæ texerunt*, &c. *Magna fuit fortunæ, omni militari inſtrumento, quod circum ſe habebat, erepto, rhedis equiſq; comprehenſis ipſum effugere.* Craſſus lib. III. Belli Gallici: *Equitum Præfectos cohortatus, vt magnis præmijs pollicitationibuſq; ſuos excitarent, quid fieri velit, oſtendit. Illi, vt erat imperatum, eductis quatuor cohortibus, quæ præſidio caſtris relictæ, integræ ab labore erãt, & longiore itinere circumductis, ne ex hoſtium caſtris conſpici poſſent, omnium oculis mentibuſque ad pugnam intentis, celeriter ad eas, quas diximus,*

munitiones peruenerunt; atque his prorutis, priùs in hostium castris constiterunt, quàm planè ab his videri, aut quid rei gereretur cognosci posset: tum verò clamore ab eâ parte audito, nostri redintegratis viribus (quod plerumque in spe victoriæ accidere consueuit) acriùs impugnare cœperunt. Hostes vndique circumuenti, desperatis omnibus rebus, se per munitiones deijcere, & fugâ salutem petere contenderunt: quos equitatus apertißimis campis consectatus, ex millium L. *numero vix quartâ parte relictâ, multâ nocte se in castra recipit.* Apud Liuium lib. xxxv. *Consul Numidas octingentos fermè equites inter auxilia habebat. Eorum Præfectus Consuli pollicetur se, parte vtrâ vellet, cum suis erupturum: tantùm vti diceret, vtra pars vicis frequentior esset, in eos se impetum facturum, & nihil priùs quàm flammam tectis iniecturum,* &c. *Collaudatum Consul spe præmiorum onerat. Numidæ equos conscendunt, & obequitare stationibus hostium (neminem lacessentes) cœperunt. Nihil primo aspectu contemptius; equi hominesq; paululi & graciles, discinctus & inermis eques, & equi sine frenis; deformis ipse cursus, rigidâ ceruice, & extento capite currentium. Hunc contemptum de industriâ augentes, labi ex equis, & per ludibrium spectaculo esse. Itaque, qui primò intenti paratique (si lacesserentur) in stationibus fuerant, iam inermes sedentésque pars maxima spectabant. Numidæ adequitare, dein refugere; sed propiùs saltum paulatim euehi, velut quos impotentes regendi equi inuitos efferrent. Postremò subditis calcaribus per medias stationes hostium erupêre; & in agrum latiorem euecti, omnia propinqua viæ tecta incendunt: proximo deinde vico inferunt ignem, ferro flammáque omnia peruastant.* Apud Tacitum I. Annal. *Cæcinna cum expeditis cohortibus præire, & obstantia siluarum amoliri iubetur. Legiones modico interuallo sequuntur. Iuuit nox sideribus illustris; ventúmque ad lucum Marsorum, & circumdatæ stationes, stratis etiamnum per cubilia, propterque mensas nullo metu, non antepositis vigilijs; adeò cuncta incuriâ disiecta erant, nullúsque belli timor.* Sat iam opinor artificiorum ad inuadenda statiua. Venio ad vltimum equitum munus, populandi agros prædandique. Gestit non paucis, scio, animus, dum has eis blanditias facio,

facio, proponoque licentiam prędandi. Sed hostiles agros intelligo, non nostrorum, non sociorum. Prædones sint, non equites, qui in suos sæuiunt. Onosander Strateg. cap. VI. *Edicat* (Imperator) *per socias ditiones iter faciens, vt milites se illis locis abstineant, nihil illorum aut attingant aut corrumpant.* Igitur prisca illa militię decora, equites Romani, in hostem prędabundi mittebantur. Cæsar lib. II. de Bello ciu. *Curio animaduertit multa vndique portari atque agi plenissimis vijs, quare pentini tumultûs timore ex agris in vrbem conferebantur. Huc equitatum mittit, vt diriperet atque haberet loco prædæ.* Castigabantur verò qui suorum agros violarent. Narrat Lampridius, ab Alexandro Seuero Tribunos quosdam capite plexos, quòd per eorum negligentiam milites luxuriati essent; cumque aniculam quamdam iniurijs miles affecisset, *militem ab eo exauctoratum, addictúmque fuisse anicula in seruum, quòd artifex carpentarius esset, vt eam pasceret*, &c. *Si quis de viâ in alicuius possessionem deflexisset, pro qualitate loci aut fustibus subijciebatur in conspectu eius, aut virgis, aut condemnationi; aut, si hæc omnia transiret dignitas hominis, grauissimis contumelijs, cùm diceret: Visne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis?* Plura non congero, ne stillam in mare conferam. Moneo potiùs, & inculco salutare illud Baptistæ præceptum militibus datum: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris.* Quibus verbis prædas iniustas agi vetat. (concussio enim *terror est iniectus extorquendæ pecuniæ aliúsve rei caussa*, ait Adamus noster Contzenius in Lucam, ex Cuiacio & Iureconsultis.) Ac sanè vel ab Ethnico homine accipienda lex foret, quam Vopiscus Aureliani auctoritate latam refert. *Est*, inquit Vopiscus, *Aureliani epistola ad vicarium suum data, huiusmodi: Si vis Tribunus esse, imò si vis viuere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat. Ouem nemo contingat. Vuam nullus auferat. Segetem nemo deterat. Oleum, sal, lignum nemo exigat. Annonâ suâ contentus sit. De prædâ hostis, non de lacrymis Prouincialium habeat*, &c. *Stipendium in baltheo, non in popinâ habeat*, &c. *In hospitijs castè se agat*, &c.

Sed

Sed ea ferè nunc tempora sunt, vt iniuriam facere, perinde sit atque victoriâ frui. Deplorauit hunc militiæ statum non lacrymabiliùs quàm veriùs Petrus Blesensis epist. XCIV. *Ordo militum nunc est, ordinem non tenere. Nam cuius os maiore verborum spurcitiâ polluitur, qui detestabiliùs iurat, qui minùs Deum timet, qui ministros Dei vilificat, qui Ecclesiam non veretur, iste hodie in cœtu militum fortior & nominatior reputatur.* O vtinam aliquando malo tanto fiat medicina! Et quæ poterit? inquies. Triplex, meo quidem arbitrio, aut Martem nostrum nullus sanabit Æsculapius. Primum, *Certa stipendiorum numeratio.* Tum enim militem stipendijs contentum esse iubeas, tum furta eius seuerè punias, cùm emere potuit quod rapuit. Nam quo alio viuat miles, nisi aut stipendio aut rapto? An non queritur iustiùs, quàm illi Porcenniani, *militiam grauem & infructuosam? non denis in diem assibus corpus & animam æstimari, sed ne denis in mensem quidem?* Alterum, *Seuera castigatio. Aspero enim & abciso castigationis genere militaris disciplina indiget, quia vires armis constant, quæ, vbi à recto tenore desciuerunt, oppressura sunt, nisi opprimantur*; Valerius libro II. cap. VII. Clearchum ergo se Dux summus præstet, credatque, *Imperatorem à militibus, potiùs quàm hostem, metui debere.* Frontinus lib. IV. idemque Valerius. Tertium, *Ducis ipsius aliorúmque Præfectorum abstinentia atque exemplum.* vt Liuianum hoc dicere possint: *Facta, non dicta mea, vos milites sequi volo; nec disciplinam modò, sed exemplum quoque à me petere*; lib. VII. Callicratides nimirum volo, qui, stipendio solo retento, munera remittant. Catones voueo, qui solis esculentis & poculentis in Prouinciâ contenti viuant. Tuberones desidero, qui fictilibus vesci malint, quàm vel oblato vti argento. vt absoluam verbis Valerij Maximi lib. II. cap. VII. *Hoc præcipuum decus & stabilimentum Romani Imperij* (& nostri) *militaris disciplina, in cuius sinu ac tutelâ serenus tranquillúsque beatæ pacis status acquieuit.*

CA-

CAPVT V.

Quod equitis Christiani munus ante pugnam. Quomodo locanda acies equestris, & qualis.

Equitis præparatio religiosa ad pugnam. Stimulus ab exemplo Ethnicorum deuouentium sese in pugnâ. Equitum cælestium auxilia. Situs aciei quis capiendus. Acies equestres variæ. Præcepta equestris pugnæ, & discrimen à pedestri. An frenis equorum detractis aliquando confligendum. Illustria equestrium certaminum spectacula.

AD pugnam referuntur studia equitis cetera, perinde vt bellum omne ad victoriam. Pugna namque operum equestrium summa est. Ad hanc ergo eques Christianus parare se debet non animo gladiatorio, quasi cædes promiscuas in macello aliquo edicturus; sed sicut miles Christi, aut victurus, aut moriturus, vt sacramento rogatus est, pro Repub. pro patriâ, pro Religione. Leo Imperat. Tactic. cap. XX. §. XLVII. *Colendus*, inquit, *omnino Deus est. Bellorum autem in exordijs eum maximè veneraberis. Si enim illum colueris purè ac religiosè, sicuti fas est, in omnibus periculis & perturbationibus supplicabis illi quasi amico, & salutem ab illo comparabis.* §. CLXXII. *Quando copias tuas ad bellum educturus es, oportet liberas & solutas à peccato esse, & piâ iustaq; mente Deum colere, atque ita ad bellum procedere.* Quæ postrema verba præiuit Leoni Onosander Strategici cap. v. *Educat copias Imperator puras & lustratas secundùm ea quæ vel legibus sacris sancita, vel à Vatibus præscripta sunt, omnem publicæ alicuius maculæ aut impietatis conscientiam proijciens.* Sanè qui strenuè fortiterque pugnet, eum aut intemeratâ mente virum esse oportet, aut hominem atheum: quod ego frequenter sapientissimos Duces dicentes audiui, idque ita se habere verissimum est. Nam quis aliàs intrepidè se objiciat morti, nisi credat aut placatum se habere Deum, aut nullum esse Deum? Certè hic vnicus Christiano equiti murus est, hæc lorica vnica, hoc scutum vnicum aduersus omnem metum, hoc in hostem, in enses tutus ruit; dum

nempe ſecurus illi flagrat in pugnam animus, vtcumque res caſura eſt, ſeu vincat, ſeu vincatur. Tales ego fuiſſe Machabæi illius magni ſpiritus credo, quos verè ſic extulit Ambroſius lib. 1. Offic. *Quanta virtus animi primò, vt mortem non timeret, deinde vt circumfuſus legionibus inimicorum in confertos raperetur hoſtes, medium penetraret agmen, & contemptâ morte ferocior, abiecto clypeo, vtraque manu vulneratâ molem beſtiæ ſubiret ac ſuſtineret? pòſt infra ipſam ſuccederet, quò pleniore feriret ictu, cuius ruinâ incluſus magis, quàm oppreſſus, ſuo eſt ſepultus triumpho.* An non, ſic mori, genus quoddam martyrij eſt, quo Chriſtiani equites coronantur, qui animo ante prælium expiato ſanctéque compoſito occumbunt? An non plus gloriæ, quàm ſanguinis, ex horum fortiſſimis vulneribus fluere; & non mori, ſed naſci, quia ſic moriuntur, dicendi ſunt? Mirari ſubinde ſoleo, quæ pietas, aut quis impetus potiùs impietatis, inuexerit in media hoſtium agmina morituros equites quoſdam Ethnicorum. Equidem exiſtimo, cùm nullum eſſe Numen crederent, famæ laudiſque perpetuæ cupiditate animas profudiſſe & perdidiſſe: quantâ tamen in ſpeciem religione id agebant? quàm ſerijs cærimonijs pro Republ. capita deuouebant? Lubet adferre Liuij verba, deſcribentis vtriuſque Deciorum, patris & filij, deuotiones. Patris, lib. VIII. *In hac trepidatione Decius M. Valerium voce magnâ inclamat: Deorum, inquit, ope, Valeri, opus eſt. Agedum Pontifex publicus populi Romani, prai verba, quibus me pro legionibus deuoueam. Pontifex eum togam prætextam ſumere iuſſit, & velato capite, manu ſubter togam ad mentum exertâ, ſuper telum ſubiectum pedibus ſtantem, ſic dicere: Jane, Iuppiter, Mars-pater, Quirine, Bellona, Lares, Diui Nouenſiles, Dij Indigetes, Diui quorum eſt poteſtas noſtrorum hoſtiúmque, Dijq; Manes, vos precor, veneror, veniam peto, feroq;, vti Populo Romano Quiritium vim victoriamq; proſperetis, hoſteſq; Populi Romani Quiritium terrore, formidine, morteq; afficiatis. Sicut verbis nuncupaui, ita pro Repub. Quiritium, exercitu, legionibus, auxilijs Populi Romani Quiritium, legiones auxiliaq; hoſtium, mecum Dijs Manibus Telluriq; deuoueo. Hac ita preca-*

precatus, lictores ire ad T. Manlium iubet, matureq; Collegæ se deuotum pro exercitu nuntiare: ipse incinctus cinctu Gabino, armatus in equum insiluit, ac se in medios hostes immisit. Filij, lib. x. *Decius patrem P. Decium nomine compellans, Quid vltrà moror, inquit, familiare fatum? Datum hoc nostro generi est, vt luendis periculis publicis piacula simus. Iam ego mecum legiones hostium mactandas Telluri & Dijs Manibus dabo,* &c. *cùm secundùm sollemnes precationes adiecisset, præ se agere sese formidinem ac fugam, cædemq; ac cruorem, Cælestium Infernorumq; iras, contacturum funebribus diris signa, tela, arma hostium, locumq; eumdem suæ pestis, & Gallorum & Samnitium fore. Hæc execratus in se hostémque, quà confertissimam cernebat Gallorum aciem, concitat equum; inferensq; se ipse, infestis telis interfectus est.* Debent certè hæc Ethnicorum facta onerare pudorem equitum Christianorum, si segniores sint in deuouendis Numini capitibus animisque suis, non per vanas illas verborum execrationes, sed per sinceram deuotionem mentis bonæ, qui mentes animosque immortales habere se sciunt. In rem præsentem facit, quod de Gallis Cæsar commemorat Bell. Gall. lib. VI. *In primis hoc volunt persuadere, non interire animas: atque hoc maximè ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto.*

Felices errore suo (ait Lucanus) *quos ille timorum*
Maximus haud vrget, Lethi metus! inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæq; capaces
Mortis, & ignauum est reditura parcere vitæ.

Feliciores profectò Christiani equites, non errore, sed fide; quibus, auctore Iobo, hæc spes reposita est in sinu suo, quòd in nouissimis resurrecturi sunt, & in carne suâ videbunt Deum Saluatorem suum. Hac ergo spe accensi, in ferrum flammasque ruant. Aut pudor sit à Germanis olim Ethnicis, *quibus etsi mores,* Appiano teste, *ferocissimi sunt; in aggrediendo tamen insignis audacia, contemptus mortis maximus, ob reuiuiscendi spem.* Certè omnis in Deo locanda equiti Christiano fiducia est, idemtidem illud cogitanti, quàm *fallax* sit *equus ad salutem,* Psalm. XXXII. *Non enim in equorum viribus voluntas*

tua est, *Domine*, aiebat Iudith Holofernem obtruncatura. Nam quantulæ sæpè res equitem equumque perdunt! Cingula vna ephippij stapiæque fracta, resectæ ab hoste frenorum habenæ, solea lapsa, aut clauus vnus equi malè calceati. Hinc equi salus & equitis. Ecquis iam Bellerophontæâ superbiâ (quasi terras periculaque omnia contempturus) alato equo cælum inuadere moliatur, ratus prælijs omnibus fore se immortalem? sis licet

Eques ipso melior Bellerophonte;

nisi Numen iuuerit, *Canterius in fossâ eris*. Multum scilicet profuit Pharaoni immensus ille equitatus, cùm Dominus *equum & ascensorem proiecit in mare.*

—— *Quantum hinnitum atque equitatum!*

Egregiè iuuit hippotyphia Carolum II. Imperatorem, quo bellum contra Ludouicum fratris filium iniustè gerente, *cùm equorum latera, quibus insidebant, equites tunderent calcaribus & cruentarent, equi quasi ad stipitem ligati immobiles permansere*, teste Baron. Tom. x. ex Annal. Francorum. Hoc nimirum illud *væ* est, quod equiti præfidenti Isaias minatur cap. XXXI. *Væ, qui non sunt confisi super sanctum Israël, & Dominum non requisierunt*, sed *in equis sperantes, habuerunt fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt; & super equitibus, quia prævalidi nimis.* Non profectò, *non in fortitudine equi voluntatem habebit Dominus*, Psalm. CXLVI. *Illi quidem armis confidunt, simul & audaciâ: nos autem*, aiebat Machabæus lib. II. cap. VIII. *in omnipotente Domino, qui potest & venientes aduersum nos, & vniuersum mundum vno nutu delere.* Ita satiùs. Nec defuit fidenti sperantique Machabæo equestre auxilium è cælo: *Cùm vehemens pugna esset*, cap. x. *apparuerunt aduersarijs de cælo viri quinque in equis, frenis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes: ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conseruabant; in aduersarios autem tela & fulmina iaciebant.* Iterùm capite sequenti: *Cùm Lysias nusquam recogitans Dei potestatem, sed mente effrenatus, in millibus equitum, & in octoginta elephantis confideret*; *Machabæus, & qui cum eo*

erant,

erant, cum fletu & lacrymis rogabant Dominum, vt bonum Angelum mitteret ad salutem Israel. Cumq; pariter prompto animo procederent Ierosolymis, apparuit præcedens eos eques in veste candidâ, armis aureis, hastam vibrans. Tunc omnes simul benedixerunt misericordem Dominum, & conualuerunt animis, non solùm homines, sed & bestias ferocissimas, & muros ferreos parati penetrare. Ibant igitur prompti, de cælo habentes adiutorem, & miserantem super eos Dominum. Leonum autem more, impetu irruentes in hostes, prostrauerunt ex eis vndecim millia peditum, & equitum mille sexcentos. Huc equiti perfugiendum in pugnâ est; huc non Machabæus modò, sed profani etiam Romanorum Imperatores ducunt, qui, sublatis in cælum manibus, Templa Dijs suis pollicebantur ad auertendum discrimen, rati nullam aliunde rebus labantibus opem esse expectandam. Sic Numen & Cælites certâ veraque fide aduocare in prælia suadeam equiti Christiano. Execrationibus autem diriscque in se, in socios, in equos coniectis vociferari, Acherontem totum in vota excire, parum opportuna pugnæ præsidia sunt. Mens bona, animus præsens, fixa in Deo spes, Cælitum aduocatio, optima tempori tali patrocinia. Sic Apostolus Iacobus Ramiro Hispanorum Regi aduersus Mauros pugnanti, candido vectus equo, candidum gestans vexillum, cruce rubrâ distinctum, suppetias venit, auctore Marianâ. Sic Theodosio Imperatori in Eugenium mouenti, albis equis vehentes adfuêre de cælo SS. Ioannes Euangelista & Apostolus Philippus, affirmante Theodoreto. Sic Christianis Antiochensibus, dum Turcas debellant, visi albis equis sublimes SS. Demetrius, Georgius & Mercurius, teste Paulo Æmilio de Rebus Francorum. Sic Georgius Martyr hinnitu equi picti, cui pictus ipse insidebat, è regione sacelli Mariæ victricis, victoriam Constantino Despotæ, eiusque olim patri prænuntiauit, teste Gregorâ lib. VIII. Sic denique Christum ipsum equo albo vehentem Ioannes præuidit auxilio venturum Christianis, quos extremis mundi temporibus ab Antichristo oppugnatum iri vaticinatur Apocalyps. cap. XIX. *Et vidi*

cælum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur Fidelis, & Verax, & cum iuſtitiâ iudicat, & pugnat. Quæ verba Lactantius lib. VII. capp. XVII. XVIII. & XIX. de vero Chriſti deſcenſu accepiſſe videtur: quamuis credibilius ſit (auctore Cornelio à Lapide) ſymbolicè hæc Ioanni oſtenſa; nec Chriſtum ipſum, ſed pro eo Archangelum Michaëlem, ſtipatum Angelicis turmis, in certamen deſcenſurum. His ego Ducibus plus ſperem, quàm quos *Latini belli ſpectaculo interfuiſſe Deos fama tradidit, duos in cãdidis equis Caſtorem & Pollucem*, narrante Floro. Quid ergo faciet, pugnâ imminente, eques Chriſtianus? Quid ſuaſurum me arbitraris? An fortè vt in conſcientiam anxiè inquirere incipiat, cùm de ſternendo hoſte cogitandum eſſet? An vt preculas aliquot demurmuret, dum clamore hoſtem terrere, ſe ſuoſque excitare deberet? An vt precarias ſphærulas numerare incipiat, dum plumbei globi explodendi in aduerſum agmen? A page intempeſtiuas illas religiones galeatorum leporum. Iam antè hæc egiſſe oportuit, cùm manè ſurgitur, cùm in excubijs ſtatur, cùm equus ephippio ſternitur, cùm ad ſigna conuolatur. Pugnandum eſt, dum pugnandum eſt; aliàs orandum erat. Hoc vnum, non breuius quàm præſentius, dum iam imminet pugna, permitto: Memor ſacramenti ſui militaris, quo rogatus eſt, oculos animumque attollat cælo; & diuinâ ſpe plenus, quaſi auſpicatò ruat in hoſtem. Sic de Ethnicis ipſis Tacitus lib. III. Hiſt. *Orientem ſolem* (ita in Syriâ mos) *Tertiani*, inquit, *ſalutauêre*. De Horatijs Curiatijſque pugnaturis, idem à Zonarâ affirmatur. A Plutarcho quoque de Marcello. Sed Martinum militem fortiſſimum, eumdemque inter Chriſtianos ſanctiſſimum, præponere Ethnicorum exemplis lubet. Is Iuliano Cæſari, ignauiam ſibi exprobranti, cùm iniquam impiamque pugnam detrectaret, *Ego*, inquit, *intrepidus craſtinâ die ante aciem inermis adſtabo: & in nomine Domini Ieſu, non clypeo protectus aut galeâ, hoſtium cuneos penetrabo ſecurus*. Salubriter quoque monet Leo Imperator Tact. cap. XII. §. LXIX. *Cùm iam ad conflictationem mouet exercitus, conſueta Chriſtia-*

Christianis vox vsurpanda est, Crucis victoria. Id præstat scilicet, quàm momentis omnibus cacodæmonis nomen vsurpare; quod quibusdam ita solemne est, vt fortes alioqui sibi esse non videantur.

Iam ad aciem venio, equite tam religiosè comparato. In primis commodus capiendus est aciei situs. Id Vegetius monet lib. III. cap. XIV. *Ordinaturus aciem tria debet antè prospicere, solem, puluerem, ventum. Nam solante faciem ferit visum; ventus contrarius tua inflectit ac deprimit, hostium adiuuat tela; puluis à fronte congestus oculos implet & claudit. Hæc momento eo, quo acies ordinantur, etiam imperiti vitare solent; sed Duci prouido cauendum est in futurum, ne, post paullulum accedente die, noceat solis mutata conuersio; ne ventus aduersus, horâ solitâ, eo pugnante nascatur.*

Hæc, quia communia sunt pediti iuxtà atquè equiti præcepta, non pertracto: sed, an verum, quod non-nemo scribit, *equites interea non quidem in equis sedentes, sed tamen stratos equos paratosq; habentes, Imperatoris iussa expectasse? vt nempe Triarij subsidebant post hastatos.* Nullus credo: nam id pernicioſæ foret moræ. Neque sanè Auctor id vllâ Liuij (vt putauit) auctoritate firmauit. Nam è castris paratos equos frenatosque exisse, militesque insilijsse, ostendit; non, in acie vacuos ad inscendendum fuisse.

Secundò, *Considerandæ sunt loca*, inquit Vegetius, *in quibus pugnandum est: nam si equitatu gaudemus, campos debemus optare*, lib. III. cap. IX. XIII. & XXVI. Eâ re apud Horatium lib. I. Epist. VII.

> *Haud malè Telemachus proles patientis Vlyssei:*
> *Non est aptus equis Ithacæ locus, vt neque planè*
> *Porrectus spatijs.* ———

Vnde prouerbio iactatum, vt Suidas refert, *Equus in campum.* Ergo prouidendum, ne hostis campos inequitabiles reddat. Caue. Hæ ferè artes sunt, arboribus cæsis ramisque vias impedire, Cleomenis apud Frontinum: murices spargere, Darij apud Curtium, & Cæsaris obsidione Alesianâ: occultas

cultas foueas agere, Clearchi apud Polyænum : capeduncu-las fictiles terræ infodere, Phocensium apud Herodotum: campos inundare, Herculis apud Polyænum. Sed aduerte, campos equitatui quærendos, quando equitatu abundabis. At cùm hostis equite prævalebit, abde equos tuos in angustias. Audi Liuium lib. XXI. *Apparuit equitatu meliorem Pœnum esse, & ob id campos patentes, quales sunt inter Padum Alpésque, bello gerendo Romanis aptos non esse.* Ita est: loci, in quo pugnatur, angustijs redigitur in paucitatem magnus equitatus; magno exiguus equitatus par fit, dum explet locum paruum.

Tertiò, *Obseruatur*, ait Vegetius lib. III. cap. XI. *ne lassos post cursum equos ad prælium agat.* Moniti huius neglectu pœnas dedit Curio, exercitu ferè amisso, aduersus Iubam Regem. Cæsar ita narrat lib. II. Bell. ciuil. *Curio equites sequi iubet sese, iterq; accelerat, vt quàm maximè ex fugâ perterritos adoriri posset. At illi, itinere totius noctis confecti, subsequi non poterant, atque alij alio loco resistebant. Ducenti, neque longiùs fugientes prosequi, nec vehementiâ equos incitare poterant*, &c. *Nostros vires lassitudine deficiebant. Curio prælians interficitur. Equites perpauci ex prælio se recipiunt*, &c.

Quartò, *Cauendum, ne dubitantem aut formidantem exercitum ad pugnam publicam aliquando educas*, Vegetius libro III. cap. IX. Id Cæsar cauebat lib. IV. Bell. Gall. *Equitatum, quòd recenti prælio perterritum esse existimabat, agmen sequi iussit.*

Quintò, *Si equites impares sunt, more Veterum, velocissimi cum scutis leuibus pedites ad hoc ipsum exercitati, ijsdem miscendi sunt, quos Expeditos Veteres nominabant*, Vegetius lib. III. c. XVI. Id consilium Vitellio victoriam peperit contra Petilium Cerealem, teste Tacito Hist. lib. III. *Petilio Cereali equestre prælium aduersum fuerat: namque incautum, & tamquam ad victos ruentem, Vitelliani interiectus equiti pedes excepêre*, &c. *Capitur Præfectus alæ Tullius Flauianus, ceteri fœdâ fugâ consternantur.*

Hæc

Hæc aciei ferè præuidenda, à cælo, à solo, ab equis, ab equite. Ipsa verò acies dein instruenda, seu particulatim, seu vniuersim, vti præscribetur. Leo Imp. Tact. cap. XII. §. XXVI. *Sin autem soli equites fuerint, & aduersus equites bellum suscipiendum est, in tres equestres acies exercitum diuides. Primam aciem (quæ πρόμαχος, id est propugnatrix dicitur) in tres partes diuides, vnaquaque turmâ in tres μοίρας siue drungos diuisâ. In mediâ turmâ ὑποστράτηγον, id est Proprætorem tuum: in dextrâ sinistraq; Turmarchas, in medio Drungariorum aut μοιραρχῶν seu Tribunorum collocabis.* §. XXVII. *Has tres turmas constitues ex Procursoribus, & ex Defensoribus.* §. XXIX. *Secundam aciem (quæ subsidiaria) sic instrues, vt tertiam partem totius exercitûs in se contineat. Eam autem in quatuor partes diuides; & vnius sagittæ iactu ad latera eiusmodi partes à se inuicem distent.* §. XXX. *In extremis oris aciei, hinc atque illinc post aciem instructam, quasi vnius sagittæ iactu educes ex vnâ cohorte ad aciem tergistitum, quasi ad tertiam aciem instruendam.* §. XXXVIII. *Ad summam autem mandamus, vt vniuersæ copiæ equestres in primam & secundam aciem tempore belli distribuantur, tumq; maximè, cùm magnum exercitum habueris.*

Sed accuratiùs hoc tempore distinguendum duplex pugnæ genus, & varium item equitum discrimen. Pugna vel oblata est, vel defensa; seu (vt vulgo seruiam) offensiua aut defensiua. Sic equitum quoque alij valent ad inferendam pugnam, alij ad arcendam. In pugnâ oblatâ, seu vltroneâ impressione, locum præcipuè habent Lancearij & Arcabusarij: horum enim est, fistulis disploſis assultare & persequi hostem; illorum, inuadere & perrumpere lanceis aciem. De his opportunè illud Taciti pronunties ex libello de Moribus Germanorum: *Equestrium sanè virium id proprium, citò parare victoriam, aut citò cedere.* Ergo Lancearіorum turma vna, constans equitibus, exempli gratiâ, sexaginta quatuor, ad offerendam pugnam, seu equitatui hostili, seu peditibus, disponitur à VValhausio acie quintuplici.

Prima acies tributa eſt in quatuor Iuga inuicem ſubſequentia, quorum ſingula habent equites ſenos-denos, hoc modo:



Hæc Iuga neceſſe eſt incurrant ſeorſim ſingula, alioqui impediant inuicem: poſſuntque diuidi ſingula in Iuga bina, vt vniuerſa ſint octona; locenturque aut aliud poſt aliud, aut quaterna & quaterna lateribus aduerſis.

Secunda Lancearíorum acies conſtat Iugis item quatuor, equitibus totidem in Iuga ſingula atque acies ſuperior, ita tamen diſpoſitis, vt lanceæ ſecundi Iugi intermixtæ ſint, à tergo, Iugo primo, aliquanto ſpatij interuallo, ſic, vt incurrere in hoſtem poſſint ſimul Iuga bina inuicem mixta, anteriùs poſteriuſque, ad hanc formam:

Hæc



Hæc ſingula Iuga diuidi poſſunt in bina equitum octonûm, diſponiq́ue aut poſt inuicem, aut lateribus aduerſis, vt iam explicatum.

Tertia Lancearíorum acies conſtat Iugis totidem, eiuſdem numeri, ſed diſpoſitis quaſi in quincuncem, hac ſpecie:



Hæc Iuga ſi in bina diuidantur, ſingula locabuntur eodem ſitu.

Quar-

Quarta conſtat octo Iugis, quæ ſingula octonos equites numerant, diſpoſitos in quadrum, ordine duplici, ad includendum hoſtem quaternis lateribus, hoc exemplo:



Horum Iugorum quaterna faciunt impreſſionem ſimul, deinde quaterna alia.

Quinta Lancearíorum acies conſtat octonis item Iugis, ſed diſpoſitis in coronam, vt non modò latera hoſti premantur, ſed & quæcumque eius pars ſit obſeſſa, faciuntque impreſſionem ſimul omnes. En figuram:

Hæ quinque ſunt Lancearíorum acies (vt vocant) offenſiuæ, ad inferendam pugnam.

Alia

Alia eorum eſt acies ad defendendum, in quadrum nempe Iugis duplicibus, lanceis extrorſum verſis, ad hunc modum:



Singulare monitum (quod ſolos Lancearios in conflictu ſpectat) adfert Leo Imper. Tact. cap. XII. §. CIV. *Haſtæ, conflictationis tempore, flammula non habeant, ſed de haſtis detrahant equites, & in thecas ſuas abdant, quando ad vnum milliare ab hoſte abſunt; hucuſq; autem omnino in haſtis habeant.* Adijcio nunc exempla Lancearíorum aliquot ſingulari certamine egregiè dimicantium cum hoſte.

Primum eſt Aruntis & Bruti, apud Liuium lib. II. *qui vterque contrario ictu per parmam transfixus, duabus hærentes haſtis, ex equis moribundi lapſi ſunt.*

Secundum eſt Cornelij Coſſi equitis in Tolumnium Re-

Regem, Liuius lib. IV. *Eques* (Veientium) *maximè resistebat, equitumq; longè fortissimus ipse Rex* (Tolumnius) *ab omni parte effusè sequentibus obequitans Romanis, trahebat certamen. Erat tum inter equites Tribunus militum A. Corn. Cossus, eximiâ pulchritudine corporis, animo ac viribus par, memorq; generis, quod amplissimum acceptum, maius auctiúsque reliquit posteris. Is cùm ad impetum Tolumnij, quacumque se intendisset, trepidantes Romanas videret turmas, insignémque eum Regio habitu volitantem totâ acie cognouisset; Hiccíne est, inquit, ruptor fœderis humani, violatórque gentium iuris? Iam ego hanc mactatam victimam (si modò sancti quidquam in terris esse Dij volunt) Legatorum Manibus dabo. Calcaribus subditis, infestâ cuspide in vnum fertur hostem, quem cùm ictum equo deiecisset, confestim & ipse hastâ innixus se in pedes excipit. Assurgentem ibi Regem vmbone resupinat, repetitúmque sæpiùs cuspide ad terram affixit, &c. Itaque equitum quoque fusa acies, qua vna fecerat anceps certamen.*

Tertium est Titi Manlij & Geminij Metij. Liuius libro VIII. *Qui cùm infestis concurrissent cuspidibus, Manlij cuspis super galeam hostis, Metij trans ceruicem equi elapsa est: circumactis deinde equis, cùm prior ad iterandum ictum Manlius consurrexisset, spiculum inter equi aures fixit; ad cuius vulneris sensum cùm equus, prioribus pedibus erectis, magnâ vi caput quateret, excussit equitem, quem cuspide parmáque innixum, attollentem se à graui casu, Manlius ab iugulo, ita vt per costas ferrum emineret, terræ affixit.*

Quartum Ducarij Insubris in Consulem Romanum. Liuius lib. XXII. *Insuber eques (Ducario nomen erat) facie quoque noscitans, Hic Consul est, inquit popularibus suis, qui legiones nostras cecidit, agrósque & vrbem est depopulatus; iam ego hanc victimam Manibus peremptorum fœdè circumdabo. Subditísque calcaribus equo, per confertissimam hostium turbam impetum facit, obtruncatóque priùs armigero, qui se infesto venienti obuiàm obiecerat, Consulem lanceâ transfixit.*

Quin-

Quintum Iubellij Taureæ & Claudij Aſelli, apud Liuium lib. XXIII. *Inter multos nobiles equites Campanorum fortiſſimus eques, adeò, vt cùm apud Romanos militaret, vnus eum Romanus Claudius Aſellus gloriâ equeſtri æquaret. Hunc Taurea cùm diu perluſtrans oculis obequitaſſet hoſtium turmis, tandem facto ſilentio, vbi eſſet Claudius Aſellus, quæſiuit; & quoniam verbis ſecum de virtute ambigere ſolitus eſſet, cur non ferro decerneret, daretq; opima ſpolia victus, aut victor caperet. Hæc vbi Aſello nuntiata ſunt in caſtra, id modò moratus, vi Conſulem percunctaretur, licerétne extra ordinem in prouocantem hoſtem pugnare; permiſſu eius arma extemplò cepit, prouectúſque ante ſtationes equo, Tauream nomine compellauit, congredique vbi vellet iuſſit. Iam Romani ad ſpectaculum pugnæ eius frequentes exierant, & Campani non vallum modò caſtrorum, ſed mœnia etiam vrbis proſpectantes compleuerant. Cùm iam antè ferocibus dictis rem nobilitaſſent, infeſtis haſtis concitarunt equos; dein libero ſpatio inter ſe ludificantes, ſine vulnere pugnam extrahebant. Tum Campanus Romano, Equorum, inquit, hoc, non equitum erit certamen: niſi è campo in cauam hanc viam demittimus equos, ibi nullo ad euagandum ſpatio cominùs conſerentur manus. Dicto propè citiùs equum in viam Claudius egit. Taurea verbis ferocior quàm re, Minimè ſis, inquit, canterium in foſſâ. Quæ vox inde in ruſticum prouerbium prodita. Claudius cùm ex viâ longè perequitaſſet, nullo obuio hoſte in campum rurſus euectus, increpans ignauiam hoſtis, cum magno gaudio & gratulatione in caſtra redijt.*

Sextum denique Oplaci Itali in Pyrrhum, apud Plutarchum in Vitâ Pyrrhi. *Leonnatus Macedo, cùm Italum quemdam Pyrrho intentum, equóque in eum conuerſum, omnes eius motus obſeruare & ſequi conſpexiſſet, Cernísne, inquit, ô Rex, Barbarum illum equo albis pedibus, cetera nigro, inſidentem? Magnum aliquid meditari & arduum videtur: in te enim vnum, reliquis neglectis, intuetur, & aduerſum te conſiſtit ferociæ plenus. Proinde ab eo tibi caue. Et hæc illis adhuc colloquentibus, Italus ille equo conuerſo, infenſáque haſtâ contra Pyrrhum impetum fecit,*

ſimúlque & Regis equum ferijt, & eius equus à Leonnato eſt confoſſus : vtriuſque autem lapſo equo, Pyrrhum amici eripuerunt, Italus pugnans interfectus eſt. Nunc de Lancearijs abundè.

Arcabuſarij vſum præcipuè habent in aſſultando, & perſequendo, vtpote leuioris armaturæ. Igitur aut peditatum aggrediuntur, aut equitatum. Et peditatûs quidem aut frontem, aut latus inuadunt. Frontem, ſingulis Iugis procurrentibus, quæ mox redeunt mutata in Verſus, poſt equitem equite ſecuto; occupantque locum Iugi poſtremi poſt turmam è quâ procurrerant, fiſtulas denuò in receptu ipſo apparantes. Numerus Iugorum eſt pro multitudine numeroque Arcabuſariorum, quorum turmæ maiores minoreſque fiunt. En tibi ſpecimen quo frontem inuadunt.



Latus

Latus inuadunt non Iugo è fronte, ſed Verſu ſumpto è latere turmæ, eques poſt equitem, redeuntque ad tergum ſuæ turmæ, Verſu commutato in Iugum. En modum quo aſſultant hoſtile latus.



Si verò Arcabusarij equitatum inuadunt, singulæ turmæ sese partiuntur in Iuga octona, concurruntque cum singulis singulæ, quod est acie in ferram disposità pugnare. Aspice simulacrum:





Quirassarij grauis armaturæ maximo vsui sunt ad pugnam sustentandam; equis enim succussatoribus armorumque pondere retenti, minùs habiles sunt pugnæ inferendæ, ferè vt Veterum cataphracti. Quadruplex ergo eorum acies defensiua à VValhausio proponitur. Exempli causâ: Turma vna habeat Quirassarios centum.

Prima Acies defensiua, constans Iugis decem dispositis in quadrum.

Secunda Acies defensiua, constans Iugis vicenis, Equitibus in Iuga singula quinis.

Tertia Acies defensiua Iugorum quinque, Equitum viginti in Iugo quolibet.

Quarta defensiua rotundata in sphæram, circulo duplici aut triplici, qualis apud Ælianum est Ile. Hac Alexandrum vsum, Frontinus insinuat lib. II. cap. III. *Cùm vereretur Alexander*, inquit, *hostium multitudinem, suorum autem virtuti fideret, aciem in omnem partem spectantem ordinauit, vt circumuenti vndique pugnare possent.* Subinde tamen Quirassariorum quoque vsus est ad pugnam inferendam: ostenditque VValhausius acies offensiuas duas. Vna est Iugorum quinûm, quæ singula habeãt equites vicenos, dispositos ferè cuneatim, nisi quòd cuspis absit. Altera est Iugorum denûm, constantium equitibus denis, dispositis cuneatim. Atque eccam vtramque.



Super-

Supereſt denique acies Quiraſſariorum, inſtructa partim ad incurſandum, partim ad ſuſtentandum, compoſita nimirum ex primâ defenſiuâ (quę quadrata eſt) & primâ offenſiuâ; hac pro fronte, illâ in tergo, Iugis ſingulis equitum denûm. En, vt expreſſit VValhauſius.



Quartum equitum genus ſunt Velites ſeu pedites equis impoſiti, vt commodiùs equitatum ſtipent; qui tamen de pedibus pugnant, *Drageons* vulgò nunc vocant. Horum vſum oſtendam in acie ex omni equitum genere mixtâ, cùm ſoli ipſi tamquam equites non pugnent, ſed de pedibus, vti dictum; niſi fortè in itinere, ab hoſte priùs oppreſſi, quàm deſilierint ad pedes: tum enim Piquarij ſe iungunt, agmine medio,

medio, vniuerſi centum. Muſquetarij vtramque alam faciunt, hinc inde quinquaginta, quini in quolibet Iugo, ad hanc normam:



Quintum equitum genus ſunt Muſquetarij Franqui (vt Flaminius appellat.) Horum aciem ſubijciemus in ordinatione equitatûs totius ex præſcripto eiuſdem Auctoris. Miſceamus ergo primùm quaterna equitum genera, Lancearios, Quiraſſarios, Arcabuſarios, Dragonios, in exercitum purè equeſtrem, aciemque inſtruamus ad pugnam offenſiuam & defenſiuam. Offenſiuæ ſimulacrum geminum expreſſit VValhauſius: tertium prodidit Ludouicus Melzus, omiſſis Dragonijs, quæ hîc inſero.

Habet

PRIMA ACIES OFFENSIVA WALHAVSII.

Fig 1. Pag. 272.



ALTERA ACIES OFFENSIVA WALHAVSII.

Fig 2 Pag 272.

TERTIA ACIES OFFENSIVA IVD. MELZI

Habet hæc acies Melziana à fronte turmulas antecurſo-
ım duodenas, nempe Lancearíorum octonas, Arcabuſario-
ım quaternas, quæ ſingulæ è turmis ſuis decerptæ, conſtant
quitibus xxv. ducunturque ab Optionibus Præfectorum,
quorum turmis decerptæ ſunt. Harum vſus eſt, diſcurrere
uc illuc, & aut ſpargere ſeſe latiùs, aut, parte iunctâ, impete-
latera hoſtis decertantis; aut ſubinde (quod Lancearíorum
ſt) aduentantis frontem inuadere globo toto, eiuſque tur-
nas perturbare. Hoc ſuo munere defuncti, recipiunt ſeſe poſt
lobos Quiraſſariorum maiores, inſtaurantque arma ad repe-
ndam pugnam.

Exemplo docet Melzus ingentem vſum harumce turmu-
arum. Anno, inquit, M. D. LXXIV. Ludouicus Comes Naſ-
uius copias ſuas fraternis Auriaci Principis copijs iungere
itebatur. Ducebat in eum Sancius Dauila Hiſpanus, oc-
urritque in Mookâ Geldriæ pago. Pugnandi neceſſitas
Naſſauio incidit. Ergo mille ſimul equites in Regias turmas
mmittit. Obiectus ei cum Lancearijs non ampliùs vicenis
uinis Petrus Antonius à Saxo-ferrato, Optio Camilli del
Monte, tanto impetu latera hoſtilis globi inuaſit, vt ſexaginta
nterfectis, aciem perturbarit.

Frons aciei habet quaternas Arcabuſariorum turmas du-
licatas, ſimul nempe octonas. Tergum tuentur quaternæ
em turmæ Arcabuſariorum. Alas faciunt; dextram, turma
Prætoria, cum maiore vno globo Quiraſſariorum; ſiniſtram,
urma pro-Prætoria, cum altero item maiore Quiraſſario-
um globo.

Medium tenet globus tertius maior Quiraſſariorum. At-
ue hi tres globi, ducentorum aut quingentorum equitum
nguli, inſtar Triariorum ſunt, vocanturque *Compagnie di*
etengo, ait Melzus, quaſi in ſubſidia, ad ſummæ rei vſum ne-
eſſitatemque ſeruatæ. Et verò præficiuntur ſingulis Præ-
ecti exercitatiſſimi.

Narrat Melzus, huiuſmodi agmen vnum quingento-
um Quiraſſariorum victoriam attuliſſe Duci Guiſio pu-

gnanti aduersus hæreticos, iam cetera superiores, conflictu Dreuxensi.

Latera, reliquaque antrorsum & retrorsum loca, occupant quaternæ turmæ Lancearіorum, & quaternæ Quirassariorum.

Pugnæ principium dare, turmæ erit Prætoriæ; quæ tamen dextram in alam hîc conіecta est, vt præstò sit Magistro equitum, volenti eam circummittere in quamlibet partem, quâ de caussâ in sinistram quoque pro-Prætoria dimissa est. Hæ acies porrò structæ sunt pro voluntate Magistri equitum, vltrò volentis per opportunitatem decertare. Aliàs ferè aliter locandę sunt, pro situ naturaque loci, aut pro hostis ingenio, cuius in primis acies obseruanda est, vt parem ei melioremque ductor opponat. Onosander cap. XVI. Strategici: *Equites Imperator non pro libitu, sed magis vt necessitate compulsus cogetur, ordinabit.* Leo Imperator Tactic. cap. XIV. §. CI. *Imperator non quemadmodum vult, sed quemadmodum necessariò cogitur, instruit exercitum.*

Cùm autem sic instruit, defensiua fit acies; cuius specimen accipe à V Valhausio:

Aliam

ACIES DEFENSIVA WALHAVSII.



Aliam porrò inſtruendæ totius aciei rationem exponit ſuadetque Flaminius à Cruce lib. III. cap. II. neque leuia incommoda obijcit aciei illi offenſiuæ, quam Melzus expreſſit Tabulâ IX. Vult ergo equitatum vniuerſum diuidi in tot Agemata, ſeu agmina ſeparata, quot ſunt in eo equitum millia: exempli gratia, quatuor aut quinque equitum millia, in quatuor aut quinque Agemata. Deinde iubet Agemata ſingula diuidi in centurias denas. In his verò eſſe centurias duas Quiraſſariorum, ſex Muſquetariorum; vel tres Quiraſſariorum, quinque Muſquetariorum, duas Arcabuſariorum: diſponique hoc modo, turmulis à fronte, à latere, à tergo adiunctis.



Vel, vbi in Agemate essent tres turmæ Quirassariorum, disponi ad hanc formam.



A. Arcabusariorum turmæ. M. Musquetariorum franquorum turmæ. Q. Quirassariorum turmæ. T. Turmulæ equitum à fronte, alis, & tergo.

Hanc suam dispositionem Flaminius multis vtilitatum nominibus præfert aciei illi Melzianæ, in quatuor cornua seu Versus oblongos distributæ. Nam Primò, inquit, In quolibet Agemate est suum quoddam corpus, seu moles Quirassariorum, quæ vndequaque circumfunditur tegiturque turmis aliorum equitum. Secundò, Arcabusariorum turma vna semper in fronte, altera semper in tergo est; nisi malis vtramque in fronte esse, vel tergo. Tertiò, Nullum periculum est, ne hostis equitatum sic dispositum obruat simul vniuersum, cùm nimis multa distincta sint agmina. Acies autem Melziana, quia tota cohæret, si quâ parte labefactetur, facilè perturbabitur tota. Quartò, Quia hæc Agemata singula, aliud

alteri

alteri laboranti possunt statim accurrere, acie tamen incorruptâ. Quintò, In hac acie, si Agema vnum alterúmve turbetur, acies tamen reliqua constat; cùm singula Agemata sint distincta, neque alijs nexa. Sextò, Agemata turbata, facilè se instaurare atque in ordines componere possunt, alijs sustentantibus pugnam; quod non item fieri potest in equitatu vniuerso stipato. Arbitros adigo Magistros equitum, vt pronuntient secundùm Flaminium aut Melzum.

Non nostrum, hos inter tantas componere lites.

Magna vterque pro se adfert rationum momenta: magna hinc inde commoda: neutri abfuit equestris militiæ vsus. Verissimum tamen est illud Liuianum lib. IX. *Acies distinctior & ex pluribus partibus constans, facilis partienti quacumque opus sit, facilis iungenti.* Quid dicam? NON LIQVET. Iam alias præterea horumce Agematum disponendorum figuras expressit Flam. l. III. capp. VIII. IX. X. & XI. quarum hîc appingo simulacra.

Prima cap. VIII. interlucens est, quam Itali vocant *Ordinanza fallata*, huius generis:

Ex hac acie (quando tribus ſimul partibus fortè immineret hoſtis) triplex hoſti frons ſtatim obijci poteſt. D. nẽpe collocato inter A. & F; E. poſito inter C. & H. vtrimq; tegẽtur Quiraſſarij, quorum vna turma vultum vertet in dextrã, altera in læuam. Si verò à fronte procurrendũ erit, in locum A. B. ſuccedent D. E. in locum C. ſuccedet H. in locũ D. E. ſuccedẽt F. G. Primæ verò tres turmæ A. B. C. redibunt in locum F. G. H.

Hanc Flaminius extollit præ illâ Interlucente, quam Melzus expandit in duo ſolummodò Iuga inuicem ſibi ſubiuncta, relictis in primo Iugo interuallis, per quæ commeent turmæ Iugi ſecundi. Nam illa Melziana, inquit Flaminius, corpus non habet, ſed frontem ſolummodò duplicatam; quæ ſi à lateribus impetatur, facilè circumuenietur in tergum, cùm aliam ſpeciem non habeat, quàm ciconiæ vno pede nixæ.

Lib. III. cap. IX. aciem in cuneum diſponit hoc modo:

Huius aciei cuneatæ prima turmula A. ſine vexillo, decerpta eſt ex turmis omnibus Muſquetariorum, eſtque vndecima, cùm aliæ acies conſtent non ampliùs turmis denis.

Alte-

Alterum cuneum cap. x. format è turmis denis, aciemque item Lunarem, hoc modo:



Hanc oſtendit meliorem eſſe Melzianâ lunari, quæ robur omne habet in ſolâ fronte, cùm tamen oporteat in omnem partem paratum eſſe aduerſus hoſtiles aſtus. Iam quomodo hiſce Agematum aciebus pugnandum ſit, ordineſque conſtanter omnes ſeruandi, docet Flaminius lib. III. cap. VI. (quod paucis fortè creditum aut obſeruatum) ex priſco Romanorum inſtituto. I. Turmulæ equitum antecurſorum impetent hoſtium latera, aut ſuſtentabunt ipſas turmulas hoſtiles, ne ſuorum Agematum latera ab ijs oppugnentur. II. Turmulæ antecurſorum, fiſtulis exoneratis, redibunt in tergum Agematis; earumque locum pro fronte, capient turmulæ quæ erant pro alis, quibus ſuccedent eæ quæ tuebantur tergum. III. Centuriæ ceteræ equitum (Quiraſſarijs exceptis) in pugnam procurrent per ſingula Iuga, neque vmquam ſimul incurret turma tota, niſi hoſtilis acies labet, aut certa ſit ſpes penetrandi. IV. In procurſu & receptu cauendum, ne in ſociorum turmas incurratur. V. Procurandum celeritate procurſûs, ipſoque hoſtis repulſu, vt hoſtiles turmæ inuicem incurrendo perturbent ſeſe. VI. Quiraſſariorum turmæ duæ, muri inſtar aut molis, ſtabunt immotæ, niſi fortè cùm frons aut latera laborabunt.

Lubet exprimere imagine ſimulacri. Primum Iugum faciunt A. B. C. turmæ tres; in quarum locum (manentibus duabus turmis Quiraſſariorum) ſuccedent D. E. H. Deinde F. & G. accurrunt in locum D. E. priores verò tres A. B. C. reuertuntur poſt tergum in locum F. G. H.

Hic



Hic pugnandi modus ille idem eſt, quem Veteres *ſerram* appellarunt, vnuſque omnium accuratiſſimè explicauit Ioannes Antonius Valtrinus noſter lib. v. Militiæ Roman. cap. 11. Feſtus: *Serrâ præliari dicitur, cùm aſsiduè acceditur recedituríque, neque vllo conſiſtitur tempore.* Hic mos præliandi, ait Valtrinus, ſeruatus potiſſimùm videtur in equeſtribus prælijs. Saluſtius in Iugurthâ: *Quibus illi freti (non vti equeſtri prælio ſolet) ſequi, dein cedere; ſed aduerſis equis concurrere, implicare, ac perturbare aciem.* Tacitus lib. v 1. Annal. *Modò equeſtris prælij more, frontis ac tergi vice.* Liuius lib. x x x 1. *Credidêre Regij, genus pugnæ, cui aſſueuerant, ſore, vt equites inuicem ſequentes refugientéſque, nunc telis vterentur, nunc terga darent. Turbauit hunc ordinem pugnandi non acrior quàm pertinacior impetus Romanorum: nam haud ſecùs quàm ſi totâ acie dimicarent, equites, vt ſemel in hoſtes euecti ſunt, ſtantibus equis, partim ex ipſis equis, partim deſilientes immiſcenteſq; ſe peditibus, pugnabant.* Hic eſt equeſtris prælij mos; eò diuerſus à pedeſtri, quòd pedes ſtet,

inuadatque; numquam cedat, numquam se recipiat, nisi fusus, aut fugatus. Eques contrà (vt cum Tacito loquar) *cedere loco, dummodò rursus instet, consilij quàm formidinis arbitratur.* Aptè fortè quis hac similitudine vtatur: peditem instar muri esse, stare & resistere; equitem instar vndæ, assultare & resultare. Atque vt inter vndas rarus est fluctus decumanus, qui incumbit quasi lapsus mons; sic raram esse impressionem equitatûs totius, quæ non nisi summis de cautis facienda est. Sapienter apud Gellium lib. XIII. cap. III. *Paulus Æmilius dixit: Perrarò nimis bonum Imperatorem collatis signis decertare, nisi summa necessitudo, aut summa ei occasio data esset.* Negabat certè Augustus (Sueton. cap. XXV.) *prælium aut bellum vmquam suscipiendum, nisi cùm maior emolumenti spes, quàm damni metus ostenderetur. Omnia antè cogitanda sunt, antè tentanda, antè facienda, quàm ad vltimum veniatur abruptum*, ait Vegetius lib. III. cap. IX. Abrupti verò illius causas attulit Flaminius lib. III. cap. V. Prima est, Si tam exiguus sit exercitus hostium, vt certò victoriam sperare possis. Tum, ait Vegetius lib. III. cap. IX. *cùm multis rebus superior tuus inuenitur, Dux opportunum sibi ne differat conflictum.* Secunda, Si tam iniquo loco hosti pugnandum sit, vt ex eo resistere non possit. *Si enim in occasionis momento, cuius præteruolat opportunitas, cunctatus paulùm fueris, nequidquam mox amissam quæraris*, ait Liuius lib. XXV. Tertia, Si constet hostem metu fugiturum, vbi totâ acie concurri sentiet. *Nam plus animi esse inferenti periculum, quàm propulsanti*, verè Liuius dixit lib. XXVIII. Quarta, Si diutiùs retineri à pugnâ exercitus nequeat, nisi copijs omnibus confligatur. *Est enim quædam animi incitatio atque alacritas, naturaliter innata omnibus*, ait Cæsar lib. III. Bell. ciu. *quæ studio pugnæ incenditur: hanc non reprimere, sed augere Imperatores debent.* Quinta, Si metus sit dissensionis ex vario Ducum imperio. Certè, vt in vetere verbo est,

Multi imperantes perdidêre Cariam.

Sexta, Si ex compacto pars ab hoste defectura est, quando signis collatis decernetur. Sed tunc caue Numidicam fraudem,

dem, quam Liuius præmonet lib. XXII. *Quingenti Numidæ gladios occultos sub loricis habentes, specie transfugarum cùm ab suis, parmas post terga habentes, adequitassent, repentè ex equis desiliunt, parmis & iaculis ante pedes hostium proiectis*, &c. *mox ducti ad vltimos, auersam adoriuntur Romanam aciem*, &c. Septima, si propter annonæ inopiam bellum citò conficiendum sit. Quid enim aliud facias? *tum necessitas in loco, spes in virtute, salus ex victoriâ est*, ait Tacit. II. Annal.

Capienda rebus in asperis præceps via.

Octaua, si ardor militum fuerit singularis, hostesque maiora expectent auxilia. Alioqui euenit subinde, *vt festinatum temerè prælium milites pari formidine deserant*, monitore Tacito lib. IV. Hist. *Sed in tardando, sæpè Ducibus etiam optimi apparatûs pars aliqua perit*, inquit Xenophon lib. VI. Pædiæ. Nona, si perturbata fuerit hostilis acies. nam *qui tum sedendo debellari posse credat, is sanè meritò dicatur victoriâ vti nescire, etiamsi vincere nosset*. Harum aliquâ ex causâ, collatis signis, acieque totâ pugnari ab equite potest. Sed insignis se hîc equestris controuersia offert: An, quando turmis totis totáve acie dimicatur, frena equis aliquando demenda sint, vt maiore vi incurrant, nec ne. Romanos id sæpiùs fecisse, tradidêre Florus & Liuius. Florus lib. I. cap. IV. *Cossus equitum Magister exuere frenos imperauit (& hoc nouum) quò acriùs incurrerent*. Liuius lib. VIII. *Eques auctore L. Cominio Tribuno militum, qui aliquoties impetu capto, perrumpere non poterat hostium in agmen, detraxit frenos equis, atque ita concitatos calcaribus permisit, vt sustinere eos nulla vis posset, per arma, per viros latè stragem dedere*. Iterùm lib. XL. *Flaccus equo aduehitur ad legionarios equites, Et ecquid auxilij in vobis est? actum iam de hoc exercitu erit? Cùm vndique acclamassent, quin ederet quid fieri velit, non segniter imperium executuros; Duplicate turmas, inquit, duarum legionum equites, & permittite equos in cuneum hostium, quo nostros vrgent. Id cum maiore vi equorum facietis, si effrenatos in eos equos immittitis, quod sæpè Romanos equites cum magnâ laude fecisse suâ, memoriæ proditum est. Dicto paruerunt, detra-*

ctiſq́ frenis bis vltrò citroq́ cum magnâ ſtrage hoſtium, infractis omnibus haſtis tranſcurrerunt. An noſtris equitibus imitandum? Non ſuadeam. Numidis fortè, Getulis, Maſſylíſve permittam, qui etiam effrenos equos ſolâ virgâ regunt; aut Romanis, qui tam periti equitandi ſunt: noſtris non concedam, niſi fortè re deſperatâ, & cùm

Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.

Iam ad extremum, vt equeſtrium pugnarum acierumque ſpectacula nonnulla veris hiſtoriarum coloribus illuſtrem; lubet ſubiungere præclara aliquot equeſtrium præliorum ſpectacula ab Hiſtoricis expreſſa, vt exemplis potiùs, quàm præceptis, pugnæ expendantur. Illuſtre in primis eſt Cæſaris lib. 11. de Bello ciuili: *Curio equitatum omnem primâ nocte ad caſtra hoſtium mittit ad flumen Bagradam,* &c. *ſed Iuba Rex omnibus copijs inſequebatur, & VI. millium paſſuum interuallo à Saburâ conſederat. Equites miſſi nocte iter conficiunt. Imprudentes atque inopinantes hoſtes aggrediuntur. Numidæ enim quadam barbarâ conſuetudine nullis ordinibus paſſim conſederant. Hos oppreſſos ſomno & diſperſos adorti, magnum eorum numerum interficiunt: multi perterriti profugiunt. Quo facto, ad Curionem equites reuertuntur, captiuoſq́ ad eum reducunt,* &c. *Iuba certior factus à Saburâ de nocturno prælio, duo millia Hiſpanorum & Gallorum equitum, quos ſuæ cuſtodiæ cauſſâ circum ſe habere conſueuerat, Saburæ ſubmittit, ſuſpicatus præmiſſis equitibus ipſum affore Curionem. Sabura copias equitum peditumq́ inſtruit,* &c. *Peditatu dumtaxat procul ad ſpeciem vtitur, equites in aciem mittit. Non deeſt negotio Curio, ſuoſq́ hortatur, vt ſpem omnem in virtute reponant. Nec militibus quidem vt defeſſis, nec equitibus vti paucis & labore confectis, ſtudium ad pugnandum virtuſq́ deerat. Sed ij erant numero* CC. *reliqui in itinere ſubſtiterant. Hi quãcumque in partem impetum fecerant, hoſtes loco cedere cogebant: ſed neque longiùs fugientes proſequi, neque vehementius equos incitare poterant. At equitatus hoſtium ab vtroque cornu circumire aciem noſtram, & auerſos proterere incipit: & Curio proximos colles capere vniuerſos, atque eò inferri ſigna iubet. Hos quoque*

quoque præoccupat missus à Saburâ equitatus. Tum verò ad summam desperationem nostri perueniunt, & partim fugientes ab equitatu interficiuntur, partim integri procumbunt. Hortatur Curionem Cn. Domitius Præfectus equitum, cum paucis equitibus circumsistens, vt fugâ salutem petat, & se ab eo non discessurum polliceatur. Atrox quoque equestre prælium Labieni cum Indutiomaro lib. v. extremo Belli Gallici, quod sic Cæsar describit: *Indutiomarus ad castra accedit,* &c. *Equites tela conijciunt, & magnâ contumeliâ verborum nostros ad pugnam euocant. Nullo à nostris dato responso, vbi visum est, sub vesperum dispersi ac dissipati discedunt. Subitò Labienus duabus portis omnem equitatum emittit. Præcipit atque interdicit, perterritis hostibus, atque in fugam coniectis (quod fore, sicut accidit, videbat) omnes vnum peterent Indutiomarum, neu quis quemquam prius vulneraret, quàm illum interfectum videret: quod morâ reliquorum, illum, spatium nactum, effugere nolebat. Magna proponit ijs, qui occiderint, præmia. Submittit cohortes equitibus subsidio; comprobat hominis consilium fortuna, &, cùm vnum omnes peterent, in ipso fluminis vado deprehensus Indutiomarus interficitur, caputq́; eius refertur in castra.* Ambiguum variumque certamen est, quod narrat Hirtius de Bello Africano: *Cognitum est hostium consilium, eos hac mente & conatu venisse, vt nouo atque inusitato genere prælij tirones legionarijq́; pauci perturbati, Curionis exemplo ab equitatu circumuenti opprimerentur,* &c. *Labienus & duo Pacidij aciem dirigunt mirabili longitudine, non peditum, sed equitum, confertam,* &c. *& dextrum ac sinistrum cornu magnis equitum copijs firmauerunt. Interim Cæsar aciem dirigit simplicem, vt poterat, propter paucitatem,* &c. *Equites dextro siniſtroq́; cornu opponit; & ita præcipit, vt prouiderent, ne multitudine equitatûs hostium circumuenirentur,* &c. *Subitò aduersariorum equitatus se extendere, & in latitudinem promouere, colleſq́; complecti, & Cæsaris equitatum extenuare, simulq́; ad circumeundum comparare se cœperunt. Cæsariani equites eorum multitudinem ægrè sustinebant. Acies interim mediæ cùm concurrere conarentur, subitò ex condensis equitum turmis pedites Numidæ leuis armaturæ*

cum equitibus procurrunt, & inter legionarios pedites iacula conijciunt. Hic cùm Cæsariani in eos impetum feciſſent, illorum equites refugiebant; pedites interim reſiſtebant, dum equites rurſus curſu renouato peditibus ſuis ſuccurrerent, &c. *Equitatus interim Labieni, ſuorum multitudine confiſus, Cæſaris paucitatem circumire conatur. Equites Iuliani pauci, multitudine hoſtium defeſſi, equis conuulneratis, paullatim cedere, hoſtis magis magiſq; inſtare. Ita puncto temporis, omnibus legionarijs ab hoſtium equitatu circumuentis, Cæſariſq; copijs in orbem compulſis, intra cancellos omnes coniecti pugnare cogebantur: Labienus in equo capite nudo verſari in primâ acie, & Cæſar iubet aciem in longitudinem quàm maximam porrigi, & alternis conuerſis cohortibus, vt vna poſt alteram ante ſigna tenderet. Ita coronam hoſtium dextro ſiniſtroq; cornu diuidit, & vnam partem ab alterâ excluſam, equitibus intrinſecus adortus, cum peditatu telis coniectis in fugam vertit.* Incredibile ferè, quod refert idem initio eiuſdem libri. *Accidit res incredibilis, vt equites Galli minùs* XXX. *Maurorum equitum* II. *millia loco pellerent, vrgerentq; in oppidum.* Iucunda narratio Liuij lib. XXIX. de Hiſpanorum equeſtri pugnâ in Romanos. *Romani, more ſuo, exercitum cùm inſtruxiſſent, id modò hoſtium imitati ſunt, vt inter legiones & ipſi patentes equiti relinquerent vias. Ceterùm Lentulus ei parti vſum equitis fore ratus, quæ prior in dehiſcentem interuallis hoſtium aciem equites immiſiſſet, Ser. Cornelio Tribuno militum imperat, equites per patentes in hoſtium acie vias permittere equos iubeat. Ipſe ad Luc. Manlium inter prima ſigna hortantem venit, indicat iam miſſum abſe Ser. Cornelium procellâ equeſtri hoſtes circumfuſurum. Vix hæc dicta dederat, cùm Romani equites inuecti in medios hoſtes, ſimul pedeſtres acies turbarunt, ſimul equitibus Hiſpanorum viam immittendi equos clauſerunt*, &c. *Non ſuſtinuiſſent tam infeſtum impetum Barbari, ni Regulus ipſe Indibilis cum equitibus ad pedes degreſſis, ante prima ſigna peditum ſe obieciſſet. Ibi aliquamdiu atrox pugna ſtetit; tandem, poſtquam ij, qui circa Regem feminecem reſtantem, deinde pilo terræ affixum pugnabant, obruti telis occubuerunt; tum fuga paſſim cœpta, plures cæſi, quia*

equos

equos conscendendi equitibus spatium non fuerat. Præclarum quoque certamen lib. xxxix. *Calpurnius cum equitibus duarum legionum paululùm circumuectus, in cuneum hostium (qui mediam vrgebat aciem) ab latere incurrit. Quintius cum suis equitibus alterum hostium latus inuadit: sed longè acriùs Calpurniani equites pugnabant, & Prætor ipse ante alios: nam & primus hostem percussit, & ita se immiscuit medijs, vt vix vtrius partis esset, nosci posset; & equites Prætoris nimiâ virtute, & equitum pedites accensi sunt.* Quid verò pulchrius illo apud Curtium lib. iii. *Iam ad teli iactum peruenerant, cùm Persarum equites ferociter in læuum cornu hostium inuecti sunt: quippe Darius equestri prælio decernere optabat,* &c. *Quod vbi Macedo conspexit, duabus alis equitum ad iugum montis iussis subsistere, ceteros in medium belli discrimen strenuè transfert. Subductis deinde ex acie Thessalis equitibus, Præfectum eorum circuire occultè tergum suorum iubet, Parmenioniq; coniungi, & quod is imperasset, impigrè exequi. Iam ipsi in medium Persarum vndique circumfusi egregiè se tuebantur,* &c. *ergo cominus pugnam coacti conserere, gladios impigrè stringunt. Tum verò multum sanguinis fusum est: duæ quippe acies ita cohærebant, vt armis arma pulsarent, mucrones in ora dirigerent,* &c. *Alexander non Ducis magis quàm militis munia exequebatur, opimum decus cæso Rege expetens; quippe Darius curru sublimis eminebat,* &c. *Ergo frater eius Oxatres, cùm Alexandrum instare ei cerneret, equites, quibus præerat, ante ipsum currum Regis obiecit,* &c. *At Macedones, vt circa Regem erant, cum ipso in equitum agmen irrumpunt. Tum verò similis ruinæ strages erat. Circa currum Darij iacebant nobilissimi Duces,* &c. *Iámque, qui Darium vehebant equi, confossi hastis & dolore efferati, iugum quatere, & Regem curru excutere cœperant; cùm ille, veritus ne viuus veniret in hostium potestatem, desilit, & in equum, qui ad hoc ipsum sequebatur, imponitur,* &c. *Tum verò ceteri dissipantur metu,* &c. *Instabat fugientibus eques à Parmenione missus. At in dextro Persæ Thessalos equites vehementer vrgebant; iamq; vna ala ipso impetu proculcata erat, cùm Thessali strenuè, circumactis equis dilapsi,*

rursus

rursus in prælium redeũt, sparsosq; & incompositos victoriæ fiduciâ Barbaros ingenti cæde prosternũt. Equi pariter equitesq; Persarum serie laminarum graues, agmen ægrè moliebantur, quippe in circumagendis equis suis Thessali (quod genus celeritate maximè constat) multos occupauerant. Hac tam prosperâ pugnâ nuntiatâ, Alexander (non antè ausus persequi Barbaros) vtrimque iam victor instare fugientibus cœpit. Haud amplius Regem quàm mille equites sequebantur. Agebantur ergo à tam paucis, pecorum modo; & idem metus, qui cogebat fugere, fugientes morabatur, &c. *Darium equos subinde mutantem longius fuga abstulerat. In acie autem cæsa sunt Persarum peditum centum millia, decem equitum.*

Iam dimicatum equestribus prælijs satis; nunc monito vno necessario dimittendus mihi eques est: In pugnâ nempe moriendum sibi priùs statuat, quàm de fugâ cogitet, aut ignauâ captiuitate. *Tantò potior esse debet probis dignitas sine vitâ, quàm vita sine dignitate.* Documentum proponam & pœnam: à Gallis ipsoque Cæsare Iulio documentum, pœna à Romanis & Macedonibus erit. De Gallis, Cæsar lib. VII. Belli Gallici: *Conclamant equites, sanctissimo iureiurando confirmari oportere, ne tecto recipiatur, ne ad liberos, ne ad parentes, ne ad vxorem aditum habeat, qui non bis per hostem perequitasset.* De Cæsare, Frontinus lib. II. cap. VIII. *Diuus Iulius ad Mundam, suis referentibus pedem, equum suum abduci ab conspectu suo iussit, & in primam aciem pedes prosiluit.* Et Valerius lib. III. cap. II. *Cùm innumerabili multitudine & feroci impetu Neruiorum inclinari aciem suam videret, timidius pugnanti militi scutum detraxit, eoq; tectus acerrimè prœliari cœpit: quo facto, fortitudinem per totum exercitum diffudit, labentemq; belli fortunam diuino animi ardore restituit.* De Romanis, idem Valerius lib. II. cap. VII. *L. Calpurnius Piso Consul, cùm in Siciliâ bellum aduersus fugitiuos gereret, & C. Titius equitum Præfectus, fugitiuorum multitudine circumuentus, arma cum suis tradidisset; his Præfectum ignominiæ generibus affecit. Iussit eum togâ lacinijs abscisis amictum, distinctaq; tunicâ indutum, nudis pedibus à manè in noctem vsque ad principia per omne tempus militiæ adesse.*

esse. Interdixit etiam ei conuictum hominum, vsumq; balneorum; turmasq; equitum, quibus præfuerat, equis ademptis, in funditorum alas transcripsit; memor, tantam multitudinem armatorum iuuenum, si honestè mori voluissent, turpiter capi non potuisse. Id Duces ergo denuntient equitibus pugnaturis, *futurum, vt spiritum pœnæ impendant, quem pugnæ acceptum ferre debuissent.* Ac sub oculis pœna sit, ne putent aliquod saluti patere effugium. Ab Attilij & Philippi seueritate exemplum sit. *Attilius Consul* (bello Samnitium) *cùm turbatus eques sua præsidia territis equis proculcaret, cœptaq; fugâ totam auerteret aciem Romanam, equo prouectus ad portam castrorum, ac statione equitum ibi oppositâ obstitit, profusè redeuntibus suis in castra: &, Quò pergis, inquit, miles? & hîc arma & viros inuenies; nec viuo Consule tuo, nisi victor castra intrabis; proinde elige, cum ciue an hoste pugnare malis. Hæc dicente Consule, equites infestis cuspidibus circumfunduntur, ac fugientes in pugnam redire iubent:* Liuius lib. x. Addam alterum è Frontini lib. II. cap. VIII. *Philippus, veritus ne impetum Scytharum sui non sustinerent, fidelissimos equitum à tergo posuit, præcepítque, ne quem commilitonum ex acie fugere paterentur, persecuerantiùs abeuntes trucidarent. Quâ denuntiatione cùm effecisset, vt etiam timidissimi mallent ab hostibus, quàm à suis, interfici, victoriam acquisiuit.*

CAPVT VI.

Quæ acies equitum peditatui mixtorum.

Equiti admiscendum esse peditem. Tum partem equitum pro fronte, ad prouocandum, inter rorarios spargi. Reliquos plerumque in cornibus locari. Pugna à pedite, post equestrem prouocationem, excepta. Eques quietus, donec hostis fugeret. Contrà, sæpiùs pugna ab equite cœpta, perfectáque. Equestris inter pedites certaminis modi diuersi, singuli exemplis probati. Equiti olim pedites viritim interpositi in turmis. Quanta eius dispositionis vtilitas. Quanta ab exercitatione facilitas. Canes etiam inter equos pugnant. Gemina aciei mixtæ tabula, veteris & nouæ.

VT plenum sit exercitûs robur, peditem equiti admiscendum esse Hipparcho, Xenophon asserit. *Est*, inquit,

Præfecti equitum, pedites sibi adiungere, eisq; vti posse. Necessitatem exemplo ostendit lib. VII. Hellenicôn, in fine, de pugnâ ad Mantinæam. *Hostes* (Lacedæmones) *equitem suum instruxêre, perinde ac phalangem grauis armaturæ peditum, continuâ altitudine, ac destitutum peditibus. Epaminondas verò equitum facto cuneo, etiam pedites ijs adiunxit, existimans, si equitatum perrupissent, totum aduersariorum exercitum superatum iri,* &c. *Atque hoc modo & conflixit, & spes eum minimè frustrata est.* Idoneâ similitudine rem illustrat Leo Imperator Tact. cap. XX. §. CXCIII. *Exercitus ex equitatu & peditatu mistus corpori similis est, qui manuum vice habet leuem armaturam, pedum instar equites.* Id ergo æstimans Philippus Macedonum Rex, *Thessaliam* (vt Iustinus refert lib. VII.) *non prædæ cupiditate, sed quòd exercitui suo robur Thessalorum equitum adiungere gestiebat, nihil minùs quàm bellum metuentem, improuisus expugnat, vnumq; corpus equitum pedestriumq; copiarum inuicti exercitûs fecit.* Certè etsi plus fortè in pugnâ equites possint, in bello tamen vniuerso pedes equiti præponendus est. *Nam ad oppida propugnanda*, ait Lipsius Ciuilis doctrinæ lib. V. cap. VII. *aut expugnanda, quis equitum magnus vsus? quis etiam in montanis locis, aut impeditis? Ex quo intelligitur*, inquit Vegetius lib. II. cap. II. *magis necessarios Reipublicæ pedites, qui possint vbique prodesse.* At in pugnâ, si Polybio credamus lib. III. *melius est præualere numero equitum.* Acies igitur tum diuersa est à purè equestri. Qualis verò sit, Vegetius docet libro III. cap. XVI. *Equites ponuntur in cornibus, ita vt Loricati omnes & contati iuncti sint peditibus: Sagittarij autem, vel qui loricas non habent, longiùs euagentur. A fortioribus namque equitibus peditum protegenda sunt latera, & à velocioribus atque expeditis hostium cornua perfindenda.* Distinguere videtur inter leuem & grauem armaturam; grauem in cornibus, leuem pro fronte inter rorarios locare. Ab his pugna prouocabatur, ab illis perficiebatur, à pedite sustentabatur. Ita nonnumquam factum scribit lib. II. cap. XVII. *Sciendum est*, ait, *& omnibus modis retinendum, quòd, commisso bello, prima ac secunda acies* (Principum

pum & haſtatorum) *ſtabat immota; Triarij quoque reſidebant: Ferentarij & leuis armatura prouocabant ante aciem procedentes. Excipiebat prælium grauis armatura, quæ tamquam murus, vt ita dicam, ferreus ſtabat*, &c. *Et, ſi hoſtes fugaſſet, non ſequebatur grauis armatura, ſed leuis armatura cum funditoribus, ſagittarijs & equitibus fugientes ſequebatur inimicos.* En, vt apertè pediti committit pugnam, non equiti, niſi fugiente iam hoſte. Iterùm lib. III. cap. XIV. *Sciendum eſt, ſtantibus duobus primis ordinibus, tertium & quartum ordinem* (nempe leuis armaturæ) *ad prouocandum cum miſſilibus & ſagittis primo loco ſemper exire, qui, ſi hoſtem in fugam vertere potuerint, ipſi cum equitibus perſequantur.* Clarè equiti tribuit partes quieſcendi, donec hoſtis in fugâ ſit. Et profectò conſpirant cum Vegetio exempla. Liuius lib. IX. *Commotâ pedeſtri acie Samnitium, eques in pugnam ſuccedit.* Pugnabant igitur pedites primi. Quid? quòd Mauritius, quem Græcè ſcripſiſſe de Militiâ Turnebus refert lib. XXII. Aduerſ. cap. XXXVI. equites quoſdam *defenſores* appellat, *quia nec ex acie exeunt, nec excurrunt, ſed ſolummodò tuentur.* Liuij auctoritate res confirmatur. is lib. X. Bello Romanorum in Samnites ita ſcribit: *Fabius, vbi nullâ ex parte hoſtem moueri loco videt, M. Fuluium, & M. Valerium ire ad equites iubet, & adhortari, vt, ſi quando vmquam equeſtri opeadiutam Remp. meminerint, illo die annitantur, vt ordinis eius inuictam gloriam præſtent. Peditum certamine immobilem hoſtem reſtare: omnem reliquam ſpem in impetu eſſe equitum.* Vltimi ergo equites decernebant. Subinde tamen, imò ſæpiùs, contrà factum, inchoatumque ab equite prælium. Affirmat Dionyſ. lib. II. cap. II. Antiquitat. *Celeres ſæpè in prælijs victoriæ auctores erant, quòd & pugnandi initium facerent, & omnium poſtremi recederent.* Liuius accedit lib. X. *Conſul Romanus, vt rem excitaret, equitum paucas turmas extra ordinem immiſit.* & libro XXII. *Sub equeſtris finem certaminis excepta eſt peditum pugna.* Atque erat certum genus equitum, quos Mauritius ille mox laudatus *Curſores* appellat, *qui ante agmen & aciem excurrebant* inter rorarios, opinor, aut ſoli fortè, ad laceſſendum

hostem. Quin reliqua deinde equestris moles in alis posita, pugnam plerumque ordiebatur. Sic Decius apud Liuium lib. x. *Quà lentior videbatur pedestris pugna, equitatum in pugnam concitat, & ipse fortissimæ iuuenum turmæ immixtus, orat proceres iuuentutis, vt secum in hostem impetum faciant; duplicem illorum gloriam fore, si ab læuo cornu & ab equite victoria incipiat.* Lib. IV. Bello cum Etruscis: *Consul primos equites, clamore sublato, in hostem emisit.* Quot verò modis, idem Vegetius docet lib. III. cap. XX. *Depugnationum*, inquit, *septem sunt genera. Vna depugnatio est fronte longâ, exercitu quadro.* hanc mox reijcit, nec equitis in eâ facit distinctam mentionem. *Secunda depugnatio est obliqua*, &c. *Huius talis est modus: Instructæ acies ad congressum veniunt: tunc tu sinistram alam tuam à dextrâ aduersarij longiùs separabis, ne vel missilia vel sagittæ ad eam perueniant. Dexteram autem alam tuam sinistræ illius iunge, & ibi plurimum inchoa prælium, ita vt cum equitibus optimis, & probatissimis peditibus, sinistram partem illius ad quam te iunxeris, aggrediaris atque circumeas. Tertia depugnatio est similis secundæ; sed in hoc dexterior, quòd à sinistro cornu tuo cum illius incipias cornu dextero confligere. Quarta depugnatio talis est: Cùm ordinaueris aciem, ante quadringentos vel quingentos passus, quàm ad hostes perueniat, non sperante eo, subitò ambas alas tuas incitare te conuenit, vt ex vtroque cornu improuisos hostes vertas in fugam. Quinta depugnatio est quartæ similis, sed hoc vnum amplius habet, quòd leuem armaturam & sagittarios ante mediam aciem ponit. Sexta depugnatio optima est, propè similis secundæ, quâ vtuntur qui de numero & virtute suorum desperant: &, si benè ordinauerint, quamuis cum paucioribus, sæpè victoriam consequuntur. Nam, cùm instructa acies ad hostes accedit, dexteram alam tuam sinistræ alæ hostium iunge, & ibi per equites probatissimos & velocissimos pedites incipe prælium. Septima dimicatio est, quæ loci beneficio adiuuat dimicantem: si nempe montem, aut mare, aut flumen, aut lacum, aut ciuitatem, aut paludes, aut abrupta ex vnâ parte habeas, ex quâ hostis non possit accedere, & reliquum exercitum tuum directâ acie ordines. Sed in illâ alâ, quæ munitio-*

nem

nem non habet, omnes equites & Ferentarios ponas. tunc ſecurus pro tuo arbitrio cum hoſte confliges; quia ab vnâ parte loci natura te munit, ab aliâ duplex propè ponitur equitatus. His ergo modis eques orditur prælium; vel à dextrâ alâ ſolâ, vel à ſiniſtrâ ſolâ, vt ſecundo, tertio, ſexto, & ſeptimo genere depugnationis; vel ab vtraque alâ ſimul, vt quarto & quinto depugnationis genere eſt oſtenſum. Singulorum præliorum apud Hiſtoricos exempla ſunt. Atque, vt omittam primum, quod ab ipſo Auctore reiectum, ſecundi obliqui (vt Vegetius vocat) vbi ala dextra immittit ſe hoſtili ſiniſtræ, geminum exemplum eſt; alterum Scipionis, alterum Philippi Regis, apud Frontinum lib. II. cap. III. *Cn. Scipio*, inquit, *in Hiſpaniâ, aduerſus Hannonem, ad oppidum Indibile, cùm animaduertiſſet Punicam aciem ita directam, vti in dextro cornu Hiſpani conſtituerentur, robuſtus quidem miles, ſed qui alienum negotium ageret; in ſiniſtro autem Afri, minùs viribus firmi, ſed animi conſtantioris; reducto ſiniſtro latere ſuorum dextro cornu, quod validiſſimis militibus extruxerat, obliquâ acie cum hoſte conflixit.* Ibidem: *Philippus Macedonum Rex aduerſus Illyrios, fortiſſimis ſuorum in dextro cornu collocatis, ſiniſtrum latus hoſtium inuaſit.* Tertiæ depugnationis (quâ ſiniſtrum cornu confligit cum hoſtili dextro) Frontinus euentum ſubijcit eodem loco: *Permenes Thebanus*, inquit, *conſpectâ Perſarum acie, quæ robuſtiſſimas copias in dextro cornu collocatas habebat, ſimili ratione & ipſe ſuos ordinauit; omnemq; equitatum, & fortiſſimum quemque peditum, in dextro cornu* (ex aduerſo nempe ſiniſtri hoſtilis) *infirmiſſimos autem contra fortiſſimos hoſtium poſuit* (ſiniſtrum nempe cornu ſuum contra dextrum hoſtile) *præcepitque, vt ad primum impetum eorum, ſibi fugâ conſulerent:* (infirmiſſimi nimirum, qui in latere ſiniſtro poſiti aduerſus hoſtium fortiſſimos) *ita fruſtrato robore exercitûs* (hoſtilis,) *ipſe optimâ parte virium ſuarum, dextro cornu totam circuiuit aciem hoſtium, & euertit.* En, vt apertè pugnam ſuſtentatam indicat à ſiniſtro cornu, quod cedere conſultò iuſſit Permenes, & ceſſare tantiſper à pugnâ dextrum. Sed clarius oblatæ etiam ab ſiniſtrâ alâ pugnę

exemplum de Paulo adfert aduerſus Perſen Macedonum Regem. *Equites à ſiniſtro cornu, præter ora phalangis iuſſit tranſcurrere citatis equis, tectos, vt, obiectis armis, ipſo impetu perfringerent hoſtium ſpicula.* Addam Pompeij factum lib. III. de Bello ciuili: *Eodem tempore equites à ſiniſtro Pompeij cornu, vt erat imperatum, vniuerſi procurrerunt.* Quartæ depugnationis, ab vtraque ſimul alâ, Frontinus hiſtoriam adfert Publij Scipionis aduerſus Aſdrubalem, *qui cornibus, quibus ipſe præualebat, infirmiſſimas hoſtium partes lunatâ acie aggreſſus, facilè fudit.* Metelli item in Hiſpaniâ aduerſus Herculeium, *qui mediam ſuorum aciem reduxit, ne antè cum hoſte eâ parte confligeret, quàm cornibus profligatis medios vndique circumueniſſet.* Quintæ depugnationis ſpecimen ibidem à Xantippo Lacedæmone datur aduerſus M. Attilium Regulum. *Leuem*, ait, *armaturam in primâ acie collocauit, vt, cùm ſe intra ſuorum ordines recepiſſent, confeſtim in latera diſcurrerent, & à cornibus rurſum erumperent, exceptumq; iam hoſtem à robuſtioribus, & ipſi circuirent.* Cui geminum eſt Pompeij ſtratagema in Albaniâ pugnantis: *is namque iuſsit equites prætendere peditibus, præcepítque, vt ad primum impetum hoſtium refugerent, & ſimul atque ad pedites ventum eſſet, in latera diſcederent; quod vbi expeditum eſt, patefacto loco, ſubita peditum ſurrexit acies, inuectoſq; temerè hoſtes, inopinatò interfuſa prælio, cecîdit.* Sextę depugnationis experimentum idem eſt quod ſecundæ, cùm ipſæ depugnationes non differant. Vltimæ, in quâ eques omnis in vnam conſtipatur alam, parte alterâ loco ipſo munitâ, exemplum eſt apud Cæſarem lib. III. de Bello ciuili. *Dextrum cornu eius* (Pompeij) *riuus quidam impeditis ripis munichat, quam ad cauſſam cunctum equitatum, ſagittarios funditoreſq; omnes in ſiniſtro cornu obiecerat.* Et quid aduerſus hanc aciem Cæſar? *Siniſtrum latus*, ait Frontinus, *vt circuiri poſſet, admouet paludibus.* Vnde id habeat Frontinus, neſcio; Cæſar ipſe paludum non meminit, ſed *nonam legionem in cornu ſiniſtro ſe locaſſe* ſcribit, eíque cornu *præpoſuiſſe Antonium*, nec aliud addidiſſe præſidij indicat. Non exhauſit hoc loci modos omnes equeſtrium

ſtrium acierum depugnationumque Vegetius: addam ergo præterea octauum, quo eques poſt peditem locatus, ſubitò per cohortium interualla præcurrens, in primâ acie ad pugnandum exiſtebat; quod ſæpiſſimè factum Hiſtorici ſcripſêre. Frontinus lib. II. cap. III. *Sylla triplicem aciem ordinauit, relictis interuallis, per leuem armaturam, pro equite quem in nouiſsimo collocauerat; vt, cùm res exegiſſet, emitteret eum.* Liuius lib. x. *Prima incedebant ſigna legionum, ne quid occultum aut repentinum hoſtis timeret. Sed reliquerat interualla inter ordines peditum, quâ ſatis laxo ſpatio equi permitti poſſent. Pariter ſuſtulit clamorem acies, & immiſſus eques, libero curſu in hoſtem inuehitur, incompoſitoſq; aduerſus equeſtrem procellam ſubitum pauorem offundit.* Prælium id fuit Romanorum in Etruſcos. Iterùm prælio Romanorum aduerſus Samnites, ſub eiuſdem libri finem: *Conſul inſidens equo, Tribunis Centurionibuſq; imperat, vt vias equitibus patefaciant. ipſe Trebonio Editioq; prædixerat, vt vbi ſe cuſpidem erectam quatientem vidiſſent, quantâ maximâ vi poſſent, concitarent equites in hoſtem. Ad nutum omnia, vt ex antè præparato, fiunt. Panduntur inter ordines viæ, prouolat eques, atque infeſtis cuſpidibus in medium agmen hoſtium ruit.* Sed cauendum, ne patentia illa interualla hoſtis celeritate inuadat, vt Lentulus quondam præuertit Hiſpanos. Liuius refert libro XXIX. *Romani, more ſuo, exercitum cùm inſtruxiſſent, id modò hoſtium imitati ſunt, vt inter legiones & ipſi patentes equiti relinquerent viâs. Ceterùm Lentulus ei parti vſum equitis foratus, quæ priùs in dehiſcentem interuallis hoſtium aciem equites immiſiſſet: Ser. Corn. Tribuno militum imperat, equites per patentes in hoſtium acie vias permittere equos iubeat,* &c. *Vix hæc dicta dederat, cùm Romani equites in medios inuecti hoſtes, ſimul pedeſtres acies turbarunt, ſimul equitibus Hiſpanorum viam immittendi equos clauſerunt. it aqueomiſsâ pugnâ equeſtri, ad pedeſtrem Hiſpani deſcenderunt.* Hanc poſtremam aciem ſubſidio ſeruatam in extremos caſus, præcipuè Vegetius laudat lib. III. cap. XVII. *Optima,* inquit, *ratio eſt, & ad victoriam plurimum confert, vt lectiſsimos de peditibus & equitibus habeat Dux poſt aciem*

aciem præparatos; alios circa cornua, alios circa medium, &c. *Hoc primi Lacones inuenerunt, imitati sunt Carthaginenses, Romani postea vbique seruauerunt.* Ostendit verò, futurum alioqui periculum; nam, *nisi superfluos*, inquit, *habeas, quos contra globum hostium possis opponere, siue pedites, siue equites de acie tuleris, dum aliâ vis defendere, aliâ periculosiùs denudabis.* Quin etiam (qui postremus occurrit locandæ aciei modus) equitem subinde ante peditem locandum indicat Leo Imperat. Tact. cap. XIV. §. LXXXIX. *Multos equites in pedestribus prælijs ne admiscas, sed in extremis oris aciei paucos ad tria aut quatuor millia equites loricatos constitues.* §. XC. *Si hostes equites pertimescant cum peditatu tuo confligere, pluresq; tu equites quàm pedites habeas, colloca equitatum in parte anteriore; pedites constitue post, interuallo ferè vnius milliaris; sed prohibe equites abscedere longiùs. Quòd si retrocedere cogantur, non directè ante pedites, sed ad latus redeant, & à tergo se locent peditum.* Obseruo denique discrimen pugnæ apud Veteres & nostros in exercitu mixto. Veteres equestribus turmis in pugnâ subinde ita miscebant pedites, vt quasi vnam efficerent turmam, & vir viro, pedes equiti interponeretur: quod recentiores numquam solent, fortè ob pericula peditis inter equos versantis, quæ difficiliè videatur euitare posse in calore pugnæ. Maiorum vsum Vegetius expressit lib. III. cap. XVI. *Vnum hoc remedium veteres Duces inuenerunt* (si eques impar esset) *vt assuefacerent iuuenes, currentes egregiè, & inter binos equites, singulos ex his pedites collocarent*, &c. *quo facto, quamuis fortissimi hostium venerint equites, tamen aduersus mixtum agmen pares esse non possunt. quod Liuius item lib.* XXVI. *docet, pedites singulos post equitem, equis acceptos, desilijsse in pugnam.* Fuisse verò & Germanis hunc morem miscendi equestrem pedestremque pugnam, testatur Cæsar lib. I. de Bello Gall. *Genus hoc erat pugnæ, quo se Germani exercuerant: equitum millia erant* VI. *totidem numero pedites velocissimi ac fortissimi, quos ex omni copiâ singuli singulos suæ salutis causâ deuexerant. Cum his in prælijs versabantur, ad hos se equites recipiebant; si quid erat durius, concurrebant; si qui, grauiore*

uiore vulnere accepto, equo deciderant, circumsistebant; si quò erat longiùs prodeundum, aut celeriùs recipiendum, tanta erat horum exercitatione celeritas, vt iubis equorum subleuati, cursum adæquarent. Quæ Taciti testimonio firmantur, libello de Moribus Germanorum: *Plus penes peditem roboris, eoq; mixti præliantur, aptâ & congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni iuuentute delectos ante aciem locant.* Quin Gallis Numidisque id solitum: Cæsar & Hirtius scribunt. *Galli*, inquit Cæsar lib. VII. de Bell. Gall. *inter equites raros sagittarios expeditosq; leuis armaturæ interiecerant. Numidæ*, ait Hirtius de Bell. Afr. *leuisq; armaturæ, mirabili velocitate præditi, qui inter equites pugnabant, & vnà pariterq; cum equitibus accurrere & refugere consueuerant.* Optimum sanè inuentum, si in Martiali illo impetu eques peditem non comprimebat, aut obterebat. Id credo exercitatione cauisse, cùm tot gentium fuerit consuetudo. Nobis desperata haud dubiè ars videbitur, qui nempe nullam adhibebimus exercitationem. Sed quidni tamen eques pediti cauere posset, quando ipsi inuicem equites cauent, non incursando mutuos equos? An vsu addisci nequeat, laxiùs aliquantò equitare? peditem non premere? Cæsar profectò, cùm impar Pompeio esset equitatu, ita rudem pugnæ huius peditem instruxit, vt viribus tandem superaret. Sic de se ipse lib. III. Bell. ciu. *Cæsar superius institutum in equitibus, quod demonstrauimus, seruabat, vt, quoniam numero multis partibus esset inferior, adolescentes atque expeditos ex antesignanis electos milites, ad pernicitatem armis inter equites præliari iuberet, qui quotidianâ consuetudine vsum quoque eius generis præliorum perciperent. His erat rebus effectum, vt equites mille apertioribus etiam campis* VII. *millium Pompeianorum impetum, cùm adesset vsus, sustinere auderent, neque magnopere eorum multitudine terrerentur.* Quas iam cauillabimur difficultates? An, si modò Cæsares viuerent, non essent quoque velites, qui pedibus inter equos pugnarent? Quid dico? Si canes olim docti inter equites pugnare, & nec equi canibus, nec canes equis impedimento erant; non poterit eques pediti, pedes

equiti cauere in conflictu? Narrabo, vt vel à canibus homines discamus disciplinam. *Magnetes Mæandri accolæ*, inquit Ælianus lib. XIV. *cùm bellum inferunt Ephesiis, singuli equites commilitonem secum adduxerunt canem venaticum, & seruum iaculatorem; cùm verò iam ad manus & in conspectum ventum esset, proruentes canes, aciem terrore, & sauitiâ, & implacabili impetu perturbabant; serui autem iaculando dominos propugnabant, atque post canum ferociam, pugnæ seruorum videbantur; tertiò demum ipsi hostem aggrediebantur.* Sanè Halyattes Lydorum Rex, Cimmerium bellum confecit ferociâ canum hostes lacerantium, vt narrat Polyænus lib. VII. Finnos denique, Septemtrionalem populum, canibus in bello vti, qui saltu mordicus arripiant hostilium equorum nares, vt eorum consternatione excutiatur eques, commemorat Olaus lib. XI. c. XIII. An imitari hæc nolumus, an nequimus? *Maioribus nostris*, inquit in Catilinario bello Salustius, *non obstitit superbia, quò minùs aliena instituta (si modò proba erant) imitarentur*, &c. *Quidquid vbique, apud socios, apud hostes idoneum videbatur, cum summo studio domi exequebantur. Imitari quàm inuidere bonis malebant.*

Supereſt, vt geminæ aciei, veteris & nouæ, ſpecimen oculis ſubijciamus; quâ ratione, quemadmodum eques in peditatu locatus fuerit, clarè conſpicietur. Veteris aciei tabula eſt è Lipſij Militiâ ſumpta: nouæ, ex præceptis militaribus Ludouici Melzi.

IVSTI LIPSI ICONISMVS ACIEI VETERIS.

A. *Equites sociorum, vtriusque cornu, viginti Turmae.*
B. *Hastati sociorum Alae sinistrae*
C. *Hastati legionis secundae.*
D. *Hastati legionis primae.*
E. *Hastati sociorum Alae dextrae.*
F. *Equites Romani. Turmae viginti vtriusq; legionis.*
G. *Equites Extraordinarij vtriusq; cornu Turmae octo.*
H. *Principes sociorum sinistri*
I. *Principes legionis secundae.*
K. *Principes legionis primae*
L. *Principes sociorum dextri.*
M. *Triarij sociorum.*
N. *Extraordinarij pedites, cohortes duae.*
O *Triarij legionis secundae*
P. *Imperator, circa eum Tribb & cus Fodia equitum peditumque. Stat ante aquilas.*
Q. *Triarij legionis primae.*
R. *Extraordinarij pedites, vt ante. alterius Alae*
S. *Triarij sociorum*
T. *Velites sparsi ante et per interualla.*
V. *Legatus qui praeest cornu*

IVD. MELZI ICONISMVS ACIEI NOVÆ. Fig. 2. Pag. 298

LIBER V.

DE MILITIAE EQVESTRIS DIGNITATE, MAGISTRATIBVS, PROMOTIONE, PRÆROGATIVIS, PRÆMIIS AC POENIS.

Argumentum Libri.

EQVITANDI *dignitas ipsius naturæ & nominis argumento probata. Prærogatiuæ & præmia equitum singularia. Ignominiæ & pœnæ. Honor equis ipsis habitus. Hipparchi & Philarchi equitatum Græcia; Magister equitum Romanos equites regunt. Imperio in Orientem Occidentemq; diuiso, quæ ratio administrandi equitatûs. Quitum Magistratus. Optio Magistri equitum, & summus mandatorum Curator, Magistratus noui, vt nonnulli alij. Seuiri, Tribuni, Præfecti alæ & turmæ, Decurio, Subdecurio, Vexillifer, Tubicines, antiqua nomina.*

CAPVT I.

Equestris militiæ præstantia. Equitum prærogatiuæ, præmia & pœnæ.

PLATO *cur non ausus equitare. Dictatori & Flamini Diali, equitatione cur interdictum. Equites variorum ordinum, Torquati, Aurati, & Domestici, vt Equester olim Lacedæmonum & Romanorum ordo, ad solam dignitatem instituti. Qui ex Equestri Romanorum ordine equites militares. Eorum priuilegia & Tituli. Equus publicus ex priuilegio reddi*

potuit. Stipendia equitum ampliora quàm peditum. Præmium equitum excellentissimum. Equestres statuæ: earum origo. Quæ equestres ignominiæ, quæ supplicia. Equis ipsis quis habitus honor.

QVANTÒ à terrâ altiùs vectorem suum equus attollit, tantò mihi semper eques peditem visus est antecellere. Sensit certè Plato, quantum efferre posset vehentium animos, quantoque spiritus facere, vel ipsa equitatio, quando metu hippotyphiæ, seu equestris cuiusdam superbiæ, ipse in equum conscendere perpetuò recusauit. Romanos quoque id æstimasse, manifestum est, cùm Dictatori equitatione interdixêre (vt testatur Liuius lib. XXIII.) reputantes, fastigium illud Dictaturæ, nisi equi ademptione temperaretur, in nimiam exiturum maiestatem. Quare (nisi lato ad populum) in expeditionem equo proficisci ei non licebat. An fortè Flamini Diali hanc ob causam *religio quoque fuit equo vehi?* An, vt Festus Pompeius indicat, *ne si longiùs digrederetur, Sacra negligerentur?* Certè vel equestris tituli dignitate propositâ, Borellus quondam Barcinonæ Comes, à Mauris pænè victus, tantum equitatum collegit, vt victores deinde equestribus copijs superarit. *Paratos* eos equites appellauit; vnde detorto nomine, *Peraltarum* familia hodieque celebratur, ait Marineus lib. IX. Rerum Hispanic. Quid, quòd ipsum equitis nomen adeò honorificum sit, vt eo vel insigniri gaudeant etiam qui equestri militiæ se non addicunt, vt obseruat accuratè Tiraquellus de Nobilitate cap. VIII? Et sanè antiqua est equestris nominis ambitio, quæ iam tum priscis Lacedæmonum & Romanorum temporibus se ostendit, cùm illi secundum, hi medium ac tertium quemdam ordinem equitum inter Senatum ac Plebem constituêre; Lacedæmonum fortè more, qui, teste Strabone lib. X. ordinem habebant *equitum, quibus non erant equi.* Nimirum equites vocari Lacedæmones Romaniqué gestiebant, etiamsi non militarent equo: olim enim (vti superioribus Libris dictum) neque qui equo apud Roma-

Romanos primùm militabant, fuêre Equites appellati, sed Celeres, deinde Trossuli, tandem Flexumines, denique verò aliquando Equites. Neque tum etiam Equester ordo natus est (neque Equites illi tum erant aut vocabantur Equestris ordinis) sed tum, cùm *pecuniæ iudices id nomen tribuêre, quod anteà militares equi dederant*, vt Plinius scribit lib. XXXIII. cap. 1. *Tum*, inquit, *annuli aurei medium tertiumq; ordinem Plebi & Patribus inseruerunt.* Et ex his sanè minima pars equo militauit. Plin. cap. seq. *Decuriæ quoque* (Equestris ordinis) *discretæ pluribus nominibus fuêre, Tribunorum æris, Selectorum, & Iudicum. Præter hos etiamnum Nongenti vocantur, ex omnibus selecti; & Tiberij demum Principatûs anno nono in vnitatem venit Equester ordo*, &c. *Iudicum autem appellatione, eum ordinem separari, primò omnium instituêre Gracchi*, &c. *Mox auctoritas nominis circa Publicanos substitit*, &c. *M. Cicero demum stabiliuit equestre nomen in Consulatu suo, & ab eo tempore planè hoc tertium corpus in Republicâ factum est, cœpitq; adijci Senatui Populoq; Romano & Equester ordo.* Igitur hi Equites ex hoc ordine, non omnes fuêre milites seu *equites militares*, vt eos Asconius & Horatius vocat; sed ij soli, qui equo publico faciebant stipendia: qui sanè pauci fuêre, cum ijs collati qui non erant Equestris ordinis, sed tamen equo merebant. Tales fuisse credo, quos Nero primùm Augustanos Equites creauit, de quibus Tacitus Annal. XIV. *Tuncq; primùm conscripti sunt Equites Romani cognomento Augustanorum, ætate ac robore conspicui, & pari ingenio procaces.* Deinde hoc exemplo, existimo, labante Imperio, institutũ genus quoddam *Equitum domesticorum*, auctore Iuniore Gordiano, qui *Spatharij* dicti apud Cedrenum; quosque Procopius *à curâ rerum bellicarum* scribit *longè abfuisse, in palatio degentes, vt sit Ordo qui tantùm personæ operam præstet.* Ergo ceteri deinde ordines Equestres, splendidissimi quidem, an non ad similem ferè normam instituti? Equites namque vocantur, cærimonijsque certis initiantur; nec equo tamen merere, imò ne militiam sequi coguntur. Quid ergo? Quia tanta est Equestris nominis digni-

tas, hoc facere ſcilicet ad gloriam ſplendoremque meritò arbitrantur. Sic ſacra illa Collegia (quibus Torquatorum equitum nomen torquis ipſius inſigne indidit) Reges ipſos Imperatoreſque in album Equitum ſuorum adſcribunt: cuiuſmodi quaternos nominat Franciſcus Sanſouinus libro de Equeſtri dignitate: *Velleris aurei*, apud Burgundos: *S. Michaëlis*, apud Gallos: *Annuntiationis*, apud Sabaudos: *S. Georgij*, ſeu *periſcelidis*, apud Anglos: apud quos poſtremos Arturus Britannorum Rex Equites creauit nomine *Menſæ rotundæ*, qui, quòd Nobilitate virtuteque pares eſſent, paribus in orbem locis, nullo menſæ diſcrimine, accumbebant. Hanc menſam etiamnum ſupereſſe apud Vinceſtrios, ait Sanſouinus. Præter hos, ne cetera quoque Nobilitas Equeſtribus titulis prohiberetur, *Stellariorum* in Galliâ Equitum fuit ordo inuentus; ſed is ferè tam citò, quàm ipſa (quæ nomen ei dederat) Magorum ſtella, euanuit, poſt Ioannis Gallorum Regis mortem, qui eius fuerat auctor. *Templariorum* quoque nomen Clementis V. Pontificatu extinctum eſt. Reliqui Ordines hucuſque permanſêre: *Teutonicorum*, in Germaniâ; *Gladiatorum*, in Liuoniâ; *Chriſti*, in Luſitaniâ; *S. Jacobi*, in Galæciâ; *Alcantaræ*, in Caſtellâ; *Calatrauæ*, in Toletanâ Prouinciâ; *S. Mariæ*, in Aragoniâ; *Monteſiæ*, in Valentiâ; *Bandatorum*, Burgis; *S. Ioannis*, Melitæ; *Crucigerorum*, alibi. Denique *Calcarios* quoſdam Equites vocatos ait Sanſouinus, à calcaribus aureis quibus inſigniuntur, quibuſque ius eſt gerendi gladij ac torquis; vnde Auratos Equites ab ſe primùm dictos, gloriatur Franciſcus Philephus lib. XXIV. Epiſt. I. quos *Decuriones* appellandos meliore vocabulo, putauit Valla lib. VI. Elegant. cap. XXII.

Iam prærogatiuæ Equitum militarium conſiſtunt omnino his in rebus: equo publico, Nobilitate, cenſu, auctoritate, loco, ornatu, immunitate, titulo, famulitio, ſtipendio; de quibus omnibus ordine dicendum.

De equo publico, Liuius lib. I. *Ad equos emendos dena millia æris ex publico data.* & Plinius lib. XXXIII. cap. I. *Equitum nomen*

nomen subsistebat in turmis equorum publicorum. Fuit tamen, cùm subito in tumultu, *quibus equester census erat, equiq; publici nondum essent assignati, equis se suis stipendia facturos promitterent*, auctore Liuio lib. v.

Nobilitatis rationem in equestri delectu habitam iam tum ab ipsis Romanæ vrbis incunabulis, Halycarnassæus ostendit lib. II. *Romulus* CCC. *viros illustrissimarum familiarum corpore robustissimos elegit, Celeres (vt plerique scribunt) à ministerij celeritate,* &c. *qui ex equis pugnarent, vbi campus ad equestre certamen esset commodus.* Retentum deinde morem à Seruio Rege, docet lib. IV. *Equitum delectum habuit ex illis quorum maximus erat census, quiq; genere illustri erant.* Hîc riserit me fortasse non-nemo, qui persuasum mihi viderit, in populo illo Romano (quem Florus Pastoritium appellat) Illustres ac Nobiles iam tum fuisse initio Reipublicæ illius nascentis. Næ ego agrestium, & subulcorum, opilionumque insignis æstimator sim, qui Illustres in cunis illis rusticis reputauerim! Sed splenem tene, quisquis cachinno es. Non erraui; etiamtum Illustres erant, cùm Romam primùm Romulus condidit. Vnde, hercules, Illustres? ab aratro? Audi, docebit Dionysius Halycarnass. lib. I. *Quiuis confidenter (longum vale dicens ijs, qui Romam hominum barbarorum fugitiuorum & lare carentium refugium faciunt) iam affirmet hanc vrbem Græcam esse. Et cogitet, Aboriginum gentem Oenotricam fuisse, hanc verò Arcadicam: & recordetur, Pelasgos, qui cum ijs habitarunt, Thessaliâ relictâ (cùm ab Argiuis essent oriundi) in Italiam venisse; & memor sit aduentûs Euandri & Arcadum, qui in Palantio habitarunt: præterea Peloponesiorum qui cum Hercule venerunt, & in colle Saturnio habitarunt: denique eorum qui ex agro Troiano migrarunt, & cum ijs mixti fuerunt; & Barbarorum commercia multò pòst fuisse reperiet.* Paulò superiùs: *Vt in migrationibus solet accidere, erat magnus plebeiorum numerus, non pauci etiam ex Optimatibus Nobiles, & ex Troianis quotquot generosissimi habebantur: vnde etiam ad meam vsque ætatem aliquot familiæ circiter quinquaginta supererant.* Iterùm initio lib. II.

Nume-

Numerus eorum qui eiusdem coloniæ participes fuerunt, cùm principio magnus fuisset, ad exiguum redactus est, ad tria peditum millia & CCC. equites. Post multa: *Romulus coloniam ex paruâ magnam effecit: qui enim cum eo Romam condiderunt, non erant plures quàm bis mille pedites, & pauciores quàm trecenti equites; qui verò relicti ab eo fuerunt cùm ex hominum conspectu sublatus est, erant quadraginta sex millia peditum, equites non multò pauciores quàm mille.* An certa & multa iam satis, vt à risu me vindicem? Absoluo verbis eiusdem Scriptoris eodem illo libro: *Qui priuatâ inuidiâ impulsi hac de re loquuntur, generis obscuritatem illi vrbi falsò obijciunt.* Pastoritium ergo populum Florus non inuidiâ, sed vero encomio appellauit; cùm olim agros colere, pecus curare, esset Nobilium, vt egregiè Tiraquellus cap. XXXII. de Nobil. Nam Agricolas, Seranos, Lentulos, Fabios, Pisones, Cicerones (nobilissima quondam nomina) vnde dictos tu, nisi ab agris, à serendo, à fabis, à pisis & cicere credis? Vnde Equitios, Tauros, Bubulcos, Vitellios, Porcios, Scrofas, nisi ab equis, tauris, bubus, vitulis, porcis, scrofis? Tum id honori vertebat, non probro,

Cùm trepida ante boues Dictatorem induit vxor:
Cùm colerent proprios prisci studiosius agros,
Et faceret patrio iure Senator opes.
Cùm caperet fasces à curuo Consul aratro,
Nec crimen duras esset habere manus.

Ad Censum, Plinius lib. XXXIII. cap. I. *Quod anteà militares equi nomen dederant, hoc nunc pecunia iudices tribuunt.* Quantæ pecuniæ? inquies. Dionys. Halycarnass. lib. IV. *Seruius vnam ex omni numero partem detraxit, cuius census erat maximus, neque minor centum minis,* &c. Post pauca: *Equitum delectum habuit ex illis quorum maximus erat census.* Hîc opes, sed nondum caput summæ exprimitur. Ergo Suetonius cap. XXXIII. Iulij Cæsaris *millia quadringenta* dixit. *Promissum*, inquit, *ius annulorum cum millibus* CCCC. *fama distulit.* quod idem ac si dixisset, *sestertia quadringenta.* Sic Plinius lib. XXXIII. cap. II. *Constitutum, ne cui ius annuli equestris esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri,*

patri, auóque paterno sestertia CCCC. *census fuisset.* Ita Horatius apertè lib. I. Epist. I.

Si quadringentis, sex, septem millia desunt,
(Est animus tibi, sunt mores, & lingua fidésque)
Plebs eris. ———

Ita Iuuenalis Sat. III.

Quadringenta tibi si quis Deus, aut similis Dis,
Aut maior, fato donaret homuncio; quantus
E nihilo fieres! ———

Auctor porrò tanti censûs, teste Plinio lib. XXXIII. cap. II. videtur C. Sulpitius Galba, qui dum *iuuenilem famam apud Principem aucupatur, pœnis popinarum (quæstus nempe in Senatu, vulgò eius culpa* (popinarum) *institores annulis defendi) constitutum est, ne cui ius id esset, nisi cui* CCCC. *sestertia census fuisset, anno V.* DCCLXXV. *Conss. C. Asinio Pollione, & C. Antonio Vetere.* Exemplum respiciendi censûs in equestri dilectu, fortè Romani sumpserint à Chalcidensibus, (vti nempe nobilitatis respectum exemplo Lacedæmonum habuêre, teste Halicarnassæo.) De Chalcidensibus namque Herodotus refert lib. V. *qui apud eos erant locupletes, Equites fuisse appellatos.* Censum auctoritas consequebatur, & locus. Auctoritas equiti creuit quatuor ferè rebus: communicatione Senatoriæ dignitatis, arrogatione iudiciorum, administratione Præfecturæ Prætorij, gubernatione denique Prouinciarum exterarum. Brutus primus equestri supplemento Senatum instaurauit. Ita Liuius lib. XII. Caius verò Gracchus & Liuius Drusus, Senatum equitumque Ordinem (æqualium instar) permiscere decreuerunt, teste Floro Epitomes Liuianæ lib. LX. & LXX. Aditum denique in Senatum dicendæque sententiæ facultatem equiti dedit C. Gracchus lege sacratâ & plebiscito, vt Plutarchus in Graccho. Quid amplius? Senatus ferè Principes facti sunt equites, postquam ius suffragandi in Senatu priùs eis datum est, quàm vel à Censoribus in Senatum legerentur; vnde Pedarios Senatores dictos esse, Gellius contendit lib. III. cap. XVIII. Iudicia quoque Equestri ordini attri-

buta Plinius affirmat lib. XXXIII. cap. II. *Judicumq́, decuriæ mox pluribus nominibus discretæ: quorum, qui nongentùm erant, cistas suffragiorum in comitijs asseruabant.* Prætorij præfecturam Equitum propriam fuisse, Suetonius significat Titi c. VI. *Præfecturam*, inquit, *Prætorij* (Titus) *suscepit, numquam ad id tempus nisi Equite Romano administratam.* Prouincijs denique quibusdam solos Equites præfici solere, Taciti & Suetonij testimonijs patet. Ille lib. I. Hist. *Ægyptum copiasq́, quibus coërceretur, iam inde à D. Augusto Equites Romani obtinent loco Regum.* An non etiam Cappadociam? Suetonius insinuat Vespas. cap. VIII. *Cappadociæ consularem Rectorem præposuit pro Equite Romano.* Eques ergo eam solitus administrare. De loco, Epitome Liuij lib. XCIX. *Luc. Roscius Tribunus plebis legem tulit, vt Equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur.* Id quod Plinius lib. XXXIII. cap. II. ait *constitutum lege Iuliâ theatrali, in* XIV. *ordinibus sedendi.* veriùs dixisset *restitutum*; nam Augustus lege suâ Iuliâ Roscium confirmauit. Othonis ergo vocat Iuuenalis Sat. XIV.

——— *Effice summam*
Bis septem, ordinibus quam lex dignatur Othonis.

Sic & Põponius Lętus *Othoniã.* Sic Lipsius & Iacobus Schegkius Velleij verba lib. II. c. XXXII. emendant, *Otho Equitibus in theatro loca sua restituit.* pro *restituit*, legũt *instituit*; nam primus fuit Otho Roscius. Hinc *Roscium* appellat Horat. lib. I. ep. I.

Roscia, dic sodes, melior lex? ——

Iuuenalis porrò de eadem lege Satyrâ V.

—— *Exeat, inquit.*
Si pudor est, & de puluino surgat equestri,
Cuius res legi non sufficit. ——

Et Horat. Epod. Odâ IV.

Sedilibusq́, magnus in primis eques
Othone contempto sedes.

Martialis lib. V. Epigram. XXVI.

Quadringenta tibi non sunt, Charestrale; surge,
Lectius ecce venit; sta, fuge, curre, late.

Supe-

Superiùs Epigr. XIV. de Manneio subselliorum occupatore:

Sedere primo solitus in gradu semper
Tunc, cùm liceret occupare, Manneius: &
Nunc malè receptus altero genu, iactat
Equiti sedere se, Lectioq; se stare.

Iterùm Epigrammate XXXIX.

Calliodorus habet censum (quis nescit?) equestrem,
Sexte: sed & fratrem Calliodorus habet.

vnus autem census equester non potest duos fratres facere duos Equites. Addit acutè:

Quadringenta secat, qui dicit σῦκα μέλιτι.
Vno credis equo posse sedere duos?

quia nempe, sicut difficile est duos equites vno sedere equo, sic impossibile, vnum censum sufficere duobus Equitibus. Pergit:

Vnus cùm sitis, duo, Calliodore, sedetis:
Surge, solœcismum, Calliodore, facis:
Aut imitare genus Ledæ, cum fratre sedere
Non potes, alternis, Calliodore, sede.

Denique Epigrammate XLII.

Sedere in Equitum liceat an tibi scamnis?
Videbo Didyme.

Ornatus equester constabat annulo, bullâ, & veste. *Annuli*, ait Plinius lib. XXXIII. cap. I. *distinxêre alterum Ordinem à plebe.* & mox: *Annuli planè medium tertiumq; ordinem Plebi & Patribus inseruêre.* quos ibidem scribit ferreos fuisse initio, mox aureos factos. ad quem morem Iuuenalis Satyrâ VII.

Ille & militiæ multis largitus honorem,
Semestri vatum digitos circumligat auro.

Hos tristibus diebus poni solitos, ferreosque sumi, Suetonius indicat Augusti cap. C. ob eius mortem; & Liuius lib. IX. ob nuntium pacis Caudinæ. Trimodia eorum ab Hannibale Carthaginem missa, occisis tot Romanis Equitibus, testatur Plinius lib. XXXIII. cap. I. sed Liuius lib. XXIII. haud plus fuisse modio, verius arbitratur.

Bullæ aureæ mos duravit à Priſco Tarquinio, inquit Plinius lib. XXXIII. cap. I. *vnde eorum qui equo meruiſſent filij inſigne id habuêre, ceteri lorum.* quod & Macrobius ſcribit lib. I. cap. VI. Equitum ergo filij bullâ aureâ ornabantur, non equites; nam ſolemni feſto Laribus bulla ſuſpendebatur, pueritiâ iam tranſactâ, teſtibus Horatio & Perſio. Horatius lib. I. Satyrâ V.

—— *Donaſſet iámne catenam*
Ex voto Laribus? ——

Perſius Satyrâ V.

Bullaq; ſuccinctis Laribus donata pependit.

Veſtis Equitum, latus clauus, ex priuilegio Caij Cæſaris anno Vrbis DCCXLII. apud Dionem lib. LIV. & lib. LIX. vbi hæc verba: *Cùm ordo Equeſtris ad paucos redigeretur, primores, qui genere & opibus excellerent, in eum adlegit, & quibuſdam eorum etiam Senatoriâ veſte vti dedit.* Atque hi Equites dicti Illuſtres, Inſignes & ſplendidi, notante Lipſio in Comment. Taciti. At Alexander Seuerus, inquit Lampridius, *conſtituit, vt equites Romani à Senatoribus claui qualitate diſcernerentur. Trabeam* Equiti non modò conceſſam, ſed propriam reperio apud Tacitum, Valerium, Halycarnaſſæum & Statium. Erat alioqui trabea Deorum, Regum, & Augurum, auctore Seruio; imò Conſulum in bellum euntium, vt benè Manutius, perſuaſus auctoritate Liuij & Auſonij. De Equitibus Tacitus lib. III. initio, de funere Germanici: *Atrata plebes, trabeati Equites pro opibus loci, veſtem, odores, aliáque funerum ſolemnia cremabant.* Non quòd funebris ille veſtitus eſſet, ſed *quia Equeſtrem ordinem diſtinguebat*, ait Lipſius eo loco. Sic Valerius lib. II. c. II. *Trabeatos equites Idibus Iulijs Q. Fabius tranſuehi inſtituit.* Halycarnaſſ. lib. VI. de eadem loquens equitum tranſuectione: *Omnes quaſi è pugnâ venientes, purpureas palmatas togas induti, quas Trabeas dicunt.* Statius lib. V. Silu. ad Criſpinum:

—— *Non ſanguine cretus*
Turmali, trabeáque Remi, nec paupere clauo
Auguſtam ſedem & Latij penetrale Senatûs
Aduena pulſaſti.

Immu-

Immunitas equiti sextuplex fuit; ab opere castrensi, ab accusatorum admonitione, ab apparitione, à iuramento, denique ab equorum custodiâ in castris, & retentione. De castrensi opere, doceor exemplo; quo eodem, non fuisse immunem aduersus necessitates, conuincor. Valerius scribit lib. II. c. IX. *Equestris quoque ordinis bona magnaq; pars, quadringenti iuuenes, censoriam notam patiente animo sustinuerunt, quos Manius Valerius & P. Sempronius, quia in Siciliâ ad munitionum opus explicandum ire iussi, facere id neglexerant, equis publicis spoliatos, in numerum ærariorum retulerunt.* Clariùs immunitatem expressit Frontinus lib. IV. cap. I. *Aurelius Cotta Consul, cùm ad opus equites cogente necessitate iussisset accedere, eorumq; pars detractasset imperium, quæstus apud Censores, effecit vt notarentur; à Patribus deinde obtinuit, ne eis præterita æra procederent.* Cautio aduersus accusatores, equiti ab Augusto data festo Transuectionis. Suetonius Augusto cap. XXXVIII. *Sed neque detrahi quemquam in transuehendo ab accusatore passus est, quod fieri solebat.* Ab apparitione immunitas, ibidem: *Senio, vel aliquâ corporis labe insignibus permisit, præmisso in ordine equo, ad respondendum (quoties citarentur) pedibus venire.* Iuramenti gratia facta à Tiberio. Suetonius Tiberio cap. XXXV. *Equiti Romano iusiurandi gratiam fecit,* (hoc est, absoluit à iureiurando) *vt vxorem in stupro generi compertam dimitteret, quam se numquam repudiaturum, anteà iurauerat.* Quamquam hæc gratia equiti illi singularis, nec ad alios tracta. Equorum in castris curâ vacuos equites reddidere Triarij. Id Polybius docet lib. VI. *Triarij turmis equitum excubias quotidie præbent; vt quisque manipulus à tergo turmæ assidet. Hi curant equos maximè*, &c. Denique equi publici reddendi potestatem fecit Augustus, Suetonio teste cap. XXXVIII. *Equi retinendi gratiam fecit eis, qui maiores annorum quinque & triginta retinere eum nollent.* Sic enim legenda ea verba esse, obtinuit validissimis argumentis Casaubonus; quæ significant aliud quàm vulgus capit. Nam *gratiam facere reddendi* (vt anteà legebatur pro

retinendi) non est idem quod copiam facere reddendi, sed contrarium: id quod illâ Gellij locutione est manifestum lib. x. c. xv. *Massurius Sabinus scripsit & alia quædam remissa, gratiamq; aliquot cærimoniarum factam.* Tituli supersunt, qui equiti singulares. *Illustres* id genus equites dictos suspicatur Lipsius Commentarijs in lib. xi. Taciti, qui *spem dignitatis Senatoriæ habebant:* nam *Tacitus Illustres* hosce *cum Senatoribus pari*, inquit, *gradu coniungit* lib. ii. Annal. & xvi. *Insignes* quoque Tacitus appellat semel & iterùm lib. xi. Annal. *Splendidos* verò Plinius lib. vi. epist. xxv. & lib. v. epist. i. *Illustres & splendidos* simul Hirtius nominat alibi de Bello ciuili: *Cecidêre eo prælio splendidi ac illustres nonnulli equites Romani.* Lib. xii. Cod. L. vnicâ, De equestri dignitate, isthæc præscribuntur: *Equites Romanos secundum gradum post clarissimatûs dignitatem obtinere iubemus.* Famulitium, ad commoditatem equiti datum, vt Tituli aliaque ad honorem. Equidem scio militari lege sancitum, vt lixæ permixti equitibus non vagarentur, Epitome Liuianâ lvii. ne scilicet equitum disciplinam corrumperent, vt scribit Festus. Decretumque eâdem Epitome, vt gregarius in acie & castris degeret sine iumento & seruo. Equiti tamen calonis vnius habendi facta copia est, teste Frontino lib. i. cap. i. *Philippus*, inquit, *cùm primùm exercitum constitueret, vehiculorum vsum omnibus interdixit. Equitibus non amplius quàm singulos calones habere permisit, peditibus autem denis singulos.* Stipendio denique lautiore equitem donatum præ pedite, ostendi Libro ii. tantùm hîc denuò repeto testimonium Liuij lib. v. *Triplex quoque equiti stipendium à Cn. Cornelio Tribuno militum fuisse decretum.* Imò quintuplex apud Macedones, auctore Curtio, qui suprà laudatus.

Hæc ergo communia equitum ornamenta. Iam singulorum benefacta præmijs singularibus fuêre cumulata, crimina pœnis punita. Inter equestria præmia reperio cornicula, armillas, torques, pecunias, catellas, fibulas, phaleras, hastas, coronas, equos, promotiones, statuas denique equestres.

De

De corniculis & armillis, Liuius lib. x. *Papyrius Consul Equites omnes ob insignem multis locis operam corniculis armillisq; argenteis donat.* Corniculum quid sit, nemo, quod sciam, explicat. Armillas Festus existimat dictas esse, *quòd Antiqui humeros cum brachijs armos vocarent.*

De torquibus & pecuniâ, Hirtius Bello Hisp. *Cæsar ob virtutem turmæ Cassianæ donauit millia* XIII. *& Præfecto torques aureos duos.* De torquibus Suet. in Aug. *C. Asprenatem lapsu equi debilitatum aureo torque donauit.* Obseruo autem, duplum aut triplum æris ex prędâ semper equiti datum præ pedite; vt plerisque locis narrat Liuius, nominatim libro XXXIII. in triumphis C. Cornelij & Quintij Minutij; iterumque in triumpho Marcelli, & lib. XXXIV. in triumpho Porcij Catonis. Pretium quoque equorum bello amissorum ex ærario publico restitutum, scribit Plutarchus in Catone Maiore. Cui equi militares quinque inter præliandum interempti, pretio fuêre repræsentati. Catellas, fibulas, phaleras, Liuius lib. XXXIX. inter equestria dona numerat, aitque, *Caiũ Calpurniũ donasse equites suos phaleris. Quinetiã alterum Prætorẽ suos catellis ac fibulis.* De phaleris huc spectãt, quæ Lib. II. à nobis sunt allata. De hastâ Polyb. l. VI. *Dabantur phaleræ Equiti qui hostem deiecerat, & spoliauerat, cui olim hasta tantùm.* Hinc nomen *hastæ donaticæ*, apud Veteres. De coronis, Zonaras Tom. II. *Si equo vicisset*, coronæ *equestre aliquid insculpebatur.* Halicarnass. lib. VI. *Equites Romani, qui equum publicum habent, per centurias & turmas diuisi, ordine equis insidentes vehuntur, omnes quasi è pugnâ venientes, ramis oleæ coronati, & purpureas palmatas togas induti, quas trabeas vocant, & gerentes præmia & dona militaria, quæcumque à Ducibus in bello acceperint.* Plinius morem confirmat lib. XV. cap. IV. *Oleæ honorem magnum Romana maiestas tribuit, Equitum turmas Idibus Iulijs ex eâ coronando.*

Equos donari solitos, indicat Maro v. Æneidos: vbi etiam pedestris cursûs præmium (haud dubiè ad equestrem respectans) equum proponit:

Primus equum phaleris insignem victor habeto.

Rur-

Rursum lib. IX. Æneidos, vbi Niso, si vicerit, Ascanius promittit equum Teucri:

Vidisti quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus? illum ipsum, clypeum, cristasq́, rubentes
Excipiam sorti, iam nunc tua præmia, Nise.

Brisеis quoque Achilli scribens, apud Nasonem *equos duodecim* ei datos ab Agamemnone numerat:

Bisseni assueti vincere semper equi.

Fabius denique Maximus apud Plutarchum *Marso cuidam* inter præmia *equum pollicetur. Promotio* præterea equiti facta ad altiorem Magistratum ob fortiter facta. Hinc *Equites promoti* suprà ex Imperij Notitiâ laudati. De Alæ autem Præfecturâ in tribunatum militarem auctâ, dicetur Libri huius capite extremo. Pancirollus Commentar. in Notitiam vtr. Imperij cap. v. *Olim ex equestri tantùm Ordine eligebantur Præfecti prætorio. Senatores enim esse non poterant. forte ne nimia eos extolleret potentia. Quare Paternum præfecturâ motum à Commodo, Capitolinus scribit. Condoluit & M. Antoninus, quòd Pertinacem præfectum facere non posset, quia Senator erat. Sed hoc vsque ad Alexandrum permansit*, &c. *Tantam verò Præfecti prætorio auctoritatem obtinuerũt, vt non modò res belli administrarent, sed cuncta Imperij negotia.* Summus supereſt equitum honor ac propè immortalis, *statuæ equestres.* Harum originem adfert Plinius lib. XXXIV. cap. v. *Equestres*, inquit, *statuæ Romanam celebrationem habent, orto sine dubio à Græcis exemplo.* Capite sequenti: *Pedestres sine dubio Romæ fuêre in auctoritate longo tempore. Equestrium autem origo perquàm vetus est, cum feminis etiam honore communicato. Cloliæ enim statua est equestris*, &c. *Hanc primam & Horatij Coclitis credo esse dedicatam*, &c. *E diverso Annius Fœcialis, equestrem Valeriæ fuisse, Publicolæ Consulis filiæ, eámque solam refugisse; Tiberimq́, transiuisse, ceteris obsidibus Tarquinij insidijs interemptis.* Quod de Græcorum Latinorumque more hîc Plinius narrat, idem Macedonibus tribuit Velleius lib. I. *Hic est*, inquit, *Metellus Macedonicus, qui hanc turmam statuarum equestrium, quæ frontem ædium spectant*, &c.

ex

ex Macedoniâ detulit, cuius turmæ hanc causam referunt: Magnum Alexandrum impetrasse à Lysippo, singulari talium opere auctore, vt eorum equitum, qui ex ipsius turmâ apud Granicum flumen ceciderant, expressâ similitudine figurarum faceret statuas. Historiam sic Iustinus expressit lib. XI. *Prima congressio in campis Adrastijs fuit*, &c. *De exercitu Alexandri nongenti pedites, centum viginti equites cecidêre; quos Rex impensè, ad ceterorum solatia humatos, statuis equestribus donauit, cognatisque eorum immunitates dedit.*

Atque hic honor tantus tam eximius semper iudicatus fuit, vt nihil amplius magnificentiusque ad æternitatem famæ humana ambitio sit commenta. Hunc Consules atque Imperatores ipsi maximum inter mortalia decora reputauêre. Documento sunt tot Equestres Consulum Imperatorumque statuæ, quarum vnam Domitiani Cæsaris qui spectare volet, ad primam Statij Siluam ambulet, vbi nobiles illos versus leget:

Quæ superimposito moles geminata Colosso
Stat Latium complexa forum, cælóne peractum
Fluxit opus? Siculis an conformata caminis
Effigies lassum Steropem Brontemq; reliquit?
An te Palladiæ talem Germanice nobis
Effinxêre manus, qualem modò frena tenentem
Rhenus & attoniti vidit domus ardua Daci?
Nunc age fama prior notum per sæcula nomen
Dardanij miretur equi.
Hunc neque discissis cepissent mœnia muris,
Nec grege permixto pueri innuptæq; puellæ,
Ipse nec Æneas, neque magnus duceret Hector.
Adde quòd ille nocens, sæuosque amplexus Achiuos;
Hunc mitis commendat Eques.

Spirant etiamnum viuo propè ære equestres duæ statuæ duorum maximorum Hispaniæ Galliæque Regum, Philippi III. & Henrici Magni, quarum alteram Statiano prorsus versu celebrauit Gaspar Geuartius, Senatui Antuerpiensi

ab Actis, cùm adoleſcens Pariſijs Statium Notis accuratiſſimis illuſtraret. Operæ pretium erit, addidiſſe, quo modo præmia erogarentur. Polybius ſpectaculo huic quaſi ſcenam ſtruxit lib. VI. *Conuocans Imperator in concionem omnes copias, & circumponens ſibi eos qui auctores egregij facinoris, primùm quidem laudes eorum ediſſerit, & ſuper hoc facto, & ſi quid aliud in omni vitâ geſſerint laude & memoriâ dignum. Poſt hæc ei quidem, qui hoſtem percuſſerit, haſtam donat*, &c. Verba verò quibus præmia diſtribuebantur, velut formulæ cuidam alligata, à Briſſonio adferuntur lib. IV. In quibus, exempli cauſsâ, ſunt illa Ciceronis Actione V. in Verrem: *Quæ porrò præfatio tuæ donationis fuit? Illa ſcilicet vetus atque Imperatoria. Quando tu quidem in prælio, in bello, in re militari*, &c. *Imperator te argenteis armillis donat*, &c. Equitum gloriam hucuſque prædicaui. Sed equi mihi iure iniuriarum dicam ſcribant, ſi honoris expertes præteriero, quòd laboris participes, certamina omnia habuêre. *Solus* certè *equus*, ait Plutarchus II. Sympoſiacorum, *animalium omnium, in partem certaminum & coronarum venit, quia ſolus naturâ & exercitatione factus eſt, vt homini in bello adſit.* Equis igitur victoribus, præmiorum quoque honos communicatus. Florus in primis lib. I. cap. X. narrat, in triumphi pompâ equis præcedendi gloriam fuiſſe datam. *Bellua* [Elephanti] *non ſine captiuitatis ſenſu, ſubmiſſis ceruicibus, victores equos ſequebantur.* Coronatos inceſſiſſe poſt victoriam, indicant Homerus & Theocritus, qui ἀθλοφόρους καὶ στεφανηφόρους vocāt. Ampliùs etiam Nero, Circenſium æſtimator maximus, ſtolas & ſtipendia victoribus iam emeritis decreuit, auctore Dione lib. LXI. ſicut debilibus annona decreta ex horreis publicis, L. I. Cod. Quorum fortè æmulatione, Carolus Calabriæ Dux equitem (qui præſtantem olim equum, iam ætatis vitio fractum per agros vagum dimiſerat) iuſſit equum ſuum ſtabulo pabuloque lautiore habere. Superauit hos honores equi Auguſtæi decus, cuius effigies locata ante Veneris ædem, auctore Plinio lib. VIII. cap. XLI. Verus Imperator quoque *Volucri ſuo ſimulacrum aureum fecerat, quod*

ſecum

ſecum portabat; in cuius equi gratiam cœperunt equis aurei & brauia poſtulari, ait Capitolinus. Denique bellatoribus equis ſuis Auguſtus & Adrianus epitaphia ſepulchraque poſuêre. Alexander Bucephalo vrbe ſtructâ parentauit. *Agrigenti* verò, ſcribit Plinius lib. VIII. cap. XLI. *complurium equorum tumuli pyramides habent.*

Poſt præmia deſultorio propè ſaltu ad pœnas eques mihi iam vocandus eſt, non vt luat, ſed audiat. *In ſinu namque ac tutelâ militaris diſciplinæ, ſerenus tranquilluſque beat æ pacis ſtatus acquieſcit*, ait Valer. lib. II. cap. VII. Ergo pœnâ eques ad diſciplinam, vt calcari ad curſum equus, incitatur; ſed aſpera hæc citò & curſim tranſiliam. Pœnam Suetonius ignominiæ oppoſuit Auguſti cap. XXXIX. *Vnumquemque equitum Auguſtus rationem vitæ reddere coëgit, atque ex improbatis alios pœnâ, alios ignominiâ notauit.* Ego pœnam diuidere malim in Ignominiam & Supplicium: nam ignominia quoque pœna eſt. Igitur ignominiæ ſunt, *traditio pugillarium, notatio, eraſio ex albo, haſtæ confractio, mutatio militiæ, relegari, ære dirui, equo publico ſpoliari, ærarium fieri, diſcinctum nudiſque pedibus ad caſtrorum principia ſtare, non poſſe intra caſtra tendere, aut è pellibus tentorium habere.* Supplicia, *virgis & ſecuri percuti.* Hæc reperio inter equeſtres pœnas, iſta verò de ſingulis.

De traditione pugillarium, Suetonius Auguſti cap. XXXIX. in recognitione equitum: *Leniſſimum genus admonitionis fuit, traditio coràm pugillarium:* quibus nempe lectis, eques ſecum tacitus erubeſceret, vitij erroriſque compertus.

De notatione, ibidem: *Notauit aliquos* (equites) *quòd pecunias leuioribus vſuris mutuati, grauiori fœnore collocaſſent.* Plerumque enim publicani & trapezitæ olim equites fuêre.

De eraſione, Suetonius Domitian. cap. VIII. *Equitem Romanum ob reductam in matrimonium vxorem* (*cui demiſſæ adulterij crimen intenderat*) *eraſit iudicum albo.* Nam & iudicia Equitum ordini conceſſa, inter prærogatiuas dictum eſt.

De haſtæ fractione, Marcellinus lib. XXV. *Cùm Tertiacos equites, quòd legiones deſeriiſſent in prælio aduerſus Perſas, Iulia-*

nus accusatos punire statuisset, &c. *ademptis signis, hastisq; confractis, omnes eos qui fugisse arguebantur, inter impedimenta & sarcinas & captiuos iter agere imposuit.*

De militiæ mutatione, Valer. Max. lib. II. c. VII. *Decreuerunt, vt ex ijs qui equo meruerant, peditum numero militarent.* Ibidem de Calpurnio Pisone: *Turmas equitum, ademptis equis, in funditorum alas transcripsit.* & Ammianus lib. XXIX. *Equites quartæ sagittariorum cohortis omnes contrusit ad infimũ militiæ gradum.*

De relegatione, idem Ammianus lib. XXV. *Iulianus Tertiacorum equestrem numerum, ademptis signis, hastisque diffractis, inter impedimenta & sarcinas & captiuos agere iter imposuit.* & Liuius lib. XXV. vbi equites scribit in Siciliam relegatos, ad reliquias Cannensis exercitûs.

De ære dirutis, equo spoliatis, & ærarijs, Liuius lib. XXVII. *Illis omnibus adempti equi, qui Cannensium Legionum equites in Siciliâ erant. Addideruut acerbitati etiam tempus, ne præterita stipendia procederent ijs qui equo publico meruerant, sed dena stipendia, equis priuatis, facerent. Magnum etiam numerum eorum conquisierant, qui equo merere deberent, & omnes ærarios fecerunt.* Hîc tres simul ignominiæ, equus, stipendia, & tribus adempta. Quibus stipendia auertebantur, dicebantur *ære diruti*, stipendia namque æra; quæ diruebantur, cùm in fiscum, non in equitum crumenas, inijciebantur. Varro in Fragmentis: *Stipendium appellatur, quod as militi semestre aut annuum dabatur; cui datum non sit, ære dirutus est.* Sidonius Paneg. ad Socer.

Ibant pellitæ per classica Romula turmæ
Ad nomen currente Getâ; timet ære vocari
Dirutus. ——————

Idem vocabatur *as resignatum*, auctore Festo, cuius verba: *Resignatum as dicitur militi, cùm ob delictum aliquod iussu Tribuni militum, ne stipendium ei detur, in tabulas refertur. Resignare enim Antiqui pro rescribere interdum dicebant. Ærarij* fieri, seu *in ærarios referri* dicebantur, teste Asconio, qui ex albo ciuium erasi, æra pro capite suo pendebant, tamquam capite censi, referebanturque in tabulam Cæritum. Sic alibi Liuius lib. XXV.

Illis

Illis equi adempti, qui publicum equum habebant, tribúque moti, ærarij omnes facti. Loquitur de Cannensi equitatu, qui Rempublicam deseruerat. Sic Valerius lib. II. cap. IX. de ijsdem: *M. Attil. Regulus & P. Furius Philus, Equites Romanos, qui post infeliciter commissam pugnam Cannensem, abituros se Italiâ iurauerant, direptis equis publicis, inter ærarios referendos curauerunt.* Iterùm ibidem de CD. Equitibus, *quos Man. Valerius & P. Sempronius (quia in Siciliâ ad munitionum opus explicandum ire iussi, facere id neglexerant) equis publicis spoliatos, in numerum ærariorum retulerunt.*

De discinctu alijsque ludibrijs, Frontinus lib. I. cap. I. *Domitius Corbulo in Armeniâ, Æmilio Rufo Præfecto equitum (quia hostibus cesserat, & parum instructam armis alam habebat) vestimenta per lictorem scidit; eidemq; fœdato habitu (vt erat) perstare in principijs, donec mitterentur, imperauit.* Valerius lib. II. cap. VII. *Calpurnius Piso Consul C. Titum, Equitum Præfectum (quòd arma cum suis tradidisset) his ignominiæ generibus affecit: Jussit eum togâ lacinijs abscisis amictum, discinctaq; tunicâ indutum, nudis pedibus à manè in noctem vsque, ad principia in omne tempus militiæ adesse. Interdixit ei etiam conuictu hominum, vsuq; balnearum.* Ibidem: *Senatores cùm magnum captiuorum ciuium suorum numerum à Pyrrho Rege vltrò missum recepissent, decreuerunt, vt ex ijs qui equo meruerant, &c. nemo intra castra tenderet, nemo locum extrà assignatum, vallo aut fossâ cingeret, nemo tentorium ex pellibus haberet.* Obseruo ignominiam redimi potuisse, & vitium virtute deleri. Frontinus lib. I. cap. I. *Domitius Corbulo duas alas extra vallum iussit tendere, donec assiduo labore & prosperis excursionibus redimerent ignominiam.* Ibidem: *Appius Claudius, donec bina spolia referrent.* Supplicio maiore consultum in facinora grauiora, *virgis* nempe, & *securi.* Quid? an virgis Equites & ingenui cæsi? Etiam Magistri equitum, & Imperatorum filij, si mererentur. En equestris militiæ seueriſſima duo exempla, ob imperia violata. *Papirius Dictator spoliari Magistrum equitum* (Q. Fab. Max. Rutilianum) *ac virgas & secures expediri iussit:* inquit Liuius li-

bro VIII. luiſſetque, niſi populi precibus eum Papirius donaſſet. Eodem libro: *Manlius, Conſulis filius, occiſo Metio prouocatore, neſcius futuri fatique, Vt omnes, inquit pater, me ſanguine tuo verè ortum ferrent, prouocatus equeſtria hæc ſpolia capta ex hoſte cæſo porto. At pater Manlium palo alligatum ſecuri ſubijci iubet.* Quid hîc exclamem in tantâ militiæ aſperitate? niſi illud Valerij lib. II. cap. VII. *O ſpectaculum admirabile! Et Rullianus & Magiſter equitum & victor, ſciſſâ veſte, ſpoliatoq; corpore, lictorum verberibus lacerandus; victoriarum (quos modò adeptus erat) ſpecioſiſſimos titulos, cruore renouato reſperget?* Sed aſpero & abciſo caſtigationis genere militaris diſciplina indiget, quia vires armis conſtant. Alia prætereà pœnarum genera credo equiti irrogata, eademque fortè omnia quæ pediti peccanti: at quia hæc, quæ attuli, equitum expreſſam faciunt mentionem, ea ſola malui recenſere; reliqua, ſi quæ fuerint, additurus, quando doctorum amicorumque ſuggeſtione adferentur.

CAPVT II.

Summi equeſtris militiæ Magiſtratus qui, & quàm multi.

Hipparchi Athenienſium qui. Apud Romanos quanta dignitas Magiſterij equitum. Quàm diuturnum id Magiſterium. Variæ eius appellationes apud diuerſos. Tribuni Celerum ijdem, qui deinde Magiſtri equitum. Quale id munus. Non par, ſed minus Dictaturâ. Dictator vnus creatus ſine Magiſtro equitum: at nullus Magiſter equitum ſine Dictatore. Quis primus Romæ equitum Magiſter. Quàm noxia eius cum ſummo belli Duce diſſenſio. Exempla. Amare debet equitem & iuuare. Summi Magiſtratus equeſtres Imperio diuiſo. An Seuir equitum idem qui Magiſter. Prærogatiuæ Magiſterij æuo noſtro. Optio Magiſtri equitum, eiuſque munus.

A GRAECIS, qui Romanorum ætatem antecedunt, ordiendum duxi. Apud hos, ſicut præſunt peditatui Prætores & Taxiarchi, ita inter equites excellunt auctoritate Hipparchi & Phylarchi. Inſinuat Hipparchi Magiſtratum diſtinctè Demoſthenes pro Cteſiphonte. *Placuit populo*, inquit,

quit, *vt Prætor & Hipparchus, pedestres & equestres copias educerent.* Hipparchos duos fuisse, Sigonius notauit lib. IV. Reipubl. Athenienſis cap. v. & quidem Hipparchi, inquit, equitatui vniuerſo ita præfuêre, vt quemadmodum Taxiarchi prætoribus, ſic Phylarchi Hipparchis dicto audientes eſſent. Quantus verò, quàm illuſtris ſit Hipparchi Magiſtratus, non aliunde cognoſcas certiùs, quàm æſtimatione earum conditionum, quas Scriptores pro eius dignitate deſiderarunt. Xenophon in primis Hipparchi virtutes deſcripturus, *Omnem quidem Principem*, inquit, *maximè decet prudentia, Athenienſis autem Magiſter equitum ceteris debet antecellere, tum cultu Deorum, tum ſcientiâ rei militaris*, &c. *Atque vt ſummatim dicam, minimè contemnetur Præfectus, ſi quæ alios facere velit, ipſe eadem meliùs, quàm illi, facere videatur*, &c. *Quòd ſi etiam intellexerint, eum & ſcire & poſſe hoſtem vincere; ad hæc ſi animo conceperint, eum neque temerè neque contra Deûm voluntatem, neque repugnantibus auſpicijs, in hoſtem proficiſci, & bellum mouere; hæc omnia milites Duci obſequentiores reddunt.* Quibus verbis commendantur præcipuè pietas in Deum, & peritia militaris. Xenophonti lubenter ſubijciam exemplum Ducis Chriſtiani, Leonis nimirum Imperatoris, Tactic. cap. XIV. §. 1. *Hoc*, inquit, *ante omnia præcipiendum eſt, vt purus ac ſanctus exercitus tuus ſit; & pridie (pugnæ) veſperi preces efficaces ac diuturnæ adhibeantur, omneſq; Deo conſecrentur. Verbis factiſq; perſuadeantur, ſe Deum adiutorem habere, atque hoc modo puros, ſinceros, alacreſq; ad bellum procedere.* Atque iſtud plus longè habere momenti ad victoriam credendum eſt, quod Catalaco, Michaëlis Imperatoris Præfecto, attulit felicitatem, narrante Ioanne Curopalate. Is namque Meſſanæ obſeſſus (cùm exercitus vniuerſus, exemplo iuſſuque Ducis, ſacram ſumpſiſſet Euchariſtiam) equo erumpens, Saracenorum Principem in ipſo ſuo tabernaculo interfecit, hoſtemque deleuit. Cur ni Magiſter equitum Chriſtianorum id faciat ipſe, iubeatque facere ſuos, quo die confligere decreuit? Addo aureum monitum Leonis Imper. Tactic. conſtitut. II. §. XXXIX. & XL. *Ante omnia,*

omnia, ô Imperator, tibi hanc cohortationem & præceptum trado, vt pietatem & iustitiam colas, & assiduè ante oculos Deum habeas, illum reuerearis, omniq; corde & mente tuâ illum diligas, & secundùm illum nostra & illius mandata facias, & illius beneuolentiam inde acquiras: vt (audacter sanè videbor loqui) ingraue-scentibus temporibus quasi amico, Deo omnium Dominatore fretus, cum fiduciâ illum depreceris, &c. *Fidelissimus est enim qui dixit: Voluntatem timentium eum faciet, preces eorum audiet, & seruabit eos. Certò enim scias, absque diuinâ beneuolentiâ (quamquam magnâ prudentiâ esse videaris) te, quod cupis, minimè præstiturum; neque hostes, quamuis imbelles, superaturum; quia omnia diuinâ prouidentiâ continentur, & quæ minutissima sunt, illius tamen prouidentiâ administrantur.* Iam de fortitudine peritiaque, Bernard. Escalante Dialogo IV. Rerum militarium. *Ab ipso*, inquit, *Rege creatur Magister equitum, soletq; is Magistratus, vtpote auctoritatis atque excellentiæ tantæ, non deferri nisi summæ Nobilitatis viris, iisq; bello admodum exercitatis, ob crebros casus periculáque, quibus obijciendus est equitatus. Planè, vt virtutibus ferè pares esse debeant equitum Magister, & summus belli Imperator.* Ludouicus Melzus lib. I. cap. IX. *Magister equitum vnus de summis militiæ Præfectis, necesse est sit magno vsu animoq; miles, quippe cui præcipuum exercitûs robur traditum sit, cuiusq; in fide ac scientiâ spes omnis ferè posita sit prosperitatis. Expeditiones namque præcipuæ, quæ ab equitatu administrari solent, ei committuntur*, &c. Ergo Magistrum equitum, Græci *Hipparchum*, *Protarcham* Thebani, *Xenagum* Mercenarij, ait Pollux lib. I. cap. X. Romani *Tribunum Celerum*, deinde *Magistrum equitum*, Galli *Marescallum* ab exoleto vocabulo *Mark* (quod equum) & *scal* (quod administrum significat;) *Bellerbechum* Turci vocant. *Tribunos Celerum*, (posteà *equitum*) *primus Romulus creasse fertur*, ait ex Halicarnass. Liuio & Plutarcho Festella, *cum tres equitum centurias, quarum operâ in omni Reipublicæ discrimine vteretur, adscripsit. Quos autem tertios his præfecit viros, quos ex tribus elegit tribubus, Tribunos nominauit. Magister equitum*, inquit Varro lib. IV. de Linguâ Latinâ, dicebatur,

cebatur, *quòd summa potestas huius in Equites & Accensos, vt est summa populi Romani Dictator, à quo is quoque Magister populi appellatus.* Ambigi posset, tantáne Magistri equitum auctoritas sit, vt nec ipse summo exercitûs Duci pareat. Veterum, quod sciam equidem, nemo dubitauit: Cânterus tamen contra Veteres definiuit. De Græcis, Sigonius lib. IV. Reip. Athenienſ. cap. v. Quamquam autem Hipparchi vniuersum in equites imperium habuerunt, remque equestrem totam iudicio suo atque arbitrio gubernarunt; tamen & ipsi Prætorum mandatis atque auctoritati paruerunt. Demosthenes sic testatur aduersus Hipparchum Mediam: *Cùm Prator Phocyon equites ad successionem vocasset, Medias ad nauim contendit,* &c. Polybius lib. III. loquens de Minutio Rufo equitum Romanorum Magistro, *Qui Magistratus,* inquit, *imperio Dictatoris subiectus est, tenuitq; in exercitu eius locum, si quando abesse illum necessitas cogit.* De eodem Pompon. L. II. ff. De origine Iuris: *Dictatoribus Magistri equitum iungebantur sic, quomodo Regibus Tribuni Celerum; quod officium ferè tale erat, quale hodie Præfectorum Prætorio.* E quibus patet, Magisterium equitum minorem dignitatem fuisse Dictaturâ, adeoque ei subfuisse; quamuis Canterus lib. II. Nouellarum lect. cap. IV. parem faciat *Dictatori equitum Magistrum, ex lege quam Tullius adfert: Equitatum qui regat, habeto pari iure cum eo quicumque erit Iuris disceptator.* At meminisse debebat Canterus, scribi in codicibus omnibus, *æquitatem,* non *equitatum.* Certè Dictatori perpetuò subiacuisse, vel eo constare videtur, quòd Dictator ipse, quamprimùm erat dictus, Magistrum sibi equitum adlegeret, vt Halicarnass. scribit lib. V. *T. Largius, mox vt Magistratum* (Dictaturam) *iniit, equitum Magistrum creauit Sp. Cassium.* Prætereà, quòd vnus solummodò M. Minutius pari fuerit cum Dictatore potestate: quam cùm sibi noxiam expertus esset, pœnituit scilicet arrogatæ, & parêre deinceps maluit, quàm par esse. Ita Liuius lib. XXII. *Minutius conuocatis militibus, Sæpè ego, inquit, audiui, milites, eum primum esse virum, qui ipse consulat quid in rem sit: secundum eum,*

qui benè monenti obediat: qui nec ipſe conſulere, nec alteri parêre ſcit, eum extremi ingenij eſſe. Nobis quoniam prima animi ingenij́q́ negata ſors eſt, ſecundam ac mediam teneamus; & dum imperare diſcimus, parêre prudenti, in animum inducamus. Caſtra cum Fabio iungamus. Ad prætorium eius ſigna cùm tulerimus, vbi ego eum parentem appellauero (quod beneficio eius erga nos ac maieſtate eius dignum eſt) vos milites, eos, quorum vos modò arma dextraq́ texerunt, patronos ſalutabitis; & ſi nihil aliud, gratorum certè nobis animorum gloriam dies hæc dederit. Signo dato, conclamatur, &c. Vt conſtituta ſunt ante tribunal ſigna, progreſſus ante alios Magiſter equitum, cùm patrem Fabium appellaſſet, &c. Parentibus meis, inquit, quibus Te modò, Dictator, (quo fando poſſum) æquaui, vitam tantùm debeo; Tibi cùm meam ſalutem, tum omnium hôrum. Itaque Plebiſcitum, quo oneratus magis quàm honoratus ſum, primus antiquo abrogóque. &, quod Tibi mihíque, quod meo exercitui, tuóque conſeruato ac conſeruatori ſit felix, ſub imperium auſpiciúmque tuum redeo, & ſigna hæc legionéſque reſtituo.

Quid? quòd pœnis capitalibus ſubiecti fuiſſe equitum Magiſtri legantur, ſi contra Dictatoris imperium rem belli adminiſtraſſent. Valerius (breuiùs Liuio) lib. II. cap. VII. *Papyrius Dictator, cùm aduerſus imperium eius Qu. Fabius Rullianus, Magiſter equitum, exercitum in aciem eduxiſſet, quamquam, fuſis Samnitibus, in caſtra redierat, tamen neque virtute eius, neque ſucceſſu, neque Nobilitate motus, virgas expediri, eúmque nudari iuſſit. O ſpectaculum admirabile! Et Rullianus, & Magiſter equitum, & victor, ſciſſâ veſte, ſpoliatóque corpore, lictorum verberibus lacerandus: vt in acie exceptorum vulnerum nodoſis ictibus cruore renouato, victoriarum (quos modò erat adeptus) titulos reſpergeret. Precibus deinde ſuis exercitus occaſionem Fabio confugiendi in vrbem dedit, vbi fruſtrà Senatûs auxilium implorauit. Nihilominùs enim Papyrius in exigendâ pœnâ perſeuerauit. Itaque coactus eſt pater eius, poſt Dictaturam, tertiúmque Conſulatum, rem ad populum deuocare, auxiliúmque Tribunorum plebis ſupplex pro filio petere. Neque hac re ſeueritas Papyrij refrenari potuit.*

potuit. Cæterùm, cùm ab vniuersis ciuibus & ipsis Tribunis plebis rogaretur, testatus est non pœnam illam se Fabio, sed Pop. Romano, & Tribunitia concedere potestati. An satis memor videtur fuisse Dictator Papyrius, maiorem se esse Fabio equitum Magistro? Expostularet ergo cum Cantero Papyrius, ijsdem quibus cum Fabio verbis disceptauerat, pro maiestate Dictaturæ: *Quæro ex te, cùm summum imperium Dictatoris sit, pareántque ei Consules, Regia potestas, Prætores ijsdem auspicijs quibus Consules creati, æquum censeas necne, Magistrum equitum dicto audientem esse?* At quis præerat equiti, inquies, in exercitu Consulari, aut Proconsulari, quando nullus dictus erat Dictator? An Consul, vel Proconsul? an Magister equitum? Cata profectò interrogatio: quasi creatus aliquando fuerit Magister equitum, quando nullus dictus erat Dictator. Non erat, vti nunc, necessarium olim perpetuumque belli munus, Magisterium equestre: dabatur rarò, quoties nempe Dictatura, hoc est, vltimis in casibus, summaque Reipublicæ necessitate. Deponebatur item, quando expirabat Dictatura: nam eius adiuuandæ caussâ Magisterium fuit institutum. Semel quidem, teste Liuio lib. III. Decad. III. Dictator factus M. Fabius Buteo, nullo creato equitum Magistro; sed nullus vmquam equitum Magister sine Dictatore. Imò diurnum fuisse subinde imperium Magistri equitum, insinuare videtur Arrianus; aut fortè alternis diebus apud Macedonas imperasse Magistros plures equitum, vt Consules solebant in bello apud Romanos. Verba Arriani sunt lib. I. de Rebus Alexandri: *Alexander vt in equum insiliit, iussit eos, qui vnà secum erant, sequi, &c. atque ante pedites in flumen descendere turmam Socratis, quam Ptolomæus Philippi ducebat, cui eo die totius equitatûs præfectura contigerat.* Quis igitur equitatum regebat in exercitu Consulari? Ipse inprimis Consul tamquam summus Imperator: deinde alæ Præfectus, & sub ipso ceteri equitum Præfecti. Vt in viam redeam, primus apud Romanos Magister equitum factus Sp. Cassius, Dictatore primo T. Largio. Eius munus (quod ostensum) Dictaturâ minus. Minus iam

est Prætore, seu Legato, quem pro se summus belli Imperator mittit. Adeoque par laus Magistro equitum, si ritè pareat, quàm si equitem sapienter regat. Vna maximaque exercitûs pestis, si secum dissentiant Dux summus & Magister equitum. Eâ re inquit lib. XXII. Liuius: *Biennio antè* (quàm Dictator cum Magistro equitum consentiret) *Pœni adeò Romanos Duces & milites spreuerunt, vt vix cum eadem gente bellum esse crederent.* (tantò nempe concordia eos reddiderat fortiores.) *Hannibalem quoque ex acie redeuntem dixisse ferunt, tandem eam nubem, quæ sederat in iugis montium, sollicitatam procellâ, imbrem dedisse.* Senserat nimirum, quid Fabij Cunctatoris irritata virtus posset, cùm *Fabius, audito primo clamore pauentium, dein conspectâ procul acie* (Minutij equitum Magistri) *exclamauit: Ita est; non celeriùs, quàm timui, deprehendit fortuna temeritatem. Fabio æquatus imperio, Hannibalem & virtute & fortunâ superiorem videt. Sed aliud iurgandi succensendiq; tempus est. Nunc signa extra vallum proferte, victoriam hosti extorqueamus, confessionem erroris ciuibus.* Vtinam altè infixa animis teneant Fabiana hæc verba Præfecti omnes, *Aliud iurgandi succensendiq; esse tempus, aliud pugnandi!* Sed ferè hac peste laborauit fortuna Romanorum, vt maxima inde acceperit damna, vnde præcipuas sperabat vtilitates. Reges habuit; tyrannide occupatâ pulsi sunt: Consules in bello alternis imperare diebus iussit; destruxit alter, quæcumque erexerat prior Collega: semestres Dictatores dixit; Regnum perpetuum reduxerunt: denique Magistros equitum fecit; ij feliciſſimis bellorum successibus ὑπερηφάνειαν inflati, sæpissimè obstiterunt. Testem Liuium laudare possum lib. XXII. *Fabius non Hannibalem magis infestum tam sanis consilijs habebat, quàm Magistrum equitum* (M. Minutium) *qui ferox rapidusq; in consilijs, ac linguâ immodicus, primò inter paucos, dein propalàm in vulgus, pro cunctatore segnem, pro cauto timidum* (*affingens vicina virtutibus vitia*) *compellabat.* Fortè, quia Fabius quoque olim Magister equitum, præbuerat se talem Dictatori suo Papyrio Cursori, vt à Liuio narratur lib. VIII. *Par nobile rebus in eo Magistratu gestis,*

gestis, discordiâ tamen, quâ propè ad vltimum dimicationis ventum est, nobilius, &c. *Fabius post profectionem Dictatoris* (ex castris) *seu ferox adolescens, indignitate accensus, quòd omnia in Dictatore viderentur reposita esse; seu occasione benè gerendæ rei inductus, exercitu instructo paratoq; profectus ad Imbrinium, acie cum Samnitibus conflixit. Ita certè Dictator id factum accepit, vt lætis alijs victoriâ partâ, præ se ferret iram tristitiámque. Missò itaque repentè Senatu, se ex curiâ repentè proripuit: tum verò non Samnitium magis legiones, quàm Dictatoriam maiestatem & disciplinam militarem à Magistro equitum victam & euersam dictitans, si illi impunè spretum imperium fuisset*, &c. *Haud multò pòst Dictator* (in castra) *aduenit, clasicoq; extemplò concionem aduocauit. Tum silentio facto, Præco Q. Fabium Magistrum equitum citauit*, &c. Item lib. IX. *Nihil consulto Dictatore Magister equitum, Q. Æmilius Cæretanus magno tumultu cum omnibus turmis equitum euectus, summouit hostem*, &c. *Sed mox Samnites, in Æmilium, temerè inuectum per hostium turmas, tela coniecerunt, fratrique* (Imperatoris ab eo occisi) *dederunt. Is victorem detractum ex equo Magistrum equitum, plenus mœroris atque iræ, trucidauit.* Hic ferè fructus discordiarum est inter summos Duces, sua suorumque clades atque exitium. O audiant Duces saluberrimum illud consilium Cottæ Sabinoque dissentientibus datum, lib. v. Bell. Gall. *Ne suâ dissensione & pertinaciâ rem in summum periculum deducant: facilem esse rem seu maneant seu proficiscantur, si modò vnum omnes sentiant ac probent.* Modestia igitur, consensio, obsequentiaque prima virtus est, quam in equitum Magistro Maiores desiderauêre; proxima, Amor in equites suos; de quo Xenophon ita Hipparchum admonet: *Hisce rebus eorum quibus præes beneuolentiam conciliabis, si prospicere & consulere videaris, vt frumento abundent*, &c. *vt pabuli, vt tabernaculi, vt aquæ curam gerere videaris.* Melzus addit laudem & mercedem lib. I. cap. IX. *Magnifaciat*, inquit, *non solùm Præfectum ceteroq; equestris rei administros, sed gregarios etiam, eosq; præcipuè, quorum accurata est diligentia, quam subinde publicis laudibus commendabit, vbi præ-*

clara aliqua eorum extiterint facinora. Curabit verò, vt pro merito ad altiores militiæ gradus promoueantur, omni sepositâ affectûs propensione. Cetera quæ munus hoc tangunt, Varro ferè verbis suprà allatis complexus est. Quæ verò hodie singularia ei sunt, sic Melzus expressit. Magister equitum singulares suos habet administros, adeoque creat ipse metatorem, Iudicem suum castrensem, & Præfectum latrunculatorum. Turmam habet Lancearіorum, quæ ferè ei solet excubare. Classico cani, imperare potest non modò in castris equitum, sed peditum quoque, præsente etiam Legato ipso summi Imperatoris; ipsum tamen Imperatorem tacitus præteruehi debet. Ita denique rem equestrem administrat, vt eo inconsulto, nec ipse belli Imperator soleat eius partem aliquam delibare. Porrò, quòd arduum laboriosumque id munus sit, cùm *iudicaret Athenienses ciuitas*, ait in Hipparcho Xenophon, *vnum Magistrum equitum exequi non posse vniuersa, delectos ei Tribunos adiutores addendos putauit; mandauitq; Senatus, vt vnà cum illis equitatûs curam susciperet.* Sic tandem & inter Romanos factum, viribus Imperioque crescentibus. Siquidem Notitia vtriusque Imperij, in Orientali numerat quinque Magistros militum, qui promiscuè præerant equiti & pediti: in Occidentali duos, quorum alter solum equitatum, alter solum peditatum administrabant. Verba Notitiæ sunt, de duobus Magistris præsentalibus Orientis; de primo: *Sub dispositione Viri illustris Magistri militum Præsentalis, vexillationes Palatinæ* V. *vexillationes Comitatenses* VII. *legiones Palatinæ* XV. *auxilia Palatina* XVIII. de secundo: *Sub dispositione Viri illustris Magistri militum Præsentalis, vexillationes Palatinæ* VI. *vexillationes Comitatenses* VI. *legiones Palatinæ* VI. *auxilia Palatina* XVII. de alijs tribus per Orientem sparsis, eodem propè modo: vt appareat equitem peditemque indiscriminatim quinque hisce Magistris subfuisse. At de duobus Occidentalis imperij Magistris aliter Notitia, in hunc sensum: *Sub dispositione Viri illustris Magistri peditum Præsentalis, Comites militum infrascriptorum*, &c. *Duces limitum infrascriptorum decem,*

cem, &c. *legiones Palatinæ* XII. *auxilia Palatina* LXV. *legiones Comitatenſes* XXXII. *Pſeudo-comitatenſes* XIIX. *Sub diſpoſitione Viri illuſtris Comitis & Magiſtri equitum Præſentalis, vexillationes Palatinæ* IX. *vexillationes Comitatenſes* XXXII. Quibus poſtremis verbis, ſecundus Magiſter diſertè vocatur Magiſter equitum: neque alius illi miles additur quàm vexillationes quæ ſunt ſolorum equitum, Vegetio teſte. At quæ res bono publico vtilis videbatur, perdundo ærario inſtituta fuit: nam, vt Zozimus ſcribit lib. IV. *Theodoſius Imperator fecit quinque Magiſtros equitum, ſinguliſq; tanta ſtipendia dedit, quanta vni dari ſolebant. Hinc exhauſtum ærarium.* Porrò ſi Magiſtri vocantur Præſentales (Præfiſcini dixerim, ne Romanarum aurium iudicia vocis barbariem execrentur) Præſentales, inquam, ævo illo ſermonis plumbei, quo vix aureæ loquelæ vena vlla nitebat; quia nempe Imperatoribus prę ſentes aderant, vt Pancirollus obſeruat lib. I. cap. XXXI. ſicque à Leone Auguſto vocari Magiſtros & milites *in præſenti*, L. vlt. C. De diuerſ. off. lib. XII. & *Præſentes*, ab Arcadio & Honorio, L. Nemo. C. De re milit. & fortè eoſdem *Præſentes* intelligi illis Taciti verbis lib. II. *Lupercus Legionarios è præſentibus. Vbios è proximis, Treuirorum equites haud longè agentes raptim tranſmiſit.* Alij enim tres Magiſtri militum Orientis aberant, vnus per Orientem, alter per Thracias, tertius per Illyricum, vt eos Notitia diſiungit. Aberant & alij in Occidente, peditum nempe Magiſtri per Prouincias ſeptem ſparſi, equitum per has quinque, Italiam, Gallias, Africam, Britannias, & Tingitanam; qui omnes Præſentalibus duobus parebant, ab ijſque maximam copiarum ſuarum partem accipiebant. An hi Magiſtri, ijdem quos Capitolinus in M. Anton. Philoſopho Seuiros vocat? *Pius*, inquit, *Marcum Seuirum turmis Romanorum equitum, iam Conſulem deſignatum, creauit.* Oportet fuiſſe ſplendidum omnino Magiſtratum, qui Conſuli daretur, & equitatui Romano imperabat. Illud prætereà ex Notitia obſeruo, Magiſtro equitum per Gallias, pedites quoque ſubfuiſſe, vocatum tamen *equitum Magiſtrum*, fortè ab hoc robore mili-

militum potiore, vt benè Pancirollus. Hi equeſtres Magiſtratus, Imperio iam diuiſo. Sic potentiſſimus Hiſpaniæ Rex (cuius ſe latiùs diffudit potentia quàm vmquam Romanæ vires) propter Regnorum copiam, plures habet Magiſtros equitum, in Hiſpaniâ vnum, in Italiâ alterum, tertium in Belgio. Et his ſingulis ſuus vicarius datur, quem vocant Optionem generalem equitatûs; cuius officium Melzus deſcribit lib. I. cap. VIII. Primò, Neceſſe eſt virum eſſe longo rerum vſu, ſingulari fortitudine, ſummaque ſollicitudine ac diligentiâ, quippe qui ferè equitatum comitari, cum eoque ijſdem remanere ſoleat caſtris; quare & locorum itinerumque peritum eſſe decet. Secundò, Perpetua ferè eius cogitatio ſit, vnde, quibus vijs, quanto numero, quanto temporis interuallo adeſſe propinquus hoſtis poſſit: &, ſi quidem loco aliquo idoneo ſe teneret, quâ ratione prouiſurus eſſet. Tertiò, Pari ſtudio circumſpiciendus illi eſt idoneus caſtrametationi locus, excubiæ locandæ, explorandæ viæ; obijciendæ hoſti ſtationes, circummittendi circitores, curandumque quidquid tuendis caſtris facit, tum maximè, cùm nullus equiti aderit præſidiarius pedes. Quartò, Bonum factum, ſi copiam habeat ſpeculatorum, qui non hoſtium modò caſtra, ſed & finitimas eorum vrbes explorent, ne quid eum fugiat conſilij hoſtilis. Quintò, Eius peculiaris cautio eſt, prouidere, ne turmarum Præfecti equitem quæſtui habeant, vt turmæ ritè inſtructæ ſint, vt adminiſtri omnes in officio maneant, *floreatq; militaris rationis diligens obſeruatio, vinculum tenaciſſimum caſtrenſis diſciplinæ*, vt Valerius appellat. Sextò, Non ſeuerior eſſe debet in caſtigandis equitum delictis, quàm in audiendis ſolandiſque eorum neceſſitatibus benignior. Præcipuè verò exemplo abſtinentiæ ſuæ, vetanda ei militaris vis, quæ perinde exoſum militem, atque exhauſtam reddit patriam. Septimò, Decet eum pedeſtris quoque militiæ expertum eſſe, cùm ſæpiſſimè peditum copiæ equeſtribus turmis præſidio adiungantur. Quare è legionum Tribunis Optionem hunc creari, non inconſultum viſum eſt. Octauò,

uò, Turmæ Præfecto, iuſtam ob noxam, vſu exercitioque Præfecturæ interdicere poteſt; non tamen denuò condonare, niſi permiſſu Magiſtri equitum. Nonò, Adminiſtranda datur ei turma Lancearіorum, quacum diuertit, equitumque caſtra ſonantibus tranſuehitur tubis; ſilentibus verò, vbi adeſt equitum Magiſter. Decimò, Cùm equitum Magiſter toti præeſt exercitui, Optio primâ incedit equitum acie, qui Magiſtri ipſius eſt locus, ducente alio Imperatore. Sed de loco inceſſúve Magiſtri equitum, accuratiùs aliquantò quàm Melzus, ſcripſit iſta Polybius libro x. de Scipione: *Haud præcedebat ante omnes (id quod nunc Duces faciunt, primum locum Ducis putantes in progreſſu:) id enim eſt tale quod Duci experientiam & cautionem adimat. Videtur quidem, dum præit, ab omnibus ſubditis, ſed ipſe neminem eorum videt. Haud enim militaris poteſtatis, ſed Imperatoriæ experientiæ pariter & potentiæ ſpecimen præferre Magiſtrum equitum, ſicut inter armatos nunc cum primis, nunc cum extremis, aliquando cum mediis incedat. Id quod Scipio faciebat, iuxtà equitans, cunctoſq; conſiderans*, &c.

CAPVT III.

Medij equitum Magiſtratus.

Quod munus Commiſſarij Generalis, ſeu ſummi Curatoris mandatorum. A quo inſtitutum. Quis primus obierit. Qui & quot Philarchi. Quis equitum Tribunus. Alæ Præfectus quot ſub ſe equites, quomodo lectus. Laticlauij bini alis ſingulis ab Auguſto præfecti. An aliquis Centuriæ equeſtri Præfectus, præter Magiſtrum equitum. Decurio ſeu Præfectus turmæ. Quomodo lecti Præfecti turmarum. Boni Præfecti munus & notæ.

IGNOTVM antiquæ militiæ nomen, ſummus mandatorum Curator. Sic voco, quem appellant *Commiſſarium Generalem*. Nouum munus, nuper excogitatum ab Illmo Ferranto Gonzagâ, cùm is Mediolani exercitum ſummo cum imperio adminiſtraret pro Cæſare Carolo V. deinde in Belgas traductum ab Albano Duce, Regiarum copiarum Prætore.

Tertia post equitum Magistrum Præfectura, vt Alexander Farnesius Parmę Dux, Belgicarum copiarum Imperator, definiuit. Primus eum Magistratum in Mediolanensibus copijs gessit Ioannes Baptista Croccianus; in Belgicis Octauianus Croccianus. Ita Georgius Basta lib. 1. Equitatûs leuioris cap. 11. Munus eius est, curare vt effecta dentur omnia maiorum Ducum mandata (vnde reor Commissario generali inditum nomen) vtque æquus sit omnibus excubandi commeandique labor; nosse rerum venalium pretia; ne castrensium controuersiarum Iudex aut summus Latrunculator dissimulando peccent. Sub noctem quotidie ab Imperatore tesseram accipit & mandata, quæ perfert deinde Magistro equitum eiusque Optioni, & Metatori summo. Solet ei dari administranda turma Arcabusariorum, non iure aliquo muneris, sed si mereatur. Athenienſis Respublica proximè Hipparchos, adhibebat Phylarchos decem, qui Hipparchis duobus parebant; ipsorum autem singuli singulis præerant tribubus, ait Sigonius lib. 1v. cap. v. Apud Romanos alæ Præfectus idem est, qui Præfectus equitum Sociorum: alæ enim Sociorum erant; vnde Socij alarij, contra Legionarios dicti. Tacitus lib. 1v. Historię, Claudium Sagittam vocat *Præfectum alæ Petrinæ.* Suberant ei equites CD. tot enim superfuisse in alam, suprà ostensum, deductis ducentis extraordinarijs, quos sibi ferè custodes adhibebat belli Imperator, donec pòst mutatum; alæque factæ milliariæ, Hygino confirmante. Augustus, seu vt securior esset equestrium auxiliorum, seu vt plura haberet danda Romanis Optimatibus munera, *Militiam auspicantibus, non Tribunatum modò legionum, sed & Præfecturas alarum dedit; ac, ne quis expers castrorum esset, binos plerumque Laticlauios præposuit singulis alis*, ait Sueton. cap. XXXVIII. Cuius testimonio patet inprimis, non solis Socijs cõmissam auxiliorum equestrium fidem, sed adiunctis Romanis. Deinde, digniorem fuisse alæ Præfecturam Tribunatu legionum: Tribuni enim, teste Polybio, sex erant in quaque legione, nec ipsi legioni Præfecti, sed Consul, qui vnam duásve simul legiones

giones administrabat. Planè vt, si legio constaret tribus aut sex peditum millibus, Tribuni singuli præessent aut quingentis aut mille militibus. At Præfectus cuiusque alæ vnicus erat. Alam tamen Tribunatui postponit Suetonius Claudij cap. XXV. *Equestres militias ita ordinauit, vt post cohortem, alam; post alam, Tribunatum daret.* Porrò, an alæ Præfectum Capitolinus *Tribunum equitum* vocet in Albino, Lectori arbitrandum relinquo; mihi quidem ita videtur hæc verba expendenti: *Clodius Albinus equitum Tribunus, equites Dalmatas egit.* Nisi fortè vnicam fuisse Dalmatarum turmam credamus, cui Clodius fuerit præfectus: nam & *Tribunum turmæ* Marcellinus lib. XXI. facit quemdam Nigrinum. & lib. XXV. iterùm repetit nomen *Tribuni turmæ*, planè vt certi nihil de alæ Tribunatu statui possit. Præfectos Turmarum aliter legi solitos, Polybius scribit lib. VI. *Romani*, inquit, *similiter diuiserunt equites in decem turmas, atque ex singulis tres elegerunt Duces.* Nimirum, quia tres decuriæ in quaque turmâ, tres item lecti Decuriones. Et primæ decuriæ Præfectus, erat quoque vniuersæ turmæ; adeoque absolutè dictus Decurio turmæ. ita Vegetius lib. II. cap. XIV. *Habet vna turma equites* XXXII. *Huic qui præest, Decurio nominatur. Vt enim centum pedites ab vno Centurione gubernantur, similiter* XXXII. *equites ab vno Decurione sub vno vexillo reguntur.* Quis, inquies, præerat Centurijs equestribus? An Centurio aliquis eques, sicut Decurio præerat decuriæ equestri? Non lego vspiam Centurionem equestrem, etsi legam equestres centurias. *Romulus trecentos equites Legionarios diuisit centurijs tribus. Deinde Seruius, equitum ex primoribus ciuitatis scripsit centurias* XII. ait Liuius lib. I. De Centurione equestri nulla mentio. Qui ergo cẽturijs præerant? Tribuni Celerum, quorũ loco successêre equitum Magistri. Sub his proximè Præfecti turmarũ, qui nunc equitum vocantur Capitanei. Horum munus, vt nunc administratur, sic à Melzo describitur. I. Effectum det turmæ Præfectus, quidquid ei ab Imperatore aliisve Præsidibus mandatum fuerit; locisque ac temporibus, quibus adesse iussus est, adesto.

II. Quam in partem, quámve in expeditionem mittetur, nullum discrimen recusato. III. Cùm sententiam rogabitur, ita ex animi sententiâ censeto, vt neque caussari quidquam præ metu aut inobsequentiâ videatur. IV. Primus semper omnium in equo appareto, neque vt turma frenatis in equis, cùm prior opperiatur, decorum ducito. V. Turmalium omnium nomina memoriâ teneto, & in ijs nonnulli regionum itinerumque periti sunto. VI. Equitum suorum vim iniuriasque exemplo continentiæ suæ ab agrestibus prohibeto. VII. Fortes bonosque ad honorum altiores gradus promoueto, ex ijsque Optionem & Vexilliferum legito. Has deinde boni Præfecti notas adfert: Prudens vti sit; vini, munerum, voluptatumque modicus; vestitu modestus, equorum præstantium studiosus, armorum nitore cultuque spectabilis, aleę alienique stipendij abstinens, pecunię non cupidus. Sed præstat à Vegetio eas audire longè explicatiores. is ita lib. II. cap. XIV. *Sicut Centurio eligendus est, qui sit magnis viribus, & procerâ staturâ, qui hastas vel missilia peritè iaculetur & fortiter, qui dimicare gladio, & scutum rotare doctissimè norit, qui omnem artem didicerit armaturæ, vigilans, sobrius, agilis magis ad facienda quæ ei imperantur, quàm ad loquendum paratus; qui contubernales suos ad disciplinam retineat; ad armorum exercitium cogat, vt benè vestiti & calceati sint, vt arma omnium defricentur ac splendeant; similiter eligendus est Decurio* (ita Præfectum turmę appellat) *qui turmæ equitum præponatur; inprimis habili corpore, vt loricatus & armis circumdatus omnibus, cum summâ admiratione equum possit ascendere, equitare fortissimè, conto scienter vti, sagittas doctissimè mittere; turmales suos, id est, sub curâ suâ equites positos, erudire ad omnia quæ equestris pugna deposcit; eosdem cogere loricas vel cataphractas, contos & cassides frequenter tergere & curare,* &c. *Itaque ad Decurionem & sanitatis & exercitationis tam hominum quàm equorum pertinet cura.* Quibus verbis damnat in primis loquacitatem, quâ multi (*linguâ promptiores quàm manu*) Alexandros debellaturi videntur super mensâ, vbi largiùs circumlatum est merum;

qui

qui *in conuiuijs & circulis* (verba Liuij sunt) *cùm de hostibus mentio incidit, vix manibus temperant*; reuerà, cùm pugnandum est, *galeati lepores, quorum lingua vana*, (vt cum Pseudo-Salustio in Ciceronē loquar) *manus rapacissimæ, gula immensa, pedes fugaces. At plus me hercules audire, quàm loqui, militarem hominem decet, coalitum factis glorioſis*, aiebat Iulianus. Oraculum Taciti est: *Ignauissimus quisque in periculo minimum ausurus, nimij verbis, linguâ feroces.* Contrà, certissimum illud Liuij, *viros militiâ natos factis magnos esse, ad verborum linguæq; certamina rudes.* Deinde commendat equitum curam ac sanitatem (nam de peritiâ diligentiaque abundè diximus Lib. II. & III.) quam vt Præfectus equitum curet, exemplis pauculis, sed magnorum Heroūm, commonebo. Iungam Alexandros duos, Macedonem alterum, alterum Romanum cognomento Seuerum. *Ille* (Magnus) *dum omnes gentes infatigabili cursu lustrat, quodam loci tempestate niuali oppressus, senio iam confectum militem Macedonem, nimio frigore obstupefactum, ipse sublimi & propinquâ igni sede sedens animaduertit; factaq; non fortunæ, sed ætatis vtriusque æstimatione, descendit, & illis manibus, quibus opes Darij afflixerat, corpus frigore complicatum in suam sedem imposuit; id ei salutare futurum dicens, quod apud Persas capitale extitisset, solium Regium occupasse.* Hæc Valerius lib. V. cap. I. *Seuerus* verò, auctore Lampridio, *dicebat, se milites magis seruare quàm se ipsum, quòd salus publica in his esset. Ægrotantes ipse visitauit per tentoria, etiam vltimos, & carpentis vexit, omnibusq; necessarijs adiuuit.* Iam Pompeij in milites charitatem præterire, sit iniuriam facere. *Is vrbem Nicopolim in eo agro, in quo victoriam peperit, ædificauit* (inquit Dion Nicæus) *in eáque saucios milites habitare iussit.* Sed recentiorum fortè officia, iucundiora erunt priscis illis obsoletis. *Alphonsus Aragonius Siciliæ Rex, cùm prope Neapolim militem grauiter in prælio vulneratum vidisset, sudario suo vulnus ei obligauit*, vt Panormitanus scribit lib. III. Vitæ. *Matthias quoque Coruinus Hungarorum Rex, in castris militum ægrorum contubernia lustrauit, cibum porrexit, consolatus est, vulnera obligauit*, ait Bonfinius

lib. VII. Decade IV. Lubet absoluere Valerij verbis: *Quid ergo mirum est, si sub his Ducibus tot annis militare iucundum ducebant, quibus gregarij militis incolumitas proprio fastigio charior erat?* lib. V. cap. I. Nunc Optionis munus subiungam ex præceptis Melzi: Seuerè vti consulat in equites peccantes, puniatque omnem equorum armorumque incuriam, quam censorio verbo Gellius vocat *impolitiam*. Turmam subsequi debet, vt cogat in Iuga Versusque compositè equitare; etiam vt gladio animaduertat in desertores, si qui refugerint è pugnâ. Absente Præfecto, dum pugnandum est, frontem præit, substituitque qui vices tergi agat. Extra pugnæ periculive metum, Optio quidem Arcabusariorum etiam turmam præit, absente Præfecto; non item Optio Lancearíorum aut Quirassariorum, sed vterque subit, quia nempe Signiferos habent eæ turmæ qui ducunt, Arcabusarij non habent. Notam ei decet esse equitis cuiusque socordiam atque virtutem, ne inidoneos fortè ad gerendas res mittat. Cùm excubitum proficiscitur, ab Optione turmæ, quæ vigiliâ deducitur, stationis situm periculaque intelligat. Ipse excubitores locet, locatos frequenter exploret. Equitum singulorum hospitia schedis scriptis designata è Metatore discat, schedasque equitibus ante Vexilliferi tabernaculum distribuat. Per hospitia subinde obeat, quæratque an hospites iure de iniurijs querantur. Cùm statiuis deceditur, ignes vt per tabernacula extinguantur, inuigilet. Si diutiùs in præsidio aut statiuis castris manendum est, hospitia curet pro meritis distribui, meliora nimirum dignioribus: tum etiam catalogum habeat hospitiorum, quo quisque locatus sit, vt castiget qui hospitibus intulêre damna. Quoties signum canet conscendendi, primus ipse equum conscendet, paremque à reliquis diligentiam desiderabit, atque in eos seueriùs animaduertet, quos furti rapinæve studio deprehenderit infrequentes. Conuenit notas ei esse regionum vias, vt vbi fortè duces desunt, ipse norit explorare. Cùm hostis in turmam dat impressionem, ipse cum turmulâ benè armatorum à tergo maneat: etiamsi perpetuum

petuum sibi munus esse sciat (non annuum, vti Optionibus Centurionum) perpetuam tamen modestiam venerationemque præstet aduersus turmæ suæ Præfectum.

CAPVT IV.

Equestres Magistratus infimi.

Vexillarij & Draconarij equitum proprij. Contentio Melzi & Flaminij, sitne frangendum vexillum Lancearíorum, necne. An, more Romanorum, vexillum aliquando in hostem iaciendum. Quis vexilliferi in pugnâ locus. An equitum stipendia apud vexillum deposita, vt peditum apud signa. Decuriones. Subdecuriones. Decani. Capitularij equites, seu Corporales. Triumuiratus recognoscendi turmas.

QVI in pedite Signifer, is inter equites propriè Vexillifer dictus. Miscent tamen crebrò Scriptores vexilli signique nomen, planè vt commutent, nec certum sit, an equitem an peditem spectent. Hinc pauca à Veteribus clarè de hoc munere dicta; præcipuè cùm & alæ pedestres fuerint vt equestres, neque diuinari possit, cùm de alarum signis Auctores loquuntur, an de equestribus vexillis, an de pedestribus signis sit sermo. quod Lazius minùs obseruasse videtur libro VII. cap. II. Vnus Ammianus lib. XIX. *equestria signa*, & Tacitus lib. II. Hist. *equitum vexilla* apertè appellarunt. Lib. verò III. Hist. *Antonius*, inquit, *eò ardoris prouectus est, vt Vexillarium fugientem hastâ transuerberaret; mox raptum vexillum in hostem vertit, quo pudore haud plures quàm centum equites restitêre.* Draconarij fuêre apud Sindos. Suidas: *In quosque mille equites draco extensus in pertica.* Recentiores in quibusdam dissentiunt. Melzus lib. I. cap. V. iubet à Vexillifero Lancearíorum, vexillum inter pugnandum frangi; impetu nempe facto in aduersum peditatum, aut auersum fugientemque equitatum; neque tunc seruandum, imò ne recipiendum quidem, etsi humo sublatum Vexillifero reddatur. Flaminius lib. I. cap. XIII. id admiratur. Nam cur, inquit, impingendum infringendumque

dumque vexillum equiti fugienti? cur pediti reſiſtenti? Cur etiam frangendum, cùm Lancearijs datum ſit ad eos ſub ſignum colligendos, æquè atque vexilla alia ceteris? Cur non ſeruandum, cùm ſacrum ſit inſtar reliquorum? Cur non recipiendum, cùm dedecus ſit vel amiſſum relinquere hoſti? Ego, ſi ad Veterum exempla attendam, non reperio vllum in vexillis ſigníſve ſeruandis diſcrimen. Vibius Pelignæ cohortis Præfectus (an turmę?) vexillum, trans hoſtile vallum in Hannonis caſtra coniectum, recuperauit, victoriamque retulit, Liuio & Valerio auctoribus. Non aſſero Vibium fuiſſe equitem; id tantùm dico, ſi vexillum proiecit (vt ambo vocant) eques fuit; ſi cohortem duxit (vt ambo vocant) pedes fuit. Et ſæpè aliàs *quidam è Ducibus*, ait Dionyſius lib. IX. *ſigna ſuis erepta in hoſtes iecerunt, vt languidioribus aut timidioribus ex neceſsitate robur imprimerent, ſcientibus, quòd ijs qui ſigna non retuliſſent, cum ignominiâ eſſet moriendum.* & Liuius lib. XI. narrat, *Signiferos, ſigno amiſſo, virgis cæſos, ſecureq; percuſſos.* Rarum audaciæ ſpecimen, vexillum in hoſtem iacere, & quaſi prodere: ſed maius religionis fideique argumentum, ne tum quidem deſerere, at fortiùs recuperare, & victoriæ ſpem inde ſumere, imò auſpicari. An ſuadeam equiti noſtro? Non magis, quàm frena equis detrahere, cùm in hoſtem incurrendum ſit. Nunc de loco: Vexillifer inter Anteſignanos & Poſtſignanos tutus remaneat. Si, Præfecto Optioneque cæſis, aciem ei inſtaurare lubeat, vexillum emerito alicui vexillifero committat, tum vt Dux, non vt Vexillifer pugnet; vexillum alioqui non priùs quàm vitam amittat. Probis namque omnibus potior eſſe debet dignitas ſine vitâ, quàm vita ſine dignitate. Operæ pretium duxi quærere, num equeſtre ſtipendium & donatiua fuerint apud vexillum ſeruata, vt peditum apud ſigna. De peditum ſtipendijs certum teſtem habeo Polyænum; de donatiuo, Vegetium. Polyænus lib. III. *In mercedis ac ſtipendij ſolutione Iphicrates quoque menſe ſubducens quartam partem, velut pignus militum retinebat, ne facilè deſererent exercitum; atque ita & multos ſemper frequentéſque habuit milites, & eoſdem diuites.*

diuites. Vegetius lib. II. cap. XX. *Ab Antiquis diuinitus institutum est* (verè diuinitus, atque vtinam diuina homines imitemur!) *vt ex donatiuo, quod milites consequuntur, dimidia pars sequestraretur apud signa, & ibidem ipsis militibus seruaretur, nè per luxum aut inanium rerum comparationem, à contubernalibus posset absumi. Plerique enim homines, & præcipuè pauperes, tantum erogant quantum habere potuerint; sepositio autem ista pecuniæ, primùm ipsis contubernalibus docetur accommoda,* &c. *Miles deinde, qui sumptus suos scit apud signa depositos, de deferendo nihil cogitat, magis diligit signa: pro illis in acie fortiùs dimicat, more humani ingenij, vt pro illis habeat maximam curam, in quibus suam videt positam esse substantiam. Denique decem folles, hoc est decem sacci, per cohortes singulas ponebantur, in quibus hæc ratio condebatur. Addebatur etiam saccus vndecimus, in quem tota legio particulam aliquam conferebat, sepulturæ scilicet caussâ, vt, si quis ex contubernalibus defecisset, de illo vndecimo sacco ad sepulturam ipsius promeretur expensa. Hæc ratio apud Signiferos in cophino seruabatur; & ideo Signiferi non solùm fideles, sed etiam literati homines deligebantur, qui & seruare deposita, & scirent singulis reddere rationem.* Quid de equitum stipendijs apud vexilla? Testem laudare nullum possum: sed cùm eędem in equitem conueniant caussę, persuadeor & eumdem equiti fuisse cum pedite morem. Nam cur distinguamus? An, quia vexilla perpetuò mouebantur, signa verò defigebantur? Nugæ. Signa (dum pugnabatur) in hostem inferebantur; imò, iam dictum, subinde etiam trans vallum iaciebantur. Vexilla verò, quis credat, quiescente equitatu, non etiam fuisse defixa? Dubitet, cui fidem non facio. Ego, si aliter sese res habuerit, optem nunc ita habere. Quàm enim salubre institutum? Melzus sanè lib. V. cap. VII. Collegium seu societatem quamdam in turmâ qualibet instituit, cuius studio ærarium aliquod huiusmodi conflari possit, ad instaurandum equitatum, dum eques in hiberna vel æstiua est dimissus.

Iam præter Vexilliferos, Prefectis pluribus in equitatu opus est, vt imperia eques faciliùs excipiat, certiusque exe-

quatur. Augustus, *quò plures partem administrandæ Reipublicæ caperent, noua officia excogitauit*, &c. *Triumuiratum legendi senatûs, alterum recognoscendi turmas equitum, quotiescumque opus esset*; Sueton. cap. XXXVII. *Certè sic acies distinctior, & ex pluribus partibus constans, facilis partienti quacumque opus sit, facilis iungenti*, ait Liuius lib. IX. Tum miles scilicet Decurioni, Decurio turmæ alæve Præfecto; hi denique Magistro equitum obsequuntur. Ergo, præter summas Præfecturas, equitum decurijs dati quoque Decuriones. Polybius lib. VI. indicauit. *Equites*, inquit, *in decem turmas Romani diuiserunt, atque ex singulis tres eligunt Duces. Illi verò ipsi tres assumunt tergi ductores. Absente primo, secundus primi obtinet locum.* Decuriam definiuit Ælianus de Instruen. aciebus: *Est autem decuria numerus hominum, qui à Duce vno positione simplici, subinde deductus serie cesset vel in octauum, vel in duodecimum, vel in decimum sextum. Numerus enim decuriæ variè ad hunc modũ à diuersis Auctoribus datur.* Inferiùs paulò aliter, *Decuriam*, ait, *ita quoque definiunt, vt Versus sit ex primis secundísque pro virtute institutis, atq; vni Decurioni obtemperantibus*, &c. *Totam verò decuriã, Ordinem, Versum, & Decaniam appellant.* Priore definitione numerum expressit, qui nempe variauit; cùm propriè alioqui denûm esset hominum, vt ipsum decuriæ probat nomen. Posteriore descriptione situm in acie explicat, qui est lineæ à fronte in tergum ductæ, quam Versum seu Ordinem vocari docet. Addit mox decuriæ ipsius diuisionem. *Sunt*, inquit, *qui enomotiam quartam esse decuriæ partem asserant, Præfectumq; Enomotarcham præponant. Duas item enomotias dimœriam, quasi bipartitam vocant, & Principem Dimœritam; ita vt Semi decuriam dimœriam liceat quoque vocitare, & Semi-decurionem Dimœritam.* Meminit eiusdem diuisionis in Hipparcho Xenophon, vbi *Quincurionem* interpres vocat, quem *Subdecurionem* rectiùs fortè, imitatione Liuij, appellabimus, qui lib. VIII. nominat in pedite *Subcenturionem*. Hic porrò decuriæ Magistratus videtur à Liuio *decuriatus* dici lib. XXII. *Vbi ad decuriatum aut centuriatum conuenissent, suâ voluntate ipsi inter se equites decuriati*,

riati, centuriati pedites coniurabant, sese fugæ atque formidinis ergô non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli sumendi, aut petendi, aut feriendi hostis, aut ciuis seruandi caussâ. Ælianus loco iam allato Decuriones ait quoque Decanos vocari; quod nomen in peditatu Vegetius agnoscit lib. II. cap. XIII. *Vt decem militibus sub vno papilione degentibus, vnus præesset Decanus, qui Caput contubernij vocatur.* Atque hinc Decanos seu Decuriones existimo Capitularios equites dictos Iustiniano in Codice; sicut Italis Caporales; Gallis à corpore contubernij Corporales; cuius vocis inter Latinos quoque Ammianus est fabricator, vt Steevvechius hoc Vegetij loco obseruat. *Raptorum*, inquit, *pleraque Concorporalibus suis impertientes.* Iam quales esse deceat Decuriones, Ælianus docet. *Decuriones, vtpote Duces decuriarum, optimos esse decet, ita & staturâ & viribus corporis præstantiores ceteris sint, & rei militaris peritiores*, &c. Decurionis seu Caporalis munus omnium accuratissimè descripsit Lælius Brancaccius libro Militarium Officiorum cap. II. I. Decurio nomina decuriatorum catalogo perscripta habeto. II. Dum excubandum est, si quis infrequens fuerit, adnotato. III. Quos Circitores, quotâ vigiliâ circummittere debeat, non ignorato. IV. Excubitores ipse ducito & deducito. V. Contubernalium suorum ingenia moresque explorata habeto; ijsque ipse exemplo incorruptæ vitæ præito. VI. Si quem suorum decuriatorum audiat pecuniæ prodigum esse, diligenter, an is fur sit, an ab hoste corruptus, inuestigato. VII. Seditiosas equitum voces adnotato, & Præfectum admoneto. VIII. Æquus omnibus esto, neminemque præ reliquis laboris immunem habeto. IX. Neminem è nocturnâ statione dimittito, è diurnâ nulli incomitato copiam egredeundi facito. X. Verbis, non verberibus, si quis peccauerit, castigato; maiores culpas ad Præfectum deferto. XI. Nulli contubernali arma vestésve necessarias abalienare per eum liceto: sed vt arma integra cultaque habeant, procurato. XII. Semper de Maioribus Præfectisque honestè apud suos censeto, aliorumque alienis de rebus ser-

mones coërceto. XIII. In hostilis exercitûs laudatores seuerè animaduertito. XIV. Vbi cum decuriâ fuerit castrametatus, potiùs exæquabit se socijs, quàm præponet. XV. Ægros saucióve contubernales frequenter visito, deferrique in nosocomium & curari iubeto. XVI. Languentibus ex morbo, currus in itinere suppeditari facito.

CAPVT V.

Tubicines & Tympanistæ.

Necessitas tubarum in exercitu. Quàm varia tubis signa dantur. Vt promptè signis obtemperandum. Inflammat tubarum cantus pugnantium animos. Tubicinis egregij exemplum. Astus multiplici tubarum cantu adinuentus. Tubicines quales esse deceat. Tympana Indis pro tubâ. Inde etiamnum in equitatu Germanorum.

A VARIO instrumentorum genere varia cœpisse nomina, ostensum est suprà, vbi actum de equestribus signis, Tubicinis nempe, Liticinis, Buccinatoris, Cornicinis; quos omnes *Æneatores* communi nomine appellauerunt. Neque leuis administratio per hæc instrumenta. *Indubitatis enim per hæc sonis agnoscit exercitus, vtrùm stare vel progredi, an certè regredi oporteat; vtrùm longè persequi fugientes, an receptui canere*, ait Vegetius lib. III. cap. V. Vnde munus in vsu & honore. Tria verò tubæ signa hîc Vegetius expromit, standi, progrediendi, regrediendi; quæ duo nempe postrema incidunt cum illis quæ mox vocat insequendi, & receptûs: vnde *receptui canere*, apud Ciceronem; & *signum receptui dare*, apud Liuium. Nunc præterea sternendi equi signum, quod vocant *Boutte-selle*, & conscendendi signum, vt Liuius alibi, & ad arma concurrendi. Quin ampliùs etiam olim buccinæ cantu vigiliarum tempora distinguebantur. Indubitatos autem sonos rectè Vegetius dixit. *Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum?* quærit Apostol. I. Corinth. cap. XIV. Et quidem huic voci eques promptissimè obedire debet, re omni

ni prætermissâ: quo nomine Chrysantam præcipuè commendat Cyrus apud Xenophont. initio lib. IV. Pædiæ. quòd is nempe, audito receptûs signo, hostem percutere desijsset, quem stricto sub gladio habebat; quam ob rem Tribunatu eum quoque ornauit Cyrus, ab obediendi promptitudine egregiè collaudatum. Certè tubarum imperia, non aliter ac sacræ quædam voces, accipienda sunt; cùm & tubæ ipsæ (quæ sacris maximè adhibebantur) Tubilustrio solerent expiari, quo religiosiùs imperia acciperentur. Valet verò maximè tubarum cantus ad accendendos equitum equorumque in bellum animos, vt de Miseno Virgil. lib. VI.

—— Quo non præstantior alter
Aere ciere viros, Martemq; accendere cantu.
Hectoris hic magni fuerat comes, Hectora circum
Et lituo pugnas insignis obibat & hastâ.

Timidos alioqui, qualem vnum Iuuenalis describit Sat. XIV. exanimat Martialis ille sonus:

—— Et trepido soluunt tibi cornua ventrem,
Cùm lituis audita.——

Alios esse viros decet qui Marti operantur,

—— Quos castra iuuant, & lituo tuba
Permistus sonitus.——

imò quos nec multarum simul clangor terreat, qui neque credant tot adesse turmas, quot exaudiunt tubas. Vulgaris enim iam astus est, ad augendam copiarum fidem, pluribus sonare tubis, cùm subinde vix adest equitum decuria. Et quod probrum, videre equitem clangore tubarum exanimatum, equum verò ipsum exultantem? Melzus lib. I. cap. XIII. tubicines vult omnes esse circumspectos, imò literatos. Prouidos quidem, ne, cùm ad hostem pro nuntijs mittuntur, visa auditaque apud suos hosti roganti prodant; sed potiùs visa suis renuntient: literatos, vt, absente Vexillifero, catalogum ab eo excubiarum accipiant. Addam de equitum tympanistis, quos etiamnum Germani adhibent inter tubas. Ab Indis videtur is esse mos, auctore Curtio lib. VIII. *Porus*, inquit, *post*

elephantos posuerat sagittarios tympana pulsare solitos: id pro cantu tubarum Indis erat. Sed olim bellis sacris longè maximus tubarum honor.

CAPVT VI.

Quomodo ad equestres Magistratus facienda promotio.

Per scholarum gradus equites promouendi. Claudij Cæsaris in præsenti re disciplina. Vegetij querela de præposterâ promotione. Xenophontis, Onosandri, & Leonis Imperatoris consilium. Honores, equiti laborum finis. Alexandri & Theagenis æquitas in milite promouendo.

VIVERENT modò Fuluius & Curius Tribuni, quod dicturi essent de ambitu, non vnius T. Qu. Flaminij, sed omnium propè tirunculorum, qui docere volunt quæ vix didicerunt, & Duces esse priùs quàm milites fuêre; dicerent haud dubiè, quod dixisse eos Liuius scripsit lib. II. Decad. IV. cap. VII. *Iam Ædilitatem Praturamq; fastidiri; nec per honorum gradus documentum sui dantes, nobiles homines tendere ad Consulatum, sed transcendendo media, summa imis continuare.* Inde hæ quoque lacrymæ. Aliter certè Vegetius lib. XXI. cap. XXI. *In orbem quemdam*, inquit, *per diuersas cohortes, & diuersas scholas milites promouentur.* Et *Claudius Cæsar*, ait Suetonius cap. XXV. *equestres militias ita ordinauit, vt post cohortem, alam; post alam, Tribunatum daret.* Quid nunc? Ferè, quod Vegetius queritur lib. II. cap. III. *per negligentiam superiorum temporum robur infractum est, cùm virtutis præmia occuparet ambitio, & per gratiam promouerentur milites, qui promoueri consueuerant per laborem.* Optandum foret, quod Flaminius commendat lib. I. cap. VII. *Quemadmodum nemini confertur dignitas Doctoratûs, nisi confecto studiorum cursu, scientiaq; comparatâ; ita sanè ornari neminem debere equestri Magistratu, qui non pluribus se stipendijs probasset.* Ita solitum. Ælianus de Instruendis aciebus: *Optimus cuiusque decuriæ præponi, & ductor ceterorum omnium esse debet.* Onosander Strateg. cap.

cap. 11. *Ipſe Dux primipi'os ceteroſq; ordinum ductores arbitratu ſuo acici præficiat, eoſq; potiſſimum, quos nouerit patriæ amantiſſimos, fidiſſimos, valentiſſimoſq; ; nihil vetabit, quin etiam locupletiſſimos & nobiliſſimos. Neque enim permultos Præfectos tam accurato morum ac vitæ examine licet expendere ; quàm per ſolos Imperatores ac Duces ; etiamſi diuitiarum cum nobilitate inſolentior aliquando ſit faſtus.* Leo Imperator Tactic. c. xx. §. CXXVIII. *Tales deliges Præfectos, qui ſubiectis ſuis præſtantiores ſint : ſolet enim ſubditorum vulgus ſemper ſe ad Magiſtratuum ſuorum mores accommodare. Vetus verò verbum ita verum fiet, Non ceruos leonibus imperare, ſed leones ceruis.* Bonis ergo illis temporibus, cùm veterani, ijque fortiſſimi, in Magiſtratus militares promouebantur, id quoque verum erat, quod Iuſtinus lib. x 1. de Alexandri copijs ſcripſit: *Ordines nemo niſi ſexagenarius duxit; vt ſi principia caſtrorum cerneres, ſenatum te alicuius priſcæ Reipublicæ videre diceres. Itaque nemo in prælio fugam, ſed victoriam cogitauit : neque in pedibus cuiquam ſpes, ſed in lacertis fuit.* At nunc, qui ne hoſtem vmquam vidêre, priùs iam ducere alios, quàm ire ipſi in hoſtem ambiunt: quibus mox omnis in pedibus ſpes eſt & ſalus; *vtq; ad populandos finitimorum agros, tectaq; vrenda, & capienda pecora, aliqua vis ſit, ita in acie ac ſignis collatis nulla eſt*, ait Liuius lib. x x v 111. Certè, *aut Magiſtratus appetendus non eſt, aut à Dijs petendum, vt huic officio ſatisfaciamus*, inquit Xenophon in Hipparcho. Et quis præmiorum ſpe excitetur ad pugnam, vbi virtutis præmia omnia ambitio occupauit? Notum eſt illud Liuij lib. 1 v. *Eò impendi laborem ac periculum, vnde emolumentum ac honos ſperetur.* At grauem militiam, perpetuos labores, quotidiana pericula & vulnera quis ferat, vbi nulla honoris præmijque ſpes? *Nihil à quoquam expeti*, ait Tacitus Annal. x 1. *niſi cuius fructum antè prouiderit.* En quàm alia Alexandro morum via. Curtius lib. v. cap. v. *Iudices dedit, præmiaq; propoſuit de virtute militari certantibus. Octo qui fortiſſimi iudicati eſſent* (nempe præteritorum bellorum pugnarumque occaſionibus) *ſingulis militum millibus præfuturi erant. Chiliarchas vocabant*, &c. *Anteà quinge-*

quingenaria cohortes fuerant, nec fortitudinis præmia cesserant. Ingens militum turba conuenerat, egregio interfutura certamini: testis eadem cuiusq; factorum, & de iudicibus latura sententiam; quippe veróne, an falsò, honos cuique haberetur, ignorari non poterat. Primus omnium virtutis caussâ donatus est Adarchias senior, qui omissum apud Halicarnassen à iunioribus prælium, vnus maximè accenderat. Atque ex hac honorum tam æquâ distributione, tantam nactus est Alexander in exercitu suo concordiam, tantumque in se amorem militum omnium; quod Diodorus Siculus notauit lib. XVI. *Initâ de optimis quibusque censurâ, cùm multos ab amplis Magisterijs ad sublimiorem potestatis gradum submouisset, hac ratione factum est, vt omnes tandem Præfectos ad maiorem dignitatem, simul & amorem erga se firmissimum, proueheret.* Par Alexandro in æstimandâ militum virtute, faciendaque promotione, fuit Theagenes Athenienſis. Is enim, vt Frontinus refert lib. IV. cap. I. *cùm exercitum Megaram duceret, petentibus ordines respondit, ibi se daturum. Dein clàm equites præmisit, eosque hostium specie impetum in socios retorquere iussit. Quo facto, cùm inertissimus quisque retrò se dedisset, strenui autem in frontem prosiluissent; vt quemque inuenerat stantem, ita ad ordines militiæ prouexit.*

IN-

INDEX ET ORDO LIBRORVM ET CAPITVM.

LIBRI PRIMI ARGVMENTVM.

EQVVS bello à naturâ factus, arte ad pugnam doctus. Equitandi ars initiò rudis, plurimarum rerum adminiculis adiuta, tandemque perfecta. Equo non viri modò sed feminæ militarunt. Quantæ Amazonum copiæ. Elephanti, cameli, magna olim belli præsidia, militiâ proscripti. Quadrigæ & falcati currus quondam belli terror, ab equestri exercitu dimissi.

CAPVT I.

Equus animal bello natum, idemque docillimum.

Equi indoles bellica, ingenium, iudicium, præsagitio, velocitas, docilitas, peritia, philanthropia, fides, victoriæ cupiditas, historijs ostensa. Ori & Chrysantæ de equo iudicium. Equus in sidera relatus. 1

CAPVT II.

Equitare, & ex equo pugnare, qui primi docuerint.

Admiratio equitationis, Dijs eam artem adscripsit. Variæ de eo inuento sententiæ. Hinc Centaurorum & Hippocentaurorum fabula nata. Quos fuisse constat, non tamen generari. Antiquissima equitum bellatorum memoria apud Moysen bello Pharaonico. Amazones ingentem exercitum equestrem conflarunt. Quarumdam præterea mulierum equestris gloria. 10

CAPVT III.

Equitandi ars initio rudis, frenis calceisque equorum adiuta.

Qui equitarint sine frenis. Habena, capistrum, orea, frenum, lupatum, camus, vnde dicta, quando inuenta. Freni partes, pessellum, henium, echini, sielisterium. Calcei equorum ferrei, argentei, aurei. Quæ clauorum herba, ne equi lædantur in calceatu. 15

CAPVT IV.

Equitatio stratis, ephippijs, sellis equestribus, stapijsque perfecta.

Nudo equorum dorso equitatum initio. Equorum strata, seu ephippia, quando inuenta: quàm varia. Quando adhibitæ sellæ equestres. Stratores. Lapides publici ad scandendum equum. Ἀναβολεῖς. Stapiæ excogitatæ, & eorum varia appellatio. 19

CAPVT V.

Elephanti & cameli olim bello adhibiti, cur tandem missione donati.

Elephantos militiæ commendarunt, Robur, Terror, Peritia pugnandi, Fides. Mira de ijs Plinius, aliqꝙ, sed vera. Elephas XXX. armatos vnà in turri gestat: strages quantæ ab eis editæ. Terror à nouitate, deformitate, odore, & horrendo stridore. Vt inter se & cum militibus pugnẽt. Herilis fidei admiranda exempla. Quantus eorum olim in bellis numerus. Remedia tandem aduersus belluæ terrorem reperta. Hinc eorum contemptus, cùm plus suis quàm hosti nocerent: sed ob alia quoque incommoda missi. Cameli velocitate & patientiâ sitis mirabili; ob pedum mollitiem bellis inidonei. 26

CAPVT VI.

Currus olim equestri militiæ admisti, cur dimissi.

Curulis pugna aurigantium antiquior equestri Celetum seu solitariorum equitum. Currus expediti & falcati. Martis & Iunonis currus militares. Quis curruum primus auctor. Bigæ, Trigæ, Quadrigæ, Seiuges, Septemiuges, Decemiuges. Currus quatuor temonibus instructus. Qui solis curribus, & quanto numero, in in prælijs usi. quæ eorum administrandorum æconomia. Esseda, Cisia, & Couini. Quæ ratio ex curru præliandi. Desultores curules. Falcatorum curruum variæ species. Ingentia eorum damna, quæ tandem in suos versa. hinc quoque militiâ submoti. 37

LIBRI SECVNDI ARGVMENTVM.

EQVORVM quomodo paretur copia, equitumque idoneus delectus. Equorum equitumque arma & phaleræ. Vexilla, Tubæ, Cornua, Litui, Buccinæ, Tympana. Recensio equestris. Vetus equitum transuectio & probatio. Equitum stipendia & annona.

CAPVT I.

Equorum bonorum quomodo procuranda copia.

Laconum de equis imprecatio. Fabula equorum Diomedem deuorantium. Equorum copia hippotrophijs, tributis, ære publico parata. Hippotrophia habuêre Medi, Getuli, Babylonij, Macedones. Tributis equos collegêre Athenienses, Armeni, Cappadoces, Germani, Cilices, Franci. Agesilai & Scipionis astus instaurando equitatui. Aere publico emêre Romani & Galli. Quæ præstantium equorum notæ. Equi optimi, vbi. Quæ equorum vitia equiti socijsq; periculosa. Equi Olympicis & Circensibus probati. Qui perierint vitio equorum. Equus Seianus quàm fatalis. Stratores in Prouincias missi ad equorum delectum. Emendorum equorum vetus stipulatio & cautio. Sarmatæ, Quadi & Turcæ castratis solummodo vsi. Scythæ cur solis equabus. Sarcinarij & Agminales equi minùs elegantes. Cur Iudæorum Regibus olim diuinitus interdictum multitudine equorum. Cleomenis scomma in Ptolomæum Aegypti Regem equorum negligentem. 51

CAPVT II.

Equitum idoneorum delectus more maiorum.

Eques initio à virtute, nobilitate, robore, opum æstimatione lectus. Id quando, & quantus equester census. Dicti primùm Celeres, Trossuli, Flexumines, denique Equites. tum demum equester Ordo natus. Seuerus ac propè fastidiosus Veterum delectus. Vitia equitatus & remedia. Romani equitatu inuicti. Gallorum veterum Nobilitas

bilitas in equitatu. Batauorum equitum præstantia. Hispaniæ Ordines sacri, & Collegia equestria. Nobilitati data, sanctisq; legibus vincta. Salapiarum & Colophoniorum equitum gloria. Auxiliares Romanorum equites ignobiles, & duplò quàm Romani plures. an tutò? Obscuri, modò strenui, equestri militiâ non arcendi. Quæ equiti prius cogitanda, quàm in militiam se det. An plus in equite quàm in pedite virium. Quantæ variorum equestres copiæ. Xerxis, Darij, Nini, Semiramidis equitatus propè incredibilis. Sed maximus omnium futurus equitatus Antichristi. 66

CAPVT III.

Equorum arma & phaleræ.

Arma equorum, partem solida, partem contexta. Varia eorum nomina. Squammæ & plumæ æreæ, ferreæ. Loricæ scorteæ & corneæ; ex vnguibus ferarum, ex annulis ferreis. Equi quarumdam Gentium cataphracti, bello ferè inidonei. Phaleræ vnde dictæ. quare inuentæ. Non equorum tantùm, sed equitum quoque ornamenta esse. Luxus phalerarum damnatus, modus laudatus. 82

CAPVT IV.

Equitum arma, armorumque cura: Vexilla, ceteraque signa.

Gallo-Græci nudi ex equo pugnant. Galli olim supra vmbilicum nudi. Numidæ & Romani equites inermes. Romani deinde corporum tegumenta à Græcis didicêre. Leuis armatura è lino, lanâ, spongiâ, ligno, funibus, pellibus struthionum, corio, bracteâ. Grauis, ex ære ferroq; densiore. Romani item tela Græcorum imitati. Discrimen clypei & scuti. Quid parma, sarissa & contus. Gladius equiti aliquando suspensus è dextro. Hippotoxotæ, & Hippacontistæ, & Arquites, idem qui sagittarij. Equites ferentarij & iaculatores qui. Restiferi equites & Laqueatores, inter quos feminæ. Lancea qualis vox. Gesum. Phalarica, Bidens, Framea, Cetra. Arma militiæ hodiernæ recentia. Gladius equiti ligandus, ne in cursu excidat, quorumdam infelici exemplo. Veterum nitor in curandis armis. Vexilla & dracones equitum. Tuba, buccina, lituus, cornu, classicum. 90

CAPVT V.

Qualis equitum prisca recensio.

Græcorum Archontes, Romanorum Reges, Consules, Censores denique, censum Equitum exercuêre. Probatio equitum qualis Græcis. Qualis Transuectio. Recensio apud Romanos variè habita. Primò viritim, deinde tributim, denique Græcorum more per Probationem & Transuectionem. Probatio quale examen equitum. Transuectio qualis pompa. Quoties & quando vtraque habita. Fraus tamen olim in falso equitum numero deferendo deprehensa. Caueri difficilè posse, sed cauere conati Xerxes & Darius. 103

CAPVT VI.

Equestre stipendium & Annona.

Græcorum & Romanorum equitum initiò nullum stipendium, præter æs ad emendum equum. Romanis annonæ aliquid, ac demum diurna stipendia. Quanta eorum summa. quoties aucta. quoties numerata. quantò maiora Præfectorum æra, quàm gregariorum. Stipendij solutione equestres seditiones optimè compescuntur. Annona equiti & equo qualis & quanta. Qualis potio militaris. Pecuniæ militaris parandæ modi Veterum varij; nouus vnus alterve adiunctus. 110

LIBRI TERTII ARGVMENTVM.

EQVITIS institutio præceptis atque exercitatione perficitur. Eques igitur docendus pietatem & artem suam: instituendus item

equus, imò & curandus. Res variæ discrimen equitum fecêre. Vexillationes, Alæ, Drungi, Turmæ, Centuriæ, Decuriæ, equitatum diuidunt. Figuræ turmarum diuersæ multiplicem in acie vsum habent.

CAPVT I.

Eques quibus virtutum rudimentorumque militarium exercitijs instituendus.

Numinis Præfectorumq; cultum ac fidem equiti in primis esse necessaria, etiam ab Ethnicis iudicatum. Equitatio apud multos à pueritiâ tradita. Hinc Troiani ludi, *quos* Torneamenta *dicimus. Salitio in equos, armorumq; tractatio, ab Hippodidascalis per equestres scholas docta. Ordinum seruandorum vocabula & præcepta. Non modò equites singuli, sed totæ simul turmæ exercendæ. Natatio & ambulatio equestris. Recentium de exercendo equitatu documenta cum Veterum præceptis collata.* 122

CAPVT II.

Equus militaris quomodo exercendus.

Equorum militarium scholæ & Magistri. Equi pœnis admonendi & laudandi. Equestres blanditiæ, clogmus, & poppysmus. Xenophontis artibus vitia curabilia dedocendi sunt meticulosi, immorigeri, tortores, cruciantes, succussores, suffossi, seu cespitatores. Deinde exercendi saltu & flexu. Equorum exercitatorum exempla. Equi distribuendi pro variâ equitum conditione. 157

CAPVT III.

Equiti quanta equi sui habenda cura.

Equi neglecti, amorem exuunt. Xenophontis de equorum curâ præcepta. Rebus octonis omnis ferè equorum cura continetur. Ducum quorumdam in equos laudata cura, quorumdam insanus amor. Viduæ Romanæ equos publicos curant. Triarij in castris equiti, equorumq; saluti excubant. Equus vinculis solutus quantas dederit turbas. Calceis amissis equus Sfortiam propè perdit. Non facilè militaris equus alteri commodandus. Salubre, nosse equestribus morbis remedia; sed vitandæ incantationes, & superstitiosæ asperssiones. Ad Cælitum opem pro equorum salute decurrendum. Quid equiti medeatur ex equitatione adusto. 167

CAPVT IV.

Equitum veterum nouorumque diuersa genera.

Decem ferè de causis distincta equitum nomina: ob dignitatem, censum, genus pugnæ, genus armorum, munus, mores, patriam, præsidium, auctores, tempus. Dictum de singulorum generibus; de nominibus quoque equitatûs recentioris. 173

CAPVT V.

Equitatûs diuisio.

Legionarij diuisi in Centurias: Socij & Auxiliares in Alas. Centuriæ & Alæ iterùm in Turmas & Decurias. Centuriæ initiò tres, Turmæ decem, Decuriæ triginta, in qualibet Legione. Aucti deinde equites, auctus & numerus Centuriarum, Turmarum, Decuriarum. Aeliani partitio & Lycurgi in Οὐλαμούς. *Turmæ & Alæ vnde dictæ. Alæ non plures duabus. Agema Macedonum, & Alæ sacræ quid. Quæ nostri equitatûs diuisio. Quid Globus seu Drungus.* 185

CAPVT VI.

Turmæ seorsim singulæ quâ figurâ locandæ.

Figura quadrata Persis, Siculis, Græcis probata. Rhombum Thessali inuenêre. Cuneo vtuntur Scythæ, Thraces, Macedones. Cur is dictus Caput porcinum. *Ilion Ovalem aciem reperit, quæ* Ile *dicta.* 191

LIBRI QVARTI ARGVMENTVM.

MVNIA equitis vniuersim continentur aut itineribus, aut præsidiis, aut castris, aut acie. In itinere exploratum dimittuntur, frontem faciunt, latera tegunt, agmen claudunt. In præsidiis interna externaque tuentur. In castris excubias, circuitionem, custodias habent. Extra castra stationibus disponuntur, pabulationes instituunt, speculatum eunt, insidias struunt, stationes hostium lacessunt, palantes excipiunt; aquatores, frumentatores, lignatores aggrediuntur; commeatum & subsidia impediunt, hostium statiua inuadunt, agros populabundi deuastant, in acie denique pugnam inferunt, aut defendunt.

CAPVT I.

Equitum vsus acieque in itinere.

Eques iter facit aut solus, aut peditibus iunctus. Iter verò vel terrestre est (idq; angustum, aut latum;) vel aqueſtre; diurnum aut nocturnum. Quæ præsidia singulis itineribus facienda. Exploratores, Antecursores, Subsequæ equites ad tutelam dimittendi. Viarum duces plures, aut fidus vnus. Viæ & loca nota sint oportet. Ratio flumina trajiciendi; & tranandi artes. Acies viatoriæ diuersæ. 195

CAPVT II.

Equitum Præsidia, Castra, Excubiæ, Stationes, Circuitio, prisco nouoque more.

Equites quibus præsidijs per vtrumque Orientis & Occidentis Imperium distributi. Locus equitum in castris priscus. Eius magnæ vtilitates. Locus hodiernus. Eques operum immunis, sed operarum operumq; defensor. Quis locus equestribus castris capiendus. Quo ordine arteq; muniendus. Philopœmenis hac in re solertia. Excubiæ equestres quales Veteribus, quales nobis. Procubitores, qui nunc Sentinellæ. Stationes cur Agragiæ dictæ. Eæ plures & sæpius mutatæ. Equites Prætoriani immunes habendarum stationum. Quid Circuitio & Circitores. 212

CAPVT III.

Pabulatio, Frumentatio, Aquatio, quomodo equitibus instituenda.

Pabulatio hostilis impedienda. Exercitus ante frumenti maturitatem non educti. Frumentatio ex agris, ex horreis. Aquatio è propinquo curanda. Quomodo frumenti aquarumq; penuriæ consulendum. Sarmaticorum equorum inedia. Pabulo deficiente, equis quale aliquando præbitum alimentum. Cædes iumentorum, ob pabuli inopiam. Præcepta ritè instituendæ pabulationis. 229

CAPVT IV.

Reliqua equitum munia.

Explorare vias & castra, & quàm accuratè castrorum locus inspiciendus. Captiuos ad cognoscendum excipere, & quàm cautè credendum. Insidias struere, & quàm occultè eundum. Stationes vigiliásque lacessere. Commeatum, aquatores, pabulatores, frumentantes, lignantes aggredi. Auxilia hosti missa impedire. Procubitores & statiua equitum inuadere. Agros denique populari & prædari. Sed ab iniuria sociorum abstinendum. 235

CAPVT V.

Quod equitis Christiani munus

ante pugnam. Quomodo locanda acies equestris, & qualis.

Equitis præparatio religiosa ad pugnam. Stimulus ab exemplo Ethnicorum deuouentium sese in pugnâ. Equitum cælestium auxilia. Situs aciei quis capiendus. Acies equestres variæ. Præcepta equestris pugnæ, & discrimen à pedestri. An frenis equorum detractis aliquando confligendum. Illustria equestrium certaminum spectacula. 249

CAPVT VI.

Quæ acies equitum peditatui mixtorum.

Equiti admiscendum esse peditem. Tum partem equitum pro fronte, ad prouocandum, inter rorarios spargi. Reliquos plerumque in cornibus locari. Pugna à pedite, post equestrem prouocationem, excepta. Eques quietus, donec hostis fugeret. Contrà, sæpius pugna ab equite cœpta, perfectaq;. Equestris inter pedites certaminis modi diuersi, singuli exemplis probati. Equiti olim pedites viritim interpositi in turmis. Quanta eius dispositionis vtilitas. Quanta ab exercitatione facilitas. Canes etiam inter equos pugnant. Gemina aciei mixtæ tabula, veteris & nouæ. 289

LIBRI QVINTI ARGVMENTVM.

EQVITANDI dignitas ipsius naturæ & nominis argumento probata. Prærogatiuæ & præmia equitum singularia. Ignominiæ & pœnæ. Honor equis ipsis habitus. Hipparchi & Philarchi equitatum Græcię; Magister equitum Romanos equites regunt. Imperio in Orientem Occidentémque diuiso, quę ratio administrandi equitatûs. Qui tum Magistratus. Optio Magistri equitum, & summus mandatorum Curator, Magistratus noui, vt nonnulli alij. Seuiri, Tribuni, Præfecti alæ & turmæ, Decurio, Subdecurio, Vexillifer, Tubicines, antiqua nomina.

CAPVT I.

Equestris militiæ præstantia. Equitum prærogatiuæ, præmia & pœnæ.

Plato cur non ausus equitare. Dictatori & Flamini Diali, equitatione cur interdictum. Equites variorum ordinum, Torquati, Aurati, & Domestici, vt Equester olim Lacedæmoniũ & Romanorum ordo, ad solam dignitatẽ instituti. Qui ex Equestri Romanorum ordine equites militares. Eorũ priuilegia & Tituli. Equus publicus ex priuilegio reddi potuit. Stipendia equitum ampliora quàm peditũ. Præmium equitum excellentissimum. Equestres statuæ: earum origo. Quæ equestres ignominiæ, quæ supplicia. Equis ipsis quis habitus honor. 299

CAPVT II.

Summi equestris militiæ Magistratus qui, & quàm multi.

Hipparchi Athenienſium qui. Apud Romanos quanta dignitas Magisterij equitum. Quàm diuturnum id Magisterium. Variæ eius appellationes apud diuersos. Tribuni Celerum ijdem, qui deinde Magistri equitum. Quale id munus. Non par, sed minus Dictaturâ. Dictator vnus creatus sine Magistro equitum: at nullus Magister equitum sine Dictatore. Quis primus Romæ equitum Magister. Quàm noxia eius cum summo belli Duce dissensio. Exempla. Amare debet equitem & iuuare. Summi Magistratus equestres Imperio diuiso. An Seuir equitum idem qui Magi-

Magiſter. Prærogatiuæ Magiſterij ævo noſtro. Optio Magiſtri equitum, eiuſq; munus. 318

CAPVT III.

Medij equitum Magiſtratus.

Quod munus Commiſſarij Generalis, ſeu ſummi Curatoris mandatorum. A quo inſtitutum. Quis primus obierit. Qui & quot Philarchi. Quis equitum Tribunus. Alæ Præfectus quot ſub ſe equites, quomodo lectus. Laticlauij bini alis ſingulis ab Auguſto præfecti. An aliquis Centuriæ equeſtri Præfectus, præter Magiſtrum equitum. Decurio ſeu Præfectus turmæ. Quomodo lecti Præfecti turmarum. Boni Præfecti munus & notæ. 329

CAPVT IV.

Equeſtres Magiſtratus infimi.

Vexillarij & Draconarij equitum proprij. Contentio Melzi & Flaminij, ſitne frangendum vexillum Lancearatorum, necne. An, more Romanorum, vexillum aliquando in hoſtem iaciendum. Quis vexilliferi in pugnâ locus. An equitum ſtipendia apud vexillum depoſita, vt peditum apud ſigna. Decuriones. Subdecuriones. Decani. Capitularij equites, ſeu Corporales. Triumuiratus recognoſcendi turmas. 335

CAPVT V.

Tubicines & tympaniſtæ.

Neceſsitas tubarum in exercitu. Quàm varia tubis ſigna dantur. Vt prompte ſignis obtemperandum. Inflammat tubarum cantus pugnantium animos. Tubicinis egregij exemplum. Aſtus multiplici tubarum cantu adinuentus. Tubicines quales eſſe deceat. Tympana Indis pro tubâ. Inde etiamnum in equitatu Germanorum. 340

CAPVT VI.

Quomodo ad equeſtres Magiſtratus facienda promotio.

Per ſcholarum gradus equites promouendi. Claudij Cæſaris in præſenti re diſciplina. Vegetij querela de præpoſterâ promotione. Xenophontis, Onoſandri, & Leonis Imperatoris conſilium. Honores, equiti laborum finis. Alexandri & Theagenis æquitas in milite promouendo. 342

APPROBATIO SVPERIORVM.

OPVS inſcriptum De Militiâ Equeſtri, antiquâ & nouâ, à P. Hermanno Hugone Societatis noſtræ confectum, atque à deſtinatis arbitris lectum & approbatum, ego Iacobus Stratius, Societatis IESV per Flandro-Belgium Prouincialis, ex auctoritate admodum Reuerendi Patris noſtri P. Mutij Vitelleſci, Præpoſiti Generalis, in lucem prodire permitto. Cuius rei fidem manu meâ & officij ſigillo facio. Louanij, M. DC. XXIX. VIII. Martij.

Iacobus Stratius.

APPROBATIO CENSORIS.

TRACTATVS hic de Militiâ Equeſtri Libris quinque comprehenſus, variæ lectionis eſt, & multiplicis inſtructionis, nihilque continet quod Fidei noſtræ Orthodoxæ, néve probis moribus ſit contrarium. Quare pro tanti Ordinis ſplendore, cum fructu, tum ſtimulo & legentium voluptate (ita voueo) typis mandabitur. Nam, teſte Ariſtotele, apud Antiquos in equite omne robur. Sic enim de Marcello ait Virgilius:

Hic rem Romanam magno trepidante tumultu
Siſtet eques, ſternet Pœnos. ——

Datum Bruxellæ, pridie Nonas Nouembris, M. DC. XXVIII.

Henricus Smeyers S. Th. Licentiatus, Scholaſticus Bruxellenſis, & Ordinarius Librorum Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI IV. Hiſpaniarum & Indiarum Regis Catholici, & Potentiſſimi Belgarum Principis Priuilegio cautum eſt; nequis *De militiâ Equeſtri antiquâ & nouâ Libros quinque, Auctore* HERMANNO HVGONE Societatis IESV Sacerdote, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra ſexennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſos in Germaniæ Inferioris ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XXVIII. Nouembris, M. DC. XXVIII.

Signat.

Steenhuyſe.